





*Illustrissimus ac Reverendissimus*
*Dominus Dominus*

JOSEPHUS VURUM.

*Cath. Ecclesiae Magno Varadiensis L. R. Episcopus.*
*S. C. et R. Ap. Majestatis Consiliarius. &c.*

# HISTORIA UNIVERSALIS GENTIUM

STATISTICO-GEOGRAPHICO-POLITICO-CRITICA

QUAM

IN USUM AUDITORUM

CONCINNAVIT

PAULUS NAGY,

AA. LL. ET PHILOS. DOCT. ALMAE AC CELEBER. UNIVERSITATIS PESTIENSIS FACULTATIS PHILOSOPHICAE COMMEMBRUM. IN REGIA SCIENT. ACADEMIA M. VARADIENSI HISTORIAE UNIVERSALIS GENTIUM, ET PRAGMATICAE REGNI HUNGARIAE PROFESSOR R. PUBL. ORD. AC BIBLIOTHECAE ACADEMIAE CUSTOS.

## TOMUS II.

CONTINENS HISTORIAM LATINORUM, ROMANORUM SUB REGIBUS ET CONSULIBUS, AC MONARCHIÆ ROMANÆ SUB IMPERATORIBUS ETHNICIS ET CHRISTIANIS TAM ORIENTIS QUAM OCCIDENTIS; GERMANORUM, VISIGOTHORUM, OSTROGOTHORUM, VANDALORUM, BURGUNDORUM, ANGLOSAXONUM, HERULORUM, LONGOBARDORUM, HUNNORUM, AVARUM, CHAZARORUM, BULGARORUM, SLAVINORUM, CROATARUM, SERVIANORUM, IMPRIMIS AUTEM STATUM IMPERII ROMANO-GERMANICI, AD NOSTRAM USQUE ÆTATEM.

BUDAE,

TYPIS REGIAE SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE 1825.

*Admittitur ad imprimendum*

Antonius Nagy m. p.
Gremialis ad Excelsum Cons. Reg. Locumte.
Librorum Censor et Revisor.
Budae 15. Aprilis 1825.

ILLUSTRISSIMO

AC

REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

JOSEPHO VURUM

DEI

ET APOSTOLICAE SEDIS

GRATIA

ECCLESIAE CATHEDRALIS

MAGNO-VARADIENSIS

EPISCOPO.

SACRAE CAESAREAE ET REGIAE

APOSTOLICAE MAJESTATIS

CONSILIARIO.

MUSARUM

ALTORI MUNIFICENTISSIMO

MECAENATI SUO GRATIOSISSIMO.

# ILLUSTRISSIME PRAESUL!

Ardens de omnibus, imprimis Auditoribus meis bene merendi studium, collatumque mihi clementer Universi Orbis Historiam docendi Munus, juste exigere videbatur; ut veritatem in arcano latentem accuratius investigarem, et investigatam Reipublicae Hungaricae aperirem; quam Faventibus Superis consummatam, supplex ad Aras TUAS ILLUSTRISSIME PRAESUL accedens lito in hoc Historiae Universalis Gentium Tomo secundo! in quem conjecti sunt Veterum Latinorum, Romanorum, Germanorum aliarumque Gentium mores, ritus et consvetudines; quae tum ad Re-

ligio-

ligionem et Cultum Deorum, tum ad Politicam gubernationem, item ad Civilem, Militarem, Scientiarumque et Artium Statum pertinent. Non diffiteor equidem hujusmodi praestantissimorum Ingeniorum plurima exstare monumenta, quibus rerum gestarum compendium continetur: sed tamen pleraque eorum discentibus potissimum haud satisfaciunt, quoniam in aliis delectus, in aliis ordo, in aliis brevitas desideretur. Sunt insuper Epitomatores qui nimium in sua placita discedant, qui nisi suspiria sine testibus proferant, qui nisi haereticos carpunt, et naevos instituti sui palliant,

liant, aliis fidem ambitiose arrogant, aliis libere detrahunt. Unde novi communibus Rei Litterariae Hungaricae votis ardenter postulari Historiam Universalem Gentium ordinatam et plenam; in qua nihil redundans, nihil deficiens, in qua Chronologiae et Memoriae justa ratio habeatur, praesertim Auctorum, qui cunctorum oculis nomen Testium cum honore sustineant; quosque discentes uberioris politiorisque notitiae ergo fidenter adeant. Interim absit illa a moribus meis Vanitas, ut hunc meum talem esse laborem, qualem cuncti postulant existimem: haec enim eo unice

zelo

zelo propalo, ut patescat quam perfectionis metam dum haec concinnarem ob oculos habere intenderim! Quid vero assecutus sim? haud meum erit, sed VESTRAE ILLUSTRITATIS et aliorum Cordatissimorum in quos hic labor incidet decernere: mihi etenim in praesentiarum sat est Multorum Eruditissimorum Virorum, qui indefessa haec mea Conamina Sublimi Judicio benigne approbarunt sentimentum; insuper conscientiae meae sufficit, Hungaricae Juventuti industriae meae usum fructum haud esse denegatum. Quid ultra!

Credo ego TE mirari ILLUSTRISSIME PRAESUL! quid motivorum me impulerint? ut ILLUSTRISSIMUM Nomen TUUM huic quoque Operi venerabundus praefigerem? Profecto gravissima me invitabant argumenta! quum enim jam et Historiae Pragmaticae Regni Hungariae dedicatio Immortale TUUM Nomen ut Domini longe Faventissimi contineat: Cujus illibatam in DEUM et Remp. Hungaricam fidem, admirandam Eruditionem, Summamque Animi Probitatem orbis Literatus dudum suspicit et veneratur! Easdem innatas TIBI Virtutes iterum atque iterum Fronti propono. — Tum, summe

aesti-

aestimandus mihi occurrit TUUS ILLUSTRISSIME PRAESUL! in me Favor ac Benevolentia, cujus Faustissima auspicatissimaque initia jam ante aliquot annos radiantis instar solis emicuerunt Varadini, cum in Auditorio Academico, applaudentibus iterum atque iterum Musis me palam disserentem digna Magnis Viris comitate Laetus Audires! Unde TUAE propensionis ILLUSTRISSIME PRAESUL perennis apud me est memoria, non tantum eo quadriennio expertae, quo Ecclesiam Varadinensem felici exemplo gubernas; sed et aliis jam annis perennantis ejusdem favoris cla-

rissi-

rissima praebuisti Documenta. Hinc si alii ad Praestantissimos Praesules, qui qualicunque modo Studia Literarum publicis monumentis adjuvare moliuntur catervatim accurrunt; tanto majori id ego fiducia fretus in TUA Alma Dioecesi jam a decem annis Academicis Muneribus functus fecero; quanto certius mihi coram perspecta est TUA Singularis Virtus; incorruptum Justitiae Studium; in judicandis Eruditorum Scriptis Candor ac Dexteritas; in promovendis extollendisque Laureatis Viris digna Liberalitas! Quare nil amplius tantis Virtutibus cumulabo: quam ut DEUS

Ter

Ter Optimus Maximus! TUOS istos Laudatissimos Conatus Auxiliaris Gratiae Praesidio fulciat, augeat et roberet! Servet TE DEUS toti Hungariae, Dioecesi TUAE, omnibusque Bonis, ita vovent qui virtutem colunt! Addat DEUS Aeternitatem

ILLUSTRITATI VESTRAE

humillimus ac devotissimus
cliens
Paulus Nagy
Professor. Historiarum p. o.
Varadiensis.

# PARS SECUNDA
# HISTORIAE
## UNIVERSALIS GENTIUM.

## Caput I.

*Exhibens Historiam Latinorum, et Romanorum sub Regibus, et Consulibus, usque Octavium Augustum Primum Monarcham, seu ab a. M.* 2650. *usque a. ante Ae. V.* 31. *seu U. C.* 723.

§. 1. *Statistico Geographica Notio Latii.* Latium Italiae Regio a cunctis Scriptoribus jam olim celebrata; *Latium* dictum putatur ab *Saturno*, qui Patria profugus in his locis diu latuisse creditur. *a*) *Varro Latii* nomen inde repetit: quod inter Alpium, et Apennini rupes,

a ac

*a*) Virgil. Aeneid. L. 8. v. 319.

ac mare et Tiberim, tamquam abscondita regio lateat. Hodie *Ditio Pontificia*, *seu Territorium Romanum*, vel *Campagna di Roma* vocatur. Limes a Septemtrione est Apenninus mons, et Anio fluvius: ad ortum Liris: ad Meridiem mare Tyrrhenum: ad occasum Tiberris. Primi incoluere Siculi, et Aborigines, *a*) dein Pelasgi, Arcades, Volsci, Ausones. etc. Alias autem vicinas regiones incoluerunt Tusci, Sabini, Marsi, Samnites, Praegutiani et Campani. Umbrorum tamen Gens antiquissima Italiae existimatur. *b*) Regio haec aspera, et saxosa, habuit et paludes, ex quibus äerem vitiosum, et gravem. Ad meridiem erat civitas *Ostia*, ad Mare vero situm fuit *Neptunium*, cujus cives aucupio, et piscationi vacabant. *Astura* est memorabilis de indignissima *M. Tullii Ciceronis* caede. *Tarracinae* ager est foecundissimus, vitibus, Aurantiis, Citris, aliisque Arboribus abundans. *Cajeta* Urbs arcem habet invictissimam. *Velitra* Volscorum vetustissimum oppidum. *Alba Longa* ab *Ascanio Aeneae* filio, trigesimo post aedificatum *Lavinium* Anno condita, sed hodie desolata. *Tivola* saluberrimo loco sita. *Maruvium* olim Marsorum caput. *Praeneste* hodie *Pilastrina* cujus situs fuit amoenissimus; et ideo florente re Romana, Imperatores huc frequenter animi Gratia venisse leguntur. *Tusculum* olim

---

*a*) Justin. L. 43. c. 1. *b*) Herodot. L. 1. c. 94. et L. 4. c. 49. Plin. L. 3. c. 14.

olim multis nominibus insigne. Omnium tamen celeberrima Urbs fuit *Roma*, Orbis condam Domina, nomen obtentum hodiedum tenet; sita in loco admodum fertili; cujus ambitus olim tredecim millium passuum fuisse scribitur; *Turres* in murorum ambitu olim 740. *regiones* vero ut olim, ita hodie, sed mutatis Nominibus sunt XIV. *a*) quae simul Italiam constituerunt. Praeter Tiberim, occurrunt etiam reliquiae fontium ex antiquis ductibus, uti et varia Fora. Colles septem moenibus includebantur, unde Roma septicollis dicebatur multis centenis templis ornata. *Cryptae subterraneae*, postmodum sub Imperatoribus in Christianos saevientibus, ipsorum erant latebrae et sepulchra. Hodie XXVIII. Xenodochia publica diversarum Nationum sunt. Praeter Generalem Academiam XX. Seminaria et Collegia Nationum a Grego-

 rio.

*a*) I. Lombardiae pars Alpestris cum Valesia. II. Tirolis et Marchia Tarvisana. III. Pedemontium, Montis Ferrati Marchionatus, et Genuensium Ducatus. IV. Romandiola cum Parmensi, et Mantuae Ducatibus. V. Brixiensis Comitatus cum Ducatu Mediolanensi. VI. Veronae, Vicentiae, et Patavinae ditiones. VII. Forum Julium, Istria, Carniola. VIII. Thuscia. IX. Marchia Anconitana cum Spoletano Ducatu. X. Latium, seu Campagna di Roma. XI. Abruzzo, Aprutium et terra di Lavora, seu Campania. XII. Utraque Apulia seu Puglia, et terra di Barri. Terra d' Otranto, Calabria, Magna Graecia, Lucania, Regnum Neapolitanum. XIII. Corsica et Sardinia. XIV. Sicilia.

rio III. Pont. instituta; et licet hodie etiam Bibliothecae publicae multae sint; item horti Pontificis et Cardinalium, Basilicae et Palatia per Urbem dispersa; prout et aquaeductus, Thermae, Arcus Triumphales, Amphitheatra, Circi, Porticus, Columnae, Obelisci, Colossi, Pyramides, statuae in publico spectandae, et alia plura; quorum accuratiorem descriptionem instituti ratio haud patitur; Illa tamen hodie qui viderit, et cum antiqua Roma comparaverit; merito exclamabit! *Qui miseranda videt veteris vestigia Romae, Ille potest merito dicere, Roma fuit.* Cujus Urbis accolae Latini se deinceps, crescente Romana potentia, Romanos compellarunt; devictisque vicinis populis, sensim dominatum in totam Italiam obtinuerunt. Porro Populi Romani potentia in alias etiam Orbis partes, nec non Historiae Universalis commendatione dignum nomen primum a bellis Punicis a. ante Ch. natum 250. initium sumit; tunc enim potentia eorum extra Italiam ferri coepit, normaque cultior accesserat; quae demum sub *Theodosio M.* desierat, quo ex tempore Romanorum res divisa est. Gens quidem haec hodie jam nulla est; vigent tamen et nunc in omni culta Europa, lingva, legum norma, et stupenda scientiarum claritudo; qua regna et provincias ab se devictas, cum maximo tantarum cladium et vectigalium fenore, illa potens, donabat. Tanta hujus Imperii moles plurimum coacervabatur ex Punicis Macedonicisque spoliis;

quae

quae demum in expugnabilis exstitit Pyrrho, Annibali, Antiocho, Kimbris, Mithridati, Marcomannis, aliisque populis; qui Capitolio Romano funus et ruinas parabant. — Priora secula incertis laborant Historiae indiciis, neque adeo rerum valent momentis. Sub Regibus fabalosa pleraque, et chronologiae utcumque contraria. Porro non defuerunt illi curiosi indagatores; quomodo in tantum potentiae Gradum Roma pervenerit? quas causas *Montesquieu* et *Denina*, brevius tamen et verius *Cicero* his exponit: *a*) *Pietate ac religione; atque hac una sapientia, qua Deorum immortalium numine regi, gubernarique perspeximus, omnes gentes, nationesque superavimus:* seu firma de religione persvasio, sine tumultu fanatico ad omnes morum, rerumque civilium nexus continuo adhibebatur.

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis. Janus* in Italia regnum obtinens, nihil praeter religionem ritusque colendorum Deorum induxisse perhibetur, qui *Saturnum* hospitio exceptum divinis honoribus excepit ideo: quia subditos ejus homines feros, et rapto vivere adsvetos, ad agriculturam et ad vitam compositam ducendam primus docuit: *b*) qua propter eum regni societate etiam muneravit *c*) eique tamquam

---

*a*) De Harusp. Resp. c. 9. *b*) Victor. c. 3. de orig. Gent. Rom. et Macrob. Saturn. L. 1. c. 7. *c*) Dionys. Halicarn. L. 1. c. 28.

quam vitae melioris auctori aram consecravit; postmodum autem *Julo Ascanii* filio sacerdotium datum, quod gens Julia ab *Julo* orta haereditarium retinuit. Successive autem res sacras seu superstitiones mire ibidem auxit *Evander*, qui in Palatio non modo *Pani* Deo fanum dedicavit; *a*) sedet Lupercalia instituit: *b*) cujus exemplo populi pluribus etiam aliis Numinibus aedes erexerunt; uti *Cereri*, cui per feminas sacerdotes sacra fecerunt, *c*) victimisque virorum placarunt, donec *Hercules* cum *Geryonis* pecore in Italiam reversus, eorum posteris svasisset, ut sacrificia mutarent ad hominum effigiem arte simulata capita, non tam mactando viros, quam accensa lumina; *d*) Unde mos per Saturnalia missitandis cereis coepit. Post modum *Herculis* sacra speciali modo introducta sunt: *e*) ut viri sedentes aperto capite in Sacris epularentur: Unde mulierum capitis velandi ritus invaluit. *f*) Postmodum adveniente *Aenea* Latinorum religio eadem fere fuit, quae Graecorum; nempe in multitudine consistebat, prout *Varro* jam triginta Millia Deorum numerabat. In quorum honorem jam sub Romanis erecta sunt templa, constituti sacerdotes, oblata sacrificia, celebrati publici Ludi et festi dies, quibus supremus accessit honor vaticiniorum et Au-

---

*a*) Victor. c. 5. *b*) Livius L. 1. c. 6. Halicarn. L. 1. *c*) Idem. ibid. *d*) Macrob. Saturn. L. 1. c. 7. *e*) Plutarch. quaest. Rom. 90. *f*) Macrob. Saturn. L. 3. c. 6. et 12. Livius. L. 1.

Auguriorum; a conditore vero Urbis *Romulo* ita constituta fuit religio, ut ea militaris virtus populi Romani continuo niteretur; qui etiam *Jovi* Statori templum in foro vovit. Ampliora demum sub *Numa* accepit religio incrementa, qui publica Sacra sacerdotesque instituit, simulatis cum Dea *Aegeria* nocturnis congressibus, ejusdem monitu se sacra publicosque cultus instituere dictitans, unde templum *Jani* extruxit ejusque valvas pacis, bellique indices clausit. *Ancus Martius* summos religionis ministros *Feciales* constituit; quos etiam justi belli arbitros ordinavit. *Tarquinus Superbus* Jovis Latialis Fanum in Albano monte conditit, ferias Latinas instituit, et Jovis Capitolini templum a patre inchoatum exstruxit: Ignes perpetuos observari, et libros Sybillinos consuli praecepit; unde in ambiguis bellis praeorante Pontifice etiam Diis Manibus se devovere soliti sunt; quapropter temerariam Romanorum bellandi audaciam mirari haud possumus, qui alias etiam feroces et ad bella proni, justi tamen et legum patriarum amantes exstiterunt, mutuumque amorem ex instituto Patronorum et clientum aliquamdiu coluerunt. Matrimonii leges sanctissime observarunt; vi cujus sanciente *Romulo* maritus quidem dimittere potuit uxorem, non vero uxori ex quacunque causa discedere licuit. Paterna auctoritas in suos natos initio fuit plane nimia, quia pater potuit filium suum ter vendere aut occidere, imo infantem iu conspe-

ctu

ctu quinque virorum exponere; quae tamen barbaries accedente cultura sensim omissa est, potissimum tunc, dum aliarum etiam gentium devictarum Sacra adoptassent: uti *Cybelis*, *Isidis*, *et Osiridis.* Quantum enim Romani in dilatandis Imperii finibus virium ac bellorum impenderunt, tantum continuo solicitudinis etiam adhibuerunt, ut devictos populos non modo civilibus, sed et sacris Officiis, ac legibus latis constanter in Offiicio continerent; *a*) eorumque animos in cultu patriorum Deorum informarent adeo: ut cum religione, simul et politica reipublicae administratio sensim in dies ad majora dominationis emolumenta pervenire valeat. *De Cultu itaque Sacrorum quo ad Colonias* primum memorandi sunt Pontifices, qui in Urbe Romana reliquis sacerdotibus suprema potestate praefecti erant, ut cives ad Sacrorum observantiam et veram pietatem edocerent, inspicerentque in actionum moralitatem, ne practice in Deum et Regem, ut proh dolor! observamus, peccaretur. Talium Pontificum numerus non erat semper aequalis in Romana republica; nam a *Numa Pompilio* quatuor e Patriciis erant creati, quibus demum ab Ogulniis Tribunis A. U. C. 454. itidem quatuor erant adjecti, ac proin ad *L. Sullae* Dictatoris aetatem erant octo; quibus demum *Sulla* A. U. C. 671. septem adjecit; quo ex facto deinceps dupplex

---

*a*) Cicero. de Harusp. Resp. c. 9.

plex Pontificum ordo exstitit: in primo ordine existentes octo Pontifices *Majores;* in Secundo vero ordine successive septem creati *Minores* dicebantur; qui simul unum Collegium Pontificum effecerunt, quod summa potestate moderabatur Maximus Pontifex a *Numa* creatus. *a*) Ceterorum autem officia erant teste *Dionysio: b*) de cunctis causis ad Sacra pertinentibus vere judicare; in Sacerdotum mores et munia, item in religionis officia diligenter inquirere, pro delicti magnitudine a reis poenas sumere; de sacrorum celebratione ubi leges scriptae non fuissent, pro arbitrio et oportunitate condere ita; ut omnis reipublicae dignitas, cunctorum civium salus et libertas, item arae, foci, Diique Penates, illorum fidei, sapientiae, ac potestati commissa esse videantur. *c*) Cujusmodi Pontifices successive etiam in Coloniis erant eooptati, *d*) qua de causa etiam Apostoli ob diruta idola in non modicas contentiones venerunt. *e*) Erant et alterius ordinis Sacerdotes, uti *Augures*, seu *Avigeres*, et *Flamines.* — *Augures* ordinante *Sulla* a. U. C. 671. Numero XV. erant constituti, qui novum Collegium effecerunt, inter quos aetate senior, Collegii *Magister* vocabatur. Horum omnium Offi-

---

*a*) Rozinus et Lazius. *b*) L. 2. *c*) Cicero. in oratione pro domo sua. *d*) Idem in Agraria. Item Lazius. Comment. Reip. Rom. L. 3. c. 11. *e*) Zamosius. Analect. Dac. Antiquit. c. 7.

Officium erat: ex volatu, pastu, et garritu avium, aut ex aliorum animantium, vel plane hominum eventibus et actionibus vaticinari; ex pullorum tripudiis, portentis, somniis futura praedicere; qua omnia lege Augurali *Cicero a*) fusius exponit. Quae autem erat Auguria captandi ratio, quot eorum genera, quae oblativa, et imperativa fuerint; quae fausta, vel infausta prodiderint, Rozinus *b*) recenset. — *Flamines* qui cum Pontifice M. ut Judices causarum sacrarum sedebant, erant tres praecipui, uti *Dialis*, *c*) qui Jovi sacrificavit: *Martialis* qui Marti: et *Quirinalis* qui Romulo sacriflcia obtulit; his successu temporis XII. Flamines erant adjecti, qui diversis Diis sacra fecerunt ea cautione, ut non liceret alteri Sacerdoti semet immiscere. Primi tres quoniam Antiquiores et ex Patriciis eligerentur, *Majores* dicti; alii autem quia ex Plebejis adsciscerentur, *Minores* sunt nominati; totum autem Flaminium Sacerdotium, Pontificem velut supremum caput adorabat. Porro an Sacerdotum numerus certus, et constans statutus, vel pro provinciarum magnitudine amplitatus fuerit; dubium manebit.

§. 3. *Status Politicus, et Forma Regiminis Latinorum, et Romanorum.* In Italia plures populos inde ab initio habitavisse scriptores testan-

---

*a*) L. 2. de Legibus. *b*) Antiq. Rom. L. 3. c. 8. et 9. c) Rozinus. L. 3. c. 16.

stantur *a*) ob tarrae bonitatem, aëris temperantiam, portus commodos, gremiumque terrarum commercio undique patens. Primi tamen Cultores erant *Aborigines*, quorum Rex *Saturnus b*) tantae justitiae fuisse dicitur, ut neque serviverit sub illo quisquam, neque quidquam privatae rei habuerit; sed omnia communia, et indivisa omnibus fuerint, veluti cunctis patrimonium esset; unde recte *Salustius c*) dicit: Aborigines genus hominum agreste sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum; tamen vivebant securi sine metu ob regionum amplitudinem, et habitantium aequitatem: inde aureum seculum fuit appellatum. Idem *Saturnus* agros colere, domos aedificare, vineas ponere, et fruges colligere docuit. Sicut autem agrorum, ita et ingeniorum culturam per id tempus accepit Italia: prout et nomen ab *Italo* quodam Arcadum rege obtinuit. *d*) Verum eversa Troja, in Latio quoque alia rerum facies apparuit a. M. 2800. ante Romam conditam a. 432. *Aeneas* enim Troja profugus in Italiam veniens, mox cum Latino (qui erat quintus ab Jano) Latinorum rege, affinitatem jungens, novam urbem condidit, et ab uxoris nomine *Lavinia* Lavinium appellavit. Interra res in Latio quie-

---

*a*) Aelian. Hist. Var. L. 9. c. 16. Plin. L. 3. c. 5. Dionys. Halicarn. L. 1. Antiq. Rom. *b*) Justin. L. 43. c. 1. *c*) in bell. Catil. *d*) Dionys. Halicar. Antiq. Rom. L. 1.

quietae erant, *Ascanius* enim *Aeneae* filius Albam Longam condidit; ubi alteri *Aeneae* filio posthumo *Sylvio* delatum est regnum, a quo Albani Reges *Sylvii* sunt appellati, ex qua stirpe etiam *Romulus* Romae conditor per lineam femineam descendit: Nam *Amulius Sylvius* Numitore majore fratre pulso, regnum occupans, ut illud dehinc tuto teneret, praeconceptum scelus ampliori scelere cumulavit, virilem fratris sui stirpem interficiendo, *Rheam Sylviam* vero unicam ejus filiam inter Vestales virgines dando, ut sic ei omnem concipiendae prolis spem praecideret. Interim *Rhea* incertum a quo gemellos suscepit filios, qui ab *Amulio* avunculo expositi, et ab *Faustulo* pastore regio educati sunt. Qui dum adolevissent, *Numitorem* avum agnoscentes, mox eum *Amulio* occiso, in regnum restituerunt. Ipsi vero contracta pastorum et convenarum manu, novam in Palatio monte, ubi educati erant, Urbem condiderunt a. M. 3225. cui destinabatur Orbis imperium. *a*)

*Romanorum Historia* quoad chronologiam commodissime dividi potest in tres status, prout nempe I. sub Regibus. II. sub Consulibus. III. sub Imperatoribus inclaruerunt. Itaque *Romulus* conditae Urbi Augurio superior nomen dedit, cujus moenia nequaquam praedonum perfugio erant exstructa; sed ab agrestibus

---

*a*) Livius. L. 1. c. 2. et 3.

bus convenis, imbecillo consilio et rudi opere conflata; interim tamen jam ab iisdem primis incolis, scriptura et moneta haud fuit aliena, neque eorum politia ita erat cruda, ut de aquae ductibus ornandae civitatis gratia non cogitarent. Regiam dignitatem instituerunt electione, quam primo *Romulo* detulerunt, qui fratrem *Remum* eo quod regni socium habere nollet, morte mulctavit. Sub Regio imperio stetit Roma 244. annos ab Urbe condita, usque ad abrogationem Regiae potestatis. Regum potestas erat legibus circumscripta; constat enim ante *Tarquini Superbi* tempora regiam potestatem adeo fuisse limitatam, ut Reges nihil inconsulto populo suscipere potuerint; in quem finem instituta erant *Comitia*, in quibus populus aut per tribus, aut per curias, aut per centurias sua suffragia ferre solebat. Praeterea *Senatus* etiam erat institutus, *a*) ex Centum senioribus viris sive Patribus, cujus auctoritas in republica magna fuit. Ut tamen ab administratione regni et suffragiorum jure misera plebs removeretur, sensim *Servius Tullius* rex *comitia centuriata* callide commentus est, et populum in classes divisit, quae non ex civium numero, verum ex eorum praestationibus et facultatibus aestimabantur; quo instituto raro deinceps miseriores ad danda Suffragia admittebantur, *b*) sensimque

---

*a*) Dionys. Halicarn. L. 1. p. 73. seq. Plut. Rom. p. 24. Livius. L. 1. c. 4. *b*) Dionys. L. 4. p. 221. seqq. Livius. L. 1. c. 17. p. 62.

que libertatibus suis exuebantur. Unde *Lucretia* libertatis vindicandae causam haud praebuit, sed facti ansa, et memoria temporis conversionem rerum nobilitavit adeo: ut Regia Romanis jam dudum invisa potestas abrogaretur a. U. C. 244. quare etiam forma regiminis mutari debuit.

*Consules* post abdicatos Reges Romani elegerunt; quorum auctoritas initio tanta fuit, ut parum a Regia potestate differet; verum ne viderentur tantum mutato nomine, pro uno Rege se accipisse duos Consules; lege decretum fuit, ut Consules tantum annui Magistratus essent. Tales Consules primi communi suffragio electi sunt *Junius Brutus*, et *Tarquinius Collatinus*. *Brutus* vindex libertatis Romanae primus Consul adeo fuit severus, ut etiam filios suos, eo quod Regibus ejectis faverent, eosque concitata factione reducere intenderent, prius virgis caesos, securi percuti juberet. Itaque restituta libertate Romae alter *Status Consularis* seu *Aristo-Democraticus* coepit. Consulibus primum a. U. C. 302. *Decemviri* per aliquot annos interpositi erant, demum per plures annos *Tribuni Militares*, donec a. U. C. 387. in perpetuum Consules restituerentur. Ast *Optimatum* et *Plebis* factio, etiam *Tribunos Plebis* produxit; quumque viderent successive Romani se variis calamitatibus agitari, neque reipublicae vulnera posse sanari, nisi summa rerum uni committeretur; ideo *Dictatores*

Re-

Regia potestate crearunt; sed finita Dictatura denuo in veterem morbum relapsi sunt: unde bella Civilia sive *Triumviratus* ab a. U C. 666 — 722. invaluit. Ceterum Status hic *Aristo-Democraticus* longe instructiores reddidit Romanos, uti: Tribunis, XII. Tabularum legibus, Censoribus, Praetoribus, etc. signanter autem a. U. C. 347. prima stipendia Militibus numerare coeperunt. a. 441. Via Appia strata. a. 454. barbae illis tonderi coeptae. a. 474. currus falcatos a Gallis induxerunt. a. 480. artem castra vallandi a *Pyrrho* didicerunt. a. 484. primos numos ex argento cudebant. Quo tamen tempore nulli iis erant annales, nisi templorum indiculi; nulli Medici, nisi serpentes Epidaurii.

§. 4. *Status belli et Memoria Principum Virorum.* I. Apud Latinos. De primis Latii accolis, memorabilis est prisca traditio, quam *S. Aurel. Victor a*) consignavit: post diluvium ex hominibus quosdam sedem quaerentes, pervectos in Italiam Aborigines appellatos, apud quos primus regnavisse perhibetur *Janus;* cui in Latio successit *Saturnus*, quo regnante omnia omnibus erant communia, *b*) qui demum agros colere domos aedificare, vineas ponere et fruges colligere cives docuit. *Saturno* successit

---

*a*) De Orig. Rom. c. 4. Item, quod non ob diluvium Ogygium aut Deucalioneum venerint e Graecia primi Italiae habitatores, monstrat Paul. Merula. P. 2. Cosmograph. L. 4. c. 18. *b*) Justin. L. 43. c. 1.

sit *Picus*, huic *Faunus*, cujus uxor et *Latini* Regis mater Latinas literas invenisse memoratur. Dum autem in Latio *Latinus* rex summam rerum teneret, a. M. 2800. seu ante Romam conditam 452. *Aeneas* Troja profugus in Latium veniens, cum rege *Latino* amicitiam et affinitatem inivit, ejus filiam *Laviniam* in uxorem ducendo. *Aeneas* brevi *Turnum* Rutulorum regem, cui jam prius *Lavinia* desponsata erat, commisso praelio vicit et fugavit; hinc etiam Hetruscorum florentes divitias fregit; qua in pugna quum *Latinus* occubuisset, ipse Aeneas omnem victoriae fructum reportavit: qui ut amplius se in regno firmaret, Trojanis suis Latinorum leges, et nomen imposuit, unde etiam ipse Aeneas Latinorum Rex dictus est; qui dum contra Hetruscos denuo pugnaret interiit, cujus corpus quum nunquam appareret; Deus indiges habitus est. Post ejus obitum quieta erant in Latio omnia, *Ascanius* enim Aeneae filius Albam Longam condidit; *Sylvio* autem alteri *Aeneae* filio posthumo, regnum a populo collatum est, a quo dein Albani reges *Sylvii* sunt dicti, circa a. M. 3000. qui ordine sequentes erant. *a*) *Latinus Sylvius. Alba. Atis. Capis. Capetus. Tiberius* qui in trajectu Albulae fluvii submersus, flumini nomen dedit Tiberis.) *Agrippa. Romulus Sylvius. Aventinus* ful-

---

*a*) Livius. L. 1, c. 3. p. 7. aliter ponit ordinem Dionys. Halicarn.

fulmine ictus, cognomen monti dedit. *Procas* duos filios procreavit, *Numitorem* et *Amulium*, qui natu majori *Numitori* regnum legavit; ast *Amulius* pulso fratre regnum vi arripiens, stirpem fratris virilem interemit; *Rheam Sylviam* vero fratris unicam filiam per speciem honoris Vestalem dedit, ut perpetua virginitate filum familiae abrumperet. — Interim *Rhea* incertum a quo *a*) gemellos, *Romulum* et *Remum*, Urbis Romae conditores, peperit.

*Roma* itaque condita fuit *b*) a. M. 3225. seu a. 753. ante Aeram Christi Vulgarem; et *Remi* sangvine consecrata, in qua nova Urbe *Romulus* Regnum constituit; Albani interim pro Regibus Dictatores annuos crearunt. Ceterum *Romulus* ut Urbem amplificaret, Asylum in Capitolio aperiens, brevi magnam convenarum multitudinem coegit; utque ex tam parvis initiis tanta Urbs feliciter existeret, neve

b vi-

---

*a*) Livius. L. 1. c. 3. p. 8. Marti tribuit. Florus. L. 1. c. 1. Cluverius. Ital. antiq. L. 3. c. 2. Octav. Ferrarius. L. de orig. Roman. *b*) De orige Romae variant Scriptores, sic Fabius Pictor, dicit annum Primum Olymp. octavae, quem sequitur Usserius. II. M. Cato. ad an. primum Olymp. septimae; quem sequitur Livius, et Dionys. Halicar. III. Verrius Flaccus, et Festi Capitolini tenent an. quartum Olymp. sextae. IV. M. Varro, statuit. an. tertium Olymp. sextae, quem sequitur Quintilianus L. 10. c. 1. Cicero L. 5. Acad. qq. Vellejus Paterculus, Plutarchus. Aulus Gellius Tacitus. Dio Cassius. etc.

viribus consilium deesset, Centum Senatores constituit, quos aetate et honore aliis praestantes *Patritios* dixit, eorumque clientelae miseriores addixit, ac jura inter clientes et patronos constituit. *a*) Verum quum ad frequentandam Urbem connubia a vicinis non impetrasset, Ludos consuales instituendo anno regni quarto, Sabinas, aliasque virgines, quae spectandi gratia convenerant, rapi jussit; *b*) quo ex temerario facto, grave, ac diuturnum cum Sabinis, eorumque sociis bellum ortum est; ubi *Romulus* dum *Caeninensium* et *Antemnatum* Regem *Acronem* sua manu occidisset, *Jovi Feretrio* prima spolia tulit. Inde Crustuminum expugnans, quum interim a *Tatio* Sabinorum rege suos in castris turbari vidisset, templum *Jovi Statori* vovit, ac redintegrato praelio plenam victoriam reportavit; quo tempore interpositione raptarum, ea conditione pax coaluit: ut deinceps Romae communiter habitarent, ac duo simul *Romulus* et *Tatius* imperarent, item ut ex Sabinis etiam centum Patres eligerentur. *c*) Ceterum post sex annos *Tatio* mortuo, solus *Romulus* regnavit, qui primus civitatem in triginta curias, populum vero in tres tribus distribuens, rerum statum ordinavit. *d*) Postea *Camerinos* vicit, a *Fi-*

---

*a*) Livius. L. 1. c. 4. Dionys. Halicarn. L. 1. p. 73. et L. 2. p. 79. seq. Plut. Rom. p. 24. *b*) idem ibid. Dionys. L. 2. p. 100. *c*) Idem. ibid. p. 102. Plut. Rom. p. 26. *d*) Livius L. 1. c. 4. Dionys. 2. L. p. 105. seq. Plut. Rom. p. 28. seq.

*Fidenatibus* vero et *Vejentibus* illato bello, *Fidenas* cepit, Vejentes victos agri parte multavit. *a*) Demum cum exercitum ad *Capreae* paludem recenseret, concionemque haberet; subita coorta tempestate disparuit; aut potius ut multorum est opinio: a patribus, quibus invisus esse coeperat occisus est, quum regnasset 37. annis *b*.

II. *Numa Pompilius*, post unius anni interregnum, *Romuli* successor est renunciatus, de genere Sabinorum *Curibus* ortus, *c*) diu regnum recusans, absens suscepit; qui ad pacis studia conversus, semibarbaram civitatem et armis ferocem, legum constitutione temperavit, religione, aut potius superstitione mansvefecit, sacra et Sacerdotes constituit, simulando se monitu Deae *Aegeriae* haec omnia instituere, quo facto magnam suis legibus auctoritatem conciliavit. Dein *Jani* templum exstruens, ejus valvas veluti pacis bellique indices clausit. Annum, ex instituto *Romuli* decem Mensibus constantem, adjectis Januario et Eebruario explevit, annique initium Januarium constituit; *d*) fastos, et nefastos dies rite notavit; clausoque *Jani* templo, suis perpetuum otium pocuravit. Regnavit 43. annos.



*a*) Plut. Rom. p. 33. *b*) Livius. L. 1. c. 6. p. 23. seqq. Dionys. L. 2. p. 116. seqq. *c*) Livius. L. 1. c. 7. Dionys. L. 2. p. 124. seqq. Plut. Numa. p. 62. *d*) Livius. Dec. 1. L. 1. c. 7. 8. p. 24. seqq. Dionys. Halic. L. 2. p. 124. seq. Plut. in Numa.

III. *Tullus Hostilius* Romae regnare coepit a. Ch. 671. qui neglecta religione ac legum observatione, *Romulo* ferocior evasit; *a*) sed simul ad bella natus, Disciplinae militaris inventor, mox *Albanis* bellum intulit; quo demum utrisque placuit paucorum certamine decerni, qui alteri imperarent; quare conventum est: ut tres *Horatii* Romani, cum tribus *Curiatiis* Albanis congrederentur; ast victoria penes Romanos manente, Albani victi, et in deditionem redacti sunt; qui brevi dum rebellassent, omnes Albani, eversa urbe Alba, Romam demigrare jussi; ipse vero seditionis Auctor *Metius Suffetius* Albanorum Dictator, inter duos currus religatus, actis equis, discerptus est: Roma vero ruinis Albae aucta, Coelio monte adjecto amplificata, et potentiores Albanorum in Patricios assumti sunt. *b*) Postea *Tullus* ob antiquas inimicitias bello petens *Fidenates* et Sabinos superavit. Demum Rex diuturno morbo vexatus, dum valetudinem superstitione temperare niteretur, ob male procuratas religiones, fulmine ictus, cum domo conflagravit, anno regni 32. *c*) Aut potius *Anci* conjuratione periit.

IV. *Ancus Martius*, *Numae* e filia nepos; omnia avi instituta studiose retinens, dum initium

---

*a*) Liv. L. 1. c. 9. et 10. Dionys. L. 3. Florus L. 1. c. 3. *b*) Livius L. 1. c. 11. et 12. Dionys. L. 3. *c*) Liv. L. 12. Dionys. L. 3.

tium regni a Sacris et pace auspicaretur, Latinorum Armis lacessitus, bellum eis per Feciales indixit; *a*) quos, expugnatis multis oppidis, ad multa millia Romam deductos, in valle inter Palatinum, et Aventinum montes collocavit; *Janiculum* munitum, Urbi sublicio ponte conjunxit: *Ostiam* urbem condidit, et Romanum Imperium ad mare usque protulit. Tandem filiorum suorum Tutorem *Tarqninium Priscum* relinquens, mortuus est a. regni 24. *b*)

V. *L. Tarquinius* cognomine *Priscus*, Tutor filiorum *Anci* plus cupiditate regnandi, quam fide serviendi valuit, nam quum in absentia regiorum Principum comitia haberentur, id effecit; ut ipse *Priscus* Rex eligeretur, licet fuisset cujusdam profugi *Demerati Corinthii* filius. Ceterum ut regnum fraude obtentum sibi firmaret, Novos Centum Viros sibi addictos in Patricios adoptavit, qui minorum Gentium Patres sunt appellati. *c*) Pro populo solennes Circenses Annuos ludos a *Circo* dictos instituit. Cum Sabinis et Latinis pugnans triumphavit. *Hetruscorum* seu Tusciae XII. populos quum subegisset, eorumque opes fregisset, mox ab his sponte principatum deferentibus, etiam imperii insignia uti: Coronam Auream, Sellam eburneam, togam purpuream pictam

---

*a*) Liv. L. 1. c. 13. Dionys. L. 3. p. 177. seqq. *b*) idem. ibid. et Livius. L. 1. c. 14. *c*) Livius. L. 1. c. 15. Dionys. L. 3.

ctam, sceptrum accepit, quibus deinceps Reges Romani utebantur. Urbem magnificentissimis aedibus et operibus ornavit, cloacas in Tiberim ducendo, urbis plateas a sordibus purgari jussit. Jovis Capitolini aedem inchoavit. Ad eum etiam *Sibylla* Cumana Carminum Libros adtulisse dicitur; qui Libri Sibyllini dicti, mox quindecim Viris sunt commissi. Tandem cum regnasset 38. Annis, conjuratione Filiorum *Anci* coesus interiit, a. ante ch. 577. *a*)

VI. *Servius Tullius* ab a. ante Ch. 577. — 533. regnum obtinuit ut defuncti regis gener, patre *Tullio Corniculano* principe, Matre *Ocrisia* captiva Natus, ad regimen vero potissimum *Tanaquillis* artibus admotus, *b*) mox multa in republica praeclare ordinavit, uti Lustrum, et Censum induxit ita: ut omni quinto anno populus censeretur; ideo ex censu populum in classes quinque; classes vero in Centurias divisit, unde et centuriata Comitia invaluerunt. Urbi *Quirinalem*, *Viminalem*, et *Esquilinum* montem adjiciens, etiam fossa et aggere munivit; Hetruscos et Vejentes debellavit. Tandem Graeciae septem Sapientum aetati suppar, alias ipse Sapiens et prudens, regno summa cum laude per 44. annos administrato, Generi sui *Tarquinii*, ac filiae suae nefando parricidio, vita et imperio spoliatur.

VII.

*a*) L. 1. c. 16. Dionys. L. 3. Florus. L. 1. c. 5. *b*) Dionys. L. 4. p. 207. seqq. Livius. L. 1. c. 17.

VII. *Tarquinius* cognomine *Superbus*, ante Ch. 533. regnum scelere occupatum, crudeliter tyrannice administravit; nam Senatus auctoritatem contemnendo, ipsos Senatores et cives morte ac exilio punivit. Latomias, compedes et catenas primus Romae induxit. *a*) Latinas ferias in monte *Albano* constituit; *Jovis* Capitolini templum ab avo *b*) coeptum, de partis manubiis exaedificavit. Tandem ob violationem *Lucretiae*, quam filius ejus *Sextus* commiserat, dum rex *Ardeam* obsideret, regnum alias tyrannice administratum perdidit: nam populus Romanus rei indignitate, et L. *Bruti* oratione permotus, pridem desideratam ansam arripiens, Regnum ei abrogavit, imo ipsum Regium nomen e Civitate sustulit, postquam a septem regibus Romae regnatum fuisset 244. annis, ut *Livius* *c*) testatur VII. kal. Martias; quo die in Calendario Romano Regifugium notatur. Qua occassione in comitiis Centuriatis, duo Consules pro Regibus sunt creati; et *Consulare Imperium* institutum est.

*Bel-*

---

*a*) Dionys. L. 4. Liv. L. 1. c. 19. *b*) Quem Prisci filium Livius statuit. Dionysius vero nepotem ejus persvadet. *c*) Livius. Dec. 1. L. 1. c. 21. 22. Dionys. L. 4. Aegid. Strauchius in Brev. Chronol. L. 4. c. 25. cuncta complectitur Steph. Vinandus Pighius. in Annal. Rom.

*Bella Romanorum sub Consulibus, vel erant Italica; vel Externa; vel Civilia;* et quidem:

I. *Italica.* Abolita Regia dignitate, Romae duo Consules erant electi, uti L. *Junius Brutus*, et *Tarquinius Collatinus*, qui post detectam conjurationem causa restituendae Regiae dignitatis, (in qua etiam filii *Bruti*, et ipsius *Tarquinii* sororum filii deprehensi fuerant,) quum se mollius gereret, adnitente *Bruto* in ordinem redactus, ac in exilium ire compulsus, alii autem conjurationis participes, ne quidem *Bruti* filiis exceptis, securi percussi sunt: *Tarquinio* vero in Consulatu *P. Valerius Poplicola* subrogatus est: qui legem de provocatione ad populum tulit, et Fasces populo submittere instituit. *a*) Interim exauctoratus *Tarquinius* rex, ob reducendam regiam dignitatem Romanis bellum intulit, quo in conflictu ipse *Brutus*, Vir Patriae amantissimus fortissime pugnans occubuit. *b*) Cujus loco primum *Sp. Lucretius* Consul factus, quem excepit *Horatius Pulvillus*, cujus tempore statutum erat: ut deinceps quotannis duo Consules Reipublicae praeessent ex Patriciis novi. Interim tertius a parta Urbis libertate volvebatur annus, quum *Porsenna* Clusinorum rex, ut *Tarquinos* restitueret,

---

*a*) Liv. L. 2. c. 1. seqq. Dionys. L. 4. et 5. *b*) Livius Dec. 1. L. 2. c. 3. Dionys. L. 5. p. 288. seqq. Plut. Popl. p. 101.

tueret, bellum Romanis inferendo Janiculum occupavit: quo in bello licet virtus *Horatii Coclitis*, qui hostem in sublicio ponte tamdiu sustinuerat, quamdiu pons a tergo abscinderetur: item *Mutii Scaevolae*, (qui scribam, similitudine deceptus) pro rege obtruncaverat, audatia celebretur; duras tamen pacis conditiones Romani subire coacti sunt, uti ferri usum amittentes, etiam obsides consignarunt; ex quibus obsidibus dux agminis virginum *Cloelia* virgo Romana elusis custodibus, Tiberim inter Hetruscorum tela tranavit. *a*) Interim Patricii donec metus a *Porsenna* rege ingruebat, certatim plebi favere nitebantur; verum postquam pacem accepissent, mox multiplici oppressione plebem a se abalienarunt, quam abalienationem magis auxit Creditorum in debitores rigor, qui deinceps turbarum intestinarum semen exstitit; quibus gliscentibus, XXX. Latii populi Volscis et Hetruscis juncti, ob restituendum *Tarquinium*, ditiones Romanorum invaserunt; *b*) ad quod felicius gerendum Latinos quoque, agente imprimis *Octavio Mamilio* concitabant. Qua occasione a. U. C. 253. Romae *T. Lartius* primus Dictator creatus, licet plebem aere alieno gravatam ad officium revocaverit, hostesque ad unius anni inducias petendas compulerit; eo tamen ante tempus Dictaturam abdicante, mox turbae inte-

te-

*a*) Liv. Dec. 1. L. 2. c. 5. Flor. L. 1. c. 10. n. 8.
*b*) Livius. Dec. 1. L. 2. c. 9. Dionys. L. 5.

testinae et externae recruduerunt; ad quas componendas, a. U. C. 258. *A. Postumius* Dictator secundus est creatus, *a*) qui hostes Latinos insigni clade ad *Regillum* lacum profligavit; a qua victoria Patricii ab omni metu Tarquiniorum liberati sunt, postquam quatuordecim annis pro libertate bellum gessissent. Verum hi brevi *Appio Claudio* Consule praeeunte, longe majorem, ac ante Tyrannidem in plebem exercere coeperunt; quare plebs in turmas collecta, quum centurionem quemdam a creditore verberibus crudeliter tractatum, et *P. Valerii* lege ad suam opem confugientem conspiceret, *Appium* diris devovendo; acerbius debitorum abolitionem postulare, militiamque contra hostes detrectare statuit. Quo in statu licet Senatus plebem contra *Volscos*, et *Aequos*, Romanorum dissidiis ad bellum restaurandum animatos, per *Pub. Servilium* Cons. subin vero per *Valerium* Dictatorem Patricios populo charos ad arma capienda induxerit; Plebs tamen vanis pollicitationibus semet iterum, atque iterum delusam indignata, quum signa deserere juramento prohiberetur, *Sicinio Bellato* duce, una cum signis a. U. C. 261. ad montem Sacrum confugit, *b*) unde aegre *Menenii Agrippae* prudenti consilio, debitorum abo-

---

*a*) Liv. L. 2. c. 11. Dionys. L. 5. Florus. L. 1. c. 12. *b*) Livius. L. 2. c. 17. Dionys. L. 6. p. 370. soqq.

abolitione, et novo magistratu (Tribuni Plebis dicti) ad plebis tutelam instituto, revocata est. Novus hic Magistratus quinque personarum numero, praeterea binis aedilibus ac Viatore constans; post victoriam contra *Volscos* et *Aequos* reportatam, famis occasione, Consulis cujuspiam consiliis usus, Comitia convocandi, illisque praesidendi potestatem, uti et personarum suarum sacram inviolabilitatem Senatus decreto confirmatam obtinuit: sed *M. Coriolanum* suae potestati adversantem post varias turbas in exilium ejiciendo, gravissimo bello causam praebuit, quod non nisi *Veturia*, et *Volumnia* suis lachrymis exstinxerunt. *a*)

Lex Agraria, *Sp. Cassii* Consulis, novarum turbarum semen exstitit ideo: quod cives pauperes minime essent contenti agrorum hostibus ademtorum distributione; qua occasione etiam extorquere conabantur, ut sicut Regiae dignitatis affectatores, ita et Legis Agrariae violatores aequali supplicio de rupe *Tarpeja* praecipitarentur; (unde ipse *Cassius* regnum affectans primus praecipitatus est *b*) a. U. C. 269.) quod postulatum quum Patricii acceptare nollent, mox *Tribuni Plebis* contra imminentem hostem arma capere plebem prohibuerunt; quo in periculo licet Consules jam agro-

rum

---

*a*) Livius. L. 2. c. 20. et 21. Dionys. L. 7. Florus. L. 1. c. 22. Plutarchus in Coriolano. *b*) Liv. L. 22. Dionys. L. 8. p. 538. seqq.

rum vastatione, jam nonnullorum conciliatione ad suas partes plebem trahere conarentur, illa tamen pertinaciter pugnare renuit. Quas dissensiones Hetruriae populi observantes, sine mora cum *Vejentibus* ad invadendas Romanas ditiones properarunt a. U. C. 271. quod Vejens bellum *Fabia* gens, ut patriam molestia liberaret sibi ipsa deposcebat, quae quidem saepe victrix, ab hostibus demum per insidias pene deleta est; nam una die amplius tercenti *Fabii* occubuerunt in pugna ad *Crameram* commissa: *a*) et licet Vejentes postea iterato bello a *Servilio* Consule repressi fuissent; tamen turbae intestinae, causa Legis agrariae, continuatae erant: quibus tempestatibus *Tribuni Plebis* non modo Consularibus Viris paenas irrogandi potestatem sibi arrogarunt; sed etiam lege id obtinuerunt, ut omnia negotia plebem concernentia; imo et Tribunorum plebis electio deinceps in tributis comitiis fieret, qua lege mox per Senatum confirmata, plebs amissam auctoritatem, vota nempe in comitiis ferendi recuperavit. Verum plebs jam parere adsveta, denuo Consulibus brevi parere coepit, donec novis praessionibus obruta jugum penitus excussisset. Quibus in adjunctis, civibus nova calamitas subeunda fuit ideo: quod legibus certis destituti, in dirimendis causis a Consulum arbitrio pendentes, Patriciis saepe succumbere de-

---

*a*) Livius. L. 2. c. 27. Dionys. L. 9. Florus. L. 1. c. 12.

debuerint: quare *C. Terentius Arsa* Tribunus Plebis, Legum Codicem conscribendum postulavit: cujus rei etsi mox consecuta bella, et inde secuta pestis tantisper silentium imposuerint, tamen *Terentii* planum novas in republica turbas exscitavit: quibus ferventibus, Capitolium ab exsulibus et servis duce *Appio Herdonio* noctu clam occupatum tenebatur; *a*) verum postquam *Publius Valerius* in praelio occubuisset, *Quinctius Cincinnatus*, *Themistocli* aetate et virtute suppar, ab aratro ad Dictaturam vocatus, *Minutium* Consulem ab hoste obsessum liberando, nonmodo reipublicae desideratam pacem restituit, sed et ipsos *Volscos* et *Aequos* ad suam misericordiam implorandam compulit, a. U. C. 296. *b*) Porro Aequis et Sabinis agros Romanorum iterum devastantibus, Tribuni plebis militum delectum Patriciis vetaverunt; ast dum *Cincinnati* consilio Patres neglecta plebe arma rapuissent; tunc Tribuni conatus suos elusos cernentes; mox dupplum suorum Numerum deinceps eligendum, item *Aventinum* montem plebi concedendum postularunt; quo licet uno obtento, tamen ob castigatum Viatorem turbae sunt renovatae; quibus in adjunctis *Icilius* Tribunus Plebis, populo non modo *Aventinum* montem, sed etiam ipsius Senatus convocandi potestatem Tribunorum Ple-

*a*) Livius. Dec. 1. L. 3. c. 7. *b*) Liv. L. 3. c. 10. Dionys. L. 10. p. 619. seqq.

Plebis Collegio assertam extorsit. Quo triumpho *Icilius* non contentus, ipsos etiam Consules ad Carceres conjiciendi jus Tribunis vindicare conabatur; sed hoc a populo nequaquam probato, id solum obtinuit: ut Legati Athenias mitterentur, ad Graecorum, imprimis *Solonis* Leges accersendas, *a*) qui reduces *Legibus XII. Tabularum* scribendis occasionem dederunt.

Utprimum Romanorum Legati ex Graetia domum redivissent, mox Romanae reip. forma mutata est; nam a. U C. 303. Decemviri uti legum ferendarum causa sine provocatione erant creati, ita pro duobus Consulibus novum Magistratum summa potestate praeditum obtinueruut: *b*) qui initio tam Senatus, quam populi favorem sibi conciliantes, primo decem Legum Tabulas ex domesticis et externarum Nationum legibus conscripserunt, ac a Senatu adprobatas, Romano populo observandas proposuerunt; quibus anno post, duas Legum Tabulas de voto electionis adjecerunt. Verum *Decemviri* brevi in totidem Tyrannos sua potestate abusi adeo degenerarunt, ut nonnisi altera plebis ad Sacrum montem secessione in ordinem redigerentur; quare etiam Tribuni Plebis et Consules a. U. C. 305. denuo restituti: cui novae mutationi occasionem dedit *Appii Clau-*

---

*a*) Dionys. L. 10. Liv. L. 3. c. 13. p. 218. *b*) Liv. L. 3. c. 14. Dionxs. L. 10. p. 684. seqq.

*Claudii* libidinosa cupiditas, qua *Virginiam* per vim violare nitebatur. *a*) Interim non multo post Senatum inter et populum novae dissensiones enatae sunt; quibus per *Quinctium* sopitis, multi de plebe conqueri coeperunt, quod a Patriciis indigne contemnantur, imo a promiscuo quoque connubio et Consulatu adipiscendo inique arcerentur; quare Tribuni plebis, legem connubia inter Patritios et plebeos vetantem, e XII. tabulis eradi, et ad Consulatum perveniendi facultatem postularunt: cui postulato Senatus se aliquamdiu opponens, tandem post varias altercationes, legem quoad promiscua Matrimonia constabilivit: *b*) ne tamen Consulatus cum plebe communicaretur *Tribuni Militum* consulari potestate Romae creati sunt primo terni, dein quaterni, usque ad sex, idque per annos 70. Eodem fere tempore a. U. C. 311. etiam *Censores* ad censum agendum creati sunt. Interim pace, legibusque optime ordinatam Romanam remp, brevi vehementer intertubarunt *Vejentes*, quos una cum sociis *Fidenatibus* magna clade repressit *Mamercus Aemilius* Dictator, qua occasione *Cornelius Cossus* Tribunus militum, *Tolumnio* Vejentium rege caeso, spolia opima Jovi Feretrio alter ab *Romulo* tulit; qua vice Vejentibus etiam 20. annorum induciae sunt concessae: *c*) qui-

---

*a*) Liv. L. 3. c. 16. alias c. 36. Dionys. L. 10. et 11. Florus. L. 1. c. 24. *b*) Livius. L. 4. c. 1. Flurus. L. 1. c. 25. *c*) Liv. L. 4. c. 17. seqq.

quibus necdum exactis, denuo bellum, recruduit, quare Romani valido exercitu Vejos oppugnatum iverunt; qua occasione Romani milites et stipendium ex publico acceperunt, et ingruente hyeme Urbs obsideri coepit, quae etiam post decem annos, seu U. C. 358. a *Camillo* Dictatore capta est; qui etiam Faliscos antea armis resistentes, nunc fide et justitia victos in deditionem accepit: *a*) cujus Viri triumphum haud leves contentiones exceperunt partim spoliorum causa, quorum partem ad *Camilli* votum explendum ejus milites restituere jubebantur; partim vero quod dimidiam partem Civium Romanorum, prout *Licinius* Tribunus plebis postulabat, Vejos transponi Senatus negaret. Qua tempestate licet Senatus populum septem jugeribus agrorum donis placasset, modo in Urbe Romana maneret; et *Camillus* ipse plures victorias de Faliscis reportaret; nihilominus tamen *Camillus* spoliorum sibi detentorum reus, coram populo a Tribuno plebis proclamatus, ut Sinistram sententiam evitaret, *Ardeam* in exilium abscedere debuit. *b*) Interim ipsa victrix Roma brevi post a gravissimis hostibus Gallis Senonensibus fere deleta erat, cujus origo est haec: quum Galli senones (qui Italiae Alpes adhuc *Tarquino Prisco*

*a*) Liv. L. 4. c. 33 36. seqq. et L. 5. c. 19. seq. Florus. L. 1. c. 12. n. 8. Aurel. victor. c. 23. n. 1. *b*) Liv. L. 5. c. 32. Plutarchus in Camillo.

*sco* regnante, Tuscis inde pulsis occupaverant, quae postea Gallia Cisalpina dicta est,) nunc contra Clusinos bellantes plane ipsam Urbem obsiderent; mox Romani ad hostes hos invicem conciliandos, tres *Fabios* suos Legatos in Clusinum Urbem miserunt, a. U. C. 363. verum hi Legati qui pacem componere debuissent, se Clusiensibus contra Gallos duces praebuerunt; quibus Galli tamquam Juris Gentium violatoribus vehementer offensi, mox sibi hos legatos extradari petierunt, quod Romani facere renuentes, imo electis Tribunis militum Gallos armis frangendos decreverunt, quibus apparatibus Galli magis irritati, in Romanos arma verterunt, eorumque copiis ad *Alliam* fluvium caesis, Urbem Romam *Brenno* duce invadunt, captam succenderunt, a. U. C. 365. imo ipsum Capitolium, quo se flos civitatis receperat obsederunt. *a*) Quo tempore peritura fuisset Romana respublica, nisi *Camillus* Ardeae exulans, in hac extrema calamitate, quorumdam dexteritate iterum Dictator creatus fuisset: et nisi *Manlius* ibidem exstitisset ad clangores anserum; certo clam ab invadentibus Gallis captum fuisset Capitolium; tandem invalescente fame pax post septem menses redemta est ea lege: ut mille pondo auri Gallis penderent Romani, item ut Galli Urbe et agro Romano ex-



*a*) Livius. L. 5. c. 19 — 24. p. 409. — 423. Diodor. L. 14. p. 453. Plutarch. in Camillo. p. 137. seqq.

cederent. Alii vero dicunt: *Camillum* comparato exercitu Gallos Urbe ejecisse, eosque pro solvenda obsidione aurum ad iniqua pondera exigentes, ferro domuisse. Ceterum id constat, quod *Camillus* triumphans Urbem inierit, populum Romanum Vejos demigrare cogitantem Romae retinuerit, atque ad Urbem recreandam omnia adhibuerit; quapropter etiam *Romulus* ac Pater Patriae appellari meruit. Interim *Manlius* ob servati Capitolini decus, (a quo et *Capitolini* nomen acceperat,) arrogantia elatus, dum a. U. 370. per ambitionem ac popularem gratiam regnum affectaret, ex illo ipso, quod erat tutatus, Tarpejo saxo dejectus est; *a*) quo tempore prohibebatur: nequis patricius in Capitolio habitet, et ne quis Manliae gentis, *M. Manlius* vocetur. Post quod factum magna Patricios inter et Plebejos, de altero Consule ex plebe creando contentio fuit; de qua re legem *Licinius Stolo*, et *Lelius Sextius* Tribuni plebis a. U. 377. promulgarunt, cui quum acerrime restitissent Patres, nullum Curulem Magistrum passi sunt fieri Tribuni; quo facto Romae quinque annorum anarchia fuit: donec tandem pervicisset plebs, ut a. U. 387. primus e plebe Consul esset *Lelius Sextius*; nobilitati vero Praetor datus est, qui jus in Urbe diceret. *b*) Aediles Curules duo qui ludos facerent.

*Bel-*

---

*a*) Liv. L. 5. c. 27 — 30. alias. c. 47 — 55c p. 428. — 441. idem L. 6. c. 12. p. 470. seqq. Manlius reus judicatur. *b*) Liv. L. 6. c. 27. p. 507. seqq.

*Bellum Samniticum, Gallicum, Tarentinis.* Dum in Asia a *Philippo*, ejusque filio *Alexandro* M. omnia bellis et tumultibus miscerentur, Athenis vero studia bonarum artium vigerent, Romae quoque artes bellicae enituerunt; quare etiam Romani longe graviora bella cum *Samnitibus* et aliis gerere potuerunt; quibus Romana virtus se ad orbis dominatum exercuit. Nam praeter Hernicos, Tiburtinos, Tarquiniens. et Faliscos, *a*) maxime diuturnum, ac prae aliis formidolosum gestum est bellum *Samniticum* quod hoc intervallo aliquoties repetitum, ac accerrime sustentatum erat, (pro *Campanis*, qui se suaque omnia populo Romano tradiderunt;) donec a. U. C. 433. decretorio praelio ad *Caudinas Furcas* commisso, Romanae copiae tam infami clade attritae fuissent, ut totus Romanus exercitus cum utroque Consule sub jugum mitteretur. *b*) Verum eam infamiam sequente anno majori Samniticum clade ac pari ignominia rependit *Papyrius* Fortissimus Imperator, per quem vicissim sub jugum una cum *Pontio* eorum duce missi sunt. Quod bellum licet ita prospere gereretur, ac fere profligatum videretur; tamen a. U. 442. iterum novi hostes eruperunt XII. Hetruscorum populi, qui agentibus Latinis in perniciem Romano-



---

*a*) Liv. L. 7. c. 6. seqq. — 22. *b*) Liv. L. 9. c. 1. — 12. Florus. L. 1. c. 16. n. 9. Eutropius. L. 2. c. 7.

norum incubuerunt; qui tamen biennio post a *Fabio* Consule magno praelio victi, inducias 3o. annorum obtinuerunt; quibus brevi violatis, quum *Fabius Maximus Gurges* sinistre contra Samnites pugnasset mox ejus Pater omnemrem restituit adeo: ut *Pontius* Samnitum dux in triumphum ductus securi perculeretur. *a*) Interim Galli, quod ipsorum fines Veneti depraedarentur, pace cum Romanis inita, urbem restituentes domum rediverunt, ubi dein bello intestino distenti, demum Romanas terras infestare coeperunt, qua vice licet *Manlii Torquati* fortitudine, (qui Gallum eximiae proceritatis in oculis utriusque exercitus ex provocatione occidit, et torquem ejus sibi induens, ex eo *Torquatus* dici meruit.) aversi essent; tamen anno proximo Tiburtinis juncti, usque Albam pervenerunt; contra quos non modo *Servilius Ahala* Dictator feliciter pugnavit, sedet *Camillus* Dictator post duodecim annos magna clade profligavit: qua occassione *Valerius* Gallum pari magnitudine ex provocatione obtruncavit corvi praesidio, qui in ejus galea insidens, hostem alis et rostro terruerat, unde ei *Corvini* cognomen inhaesit; quibus Romanorum fortitudinibus territi Galli, mox foedus in 3o. annos protractum composuerunt. *b*) Quibus vix evolutis, Galli cum Hetruscis mox Ro-

---

*a*) Liv. L. 40. c. 47. Eutrop. L. 2. c. 7. *b*) Liv. L. 7. c. 6. — 9. Polyb. L. 2. p. 106.

Romanorum agros devastantes, quum in reditu de praedis contenderent, magnam suorum partem amiserunt; quare quarto post anno iterum Samnitibus et Etruscis juncti; licet Romanis damna intulerint, tamen postquam *Decius* exemplum patris secutus, se pro exercitu populi Romani devovisset, Galli cum sociis pene deleti sunt. Quibus sinistris eventibus Galli non quiescentes, denuo a vicinis Brutiis, Lucanis, Samnitibus animati, *Aretium* obsidentes, inibi multos cum *Lelio Caecilio* occiderunt, quorum caedem brevi *Dolabella* pari clade vindicavit. Quo rerum successu ne Galli eorumque socii vires gratis prodigerent, pacem a Romanis petentes obtinuerunt. *a*) — Vix erat bellum Samniticum extinctum, jam aliud nempe Tarentinum ob violatos populi Romani legatos excitatum est, circa a. U. 473. ad quod feliciter gerendum missus est *Aemilius Barbula*, qui etiam Tarentinos una cum sociis memorabili acie profligavit, cujus infelicitate territi foederati, mox *Pyrrhum* in auxilium ex Epiro evocarunt; qui etiam initio Romanos elephantis territos vicit, et rempublicam Romanam ad angustias redegit. Hoc bello *Curii* et *Fabricii* Conss. integritas ac virtus maxime enituit. Tandem sexto belli anno, *Papyrius* praelio

---

*a*) Polyb. L. 2. p. 108. Livius. horibile bellum quo Decius junior se devovit. refert. L. 10. c. 19. alias c. 28. p. 767. seqq. Vellejis Paterculus. L. 1. Florus. L. 1. c. 16.

lio decretorio devictum *Pyrrhum* Italia expulit, Tarentinis sponte deditionem facientibus libertatem restituit; Samnium vero adeo delevit, ut XXX. triumphorum vestigia amplius ne quidem apparerent. a. U. C. 482. Quibus omnibus feliciter confectis, tota Italia in potestatem Romanorum devenit. *a*)

II. *Bella externa* Romanorum erant; uti tria *Punica*. Duo bella *Macedonica*. Bellum *Syriacum* cum *Antiocho M.* Bellum *Achaicum*. Item bella triumphis insignia uti cum *Viriatho* in Lusitania; cum *Numantinis* in Hispania; cum *Servis* in Sicilia; cum *Jugurtha* in Numidia et cum Kimbris, Helvetiis sociisque Italicis; et quidem:

I. *Bellum Punicum*. Domita subactaque tota pene Italia, in dies magis se effere coepit Romana potentia, prout mox in bello primo Punico apparuit; cujus evolutio est haec: *Hiero* a Syracusanis primum Praetor creatus, dein etiam rex salutatus, mox *Mamertinos* qui Messanam Urbem jam occupaverant, bello lacessere coepit. Hi itaque *Mamertini* variis populationibus agitati, mox nonnulli Romanorum, alii vero Carthaginensium Auxilia implorarunt; quibus in adjunctis Romani metuentes ne hac occasione Carthaginenses tota Sicilia potirentur, mox

*a*) Bellum Tarentino Epiroticum refert Florus. L. 1. c. 18. Paul. Orosius. L. 4. c. 1. Plutarch. in Pyrrh. p. 399. seqq. Pausan. L. 1. c. 13.

mox habito consilio, Mamertinis sociis contra *Hieronem* et Carthaginenses, Consule *Appio Claudio* Copias in Siciliam transmittunt, *a*) et bellandi initium datum est, a. U. 490. *Causa* belli fuit utriusque Civitatis ambitio, ac mutuo suspecta et formidolosa potentia, *Carthago* enim Romae aemula, saepius de principatu contendebat, quae civitas tunc temporis emporium celeberrimum, opibusque per mercaturam insigniter auctum, longe lateque arma circumferre coepit, nam non solum magnam Africae finitimae partem sibi vectigalem fecit, sed ingentes etiam copias in Siciliam, Sardiniam, et Hispaniam misit; unde bella necessario oriri debebant, ex quibus dein Roma gradum fecit ad Orbis imperium. Bellum hoc sat diu ancipiti fortuna protractum est, et quamvis dein *Hiero* Romanorum virtutem expertus, pacem composuerit; *Poeni* tamen mari, Romani vero terra victores existiterunt. Verum postquam anno belli quarto observatum fuisset praecipuam Poenorum vim in navibus esse, quibus hactenus Romani caruerunt, mox, exstructa 120. navium classe *Duilius* Consul victoriam triumphumque navalem de Poenis primus reportavit: tum *Sardinia* per *Manlium* expugnata *b*) omnium prima Romanorum provincia facta est, cui etiam

---

*a*) Livius. Epit. L. 19. Florus. L. 2. c. 2. Polyb. L. 1. c. 49. — 51. *b*) Epitome Liv. L. 20. Polyb. L. 1.

etiam *Corsica* accessit et *Illyricum. a*) Post haec *Attilius Regulus* bellum in Africam transferens, mox *Tuneto* alliisque Poenorum civitatibus captis *Carthaginem* obsedit, sed ibi a *Xantippo* Lacedaemoniorum duce qui Poenis auxilio venerat, victus in potestatem hostium venit; cujus egregia virtus longe amplius in hac calamitate, quam in victoria enituit: nam postquam anno belli 14. *Cecilius* Consul, victo feliciter ad *Panormum Asdrubale* rem restituisset; idem captivus *Attilius* a Carthaginensibus Romam missus est ut de redimendis captivis et pace tractaret: qui rem sibi quidem et suis salutarem, ast Patriae inutilem omnimodo disvasit, imo ipse ne hosti datam fidem falleret, mox Carthaginem reversus, omni cruciatu necatur. Interim bellum hoc variante fortuna aliquamdiu ductum erat, donec anno belli 23. *Lutatius* Consul navali praelio Carthaginensium opes fregisset ad *Aegatem* insulam, quibus etiam pacem petentibus, his conditionibus dedit: ut Sicilia, Sardinia aliisque insulis excederent, captivos sine pretio dimitterent, et tributum bis mille ducenta talenta per 20. annos, et quidem mille sine mora populo Romano penderent. *b*) Ita bellum I. Punicum 23. Anno confectum est a. U. 513. qua occassione etiam Jani templum clausum erat:

---

*a*) Polyb. L. 2. c. 8. seqq. quia *Teuta* regina Legatos Romanorn laeserat. Item Florus. L. 2. c. 5.
*b*) Polyb. L. 2. c. 28. Florus. L. 2. c. 4.

erat: sed paulopost iterum apertum, quoniam Ligures, Illyrii, Insubres, et Galli denuo bellum movissent, qui tamen omnes feliciter debellati et subacti sunt. *a*) Qua occasione *Marcellus* Consul *Virodomaro* Insubrum rege ociso, tertius ab *Romulo* Jovi Feretrio opima spolia tulit. *Hiero* autem rex Siciliae maximam vim frumenti Romanis subministravit, cujus pretium confecto bello, cum faenore recepit.

*Bellum Punicum II.* a. U. 534. in omni Historia vetere gravissimum, cladium atrocitate priore terribilius, per annos 18. in Italia, Hispania, ac Sicilia gestum, tamen in Africa confectum est. *Causa remota* belli fuit utriusque gentis aemulatio, imprimis autem stimulabat Carthaginensium animos amissa Sicilia, et injuste ademta Sardinia, item impositum vectigal; quae omnia *Amilcar* Carthaginensium Imperator moerens acceperat, qui compositis in Africa rebus, de bello Romanis inferendo continuo cogitabat; interim autem in Hispaniam missus, secum et filium *Annibalem* novem annos natum acceperat, quem ad aram ductum jurare jussit, quod nunquam cum Romanis amicitiam colere velit. Post haec *Amilcar* magnas res in Hispania gerens moritur, cui *Asdrubal* ejus gener succedens, rem Poenorum multum auxit; sed paulo post a Gallo quodam caesus successorem habuit *Annibalem*, qui a. U.

533.

---

*a*) Florus. L. 2. c. 4.

533. aetatis suae anno 26. dux constitutus, intra biennium omni Hispania quae cis Iberum erat paccata, mox *Saguntum* amicam Romano populo Urbem a. U. 535. delevit: *a*) quo ex facto conflatum est bellum II. Punicum, quo Romani in tanta inciderunt pericula, quanta nunquam antea subierant. *Annibal* enim Carthaginensium dux, *Asdrubale* fratre cum exercitus parte in Hispania relicto, stupendo itinere per Alpes viam sibi muniens primus in Italiam profectus, Romanorum exercitum quatuor memorabilibus praeliis in miseras angustias redigit; etquidem I. ad *Ticinum* sibi occurrentem *Cornelium Scipionem* profligavit. II. *Sempronium* ad *Trebiam* vicit. III. Ad lacum *Thrasymenum* deteriore exitu *Flaminium* cum exercitu debellavit. *b*) Quo in periculo *Fabius Maximus* Dictator creatus, hostem victoriis exultantem cunctando reprimere instituit, unde etiam *Cunctator* appellatur. *c*) Omnium tamen atrocissima fuit IV. clades ad *Cannas* Apuliae vicum, a. U. 538. qua clade *Terentii Varonis* temeritate eveniente; adeo consternati erant Romani, ut epulari intra quintum diem in Capitolio potuisset *Annibal*, si ita uti victoria, si-

*a*) Polyb. L. 3. c. 16. 17. Liv. aliter annos refert. L. 21. c. 7. seqq. Flor. L. 2. c. 6. *b*) Ad Ticinum. Liv. L. 21. c. 40. seqq. Ad Trebiam. Liv. L. 21. c. 53. seqq. Ad Thrasymenum. Liv. L. 22. c. 4. 5. 6. *c*) Flor. L. 2. c. 6. Plutarch. in vita Fabii.

sicut vincere didicisset, hic enim 45. et amplius civium Romanorum millia caesa sunt, praeterea *Aemilius Paulus* Cons. et 75 Senatores, Equitum vero tanta multitudo, ut aureorum annulorum modius Carthaginem mitteretur. *a*) Hanc victoriam sequebatur sociorum defectio; qua occasione *Annibal* magna Graecia et Capua potitus est, sed infeliciter; quia *Capuae*, *Cannas* invenit. Nam *Capuam* digressus, exercitum suum antea Alpium et Apennini nivibus indomitum, nunc *Capuae* deliciis et luxuria summopere enervabat; imo ipsius *Annibalis* virtute, Campanis deliciis emolita, *M. Claudius Marcellus* ad *Nolam* felici praelio commisso docuit, *Annibalem* posse superari. *b*) Ceterum licet mutata fuerit belli fortuna, tamen in Sicilia res turbari coeperunt in perniciem Romanorum. Cujus rei evolutio est haec: *Hiero* ex privata fortuna adhuc a. U. 485. Syracusis regnum adeptus, mox relictis Carthaginensium partibus, cum Romanis societatem inivit, quam etiam quinquaginta et amplius annis magna fide coluit, qui ve suis a comitate et clementia gratus, feliciter 54. annis regnavit; ac paulo ante *Gelone* filio extincto, ipse etiam a. U. 559. mortuus, regni haeredem reliquit nepotem suum *Hieronymum* ex *Nereide Pyrrhi* Epirotarum

---

*a*) Liv. L. 22. c. 44. seqq. omnia fuse apud Polybium. L. 3. Flor. L. 2. c. 6. *b*) Livius. L. 23. c. 16. Plutar. in vita Marcelli.

rum regis filia natum; qui juvenili aetate et pessima indole diversam ab avo viam ingressus, ad *Annibalem* desciverat; ob quam infidelitatem *Marcelius* consul ei bellum intulit; et quamvis ille post tredecim menses suorum conjuratione caesus fuerit, Syracusani tamen ejus institutum secuti rebellarunt; quare *Marcellus* Cons. a. U. 540. Urbem Syracusas non minus *Archimedis* ingenio ac in bellicis machinis struendis solertia, quam civium armis defensam, quum frustra oppugnasset; tandem tertio anno securitate et luxuria victam noctu de improviso cepit, ubi victoriae gloriam auxit moderatio victoris, urbi enim et civitati pepercit; *Archimedi* vero, qui in prima militum irruptione studiis suis intentus, ab ignoto milite interfectus erat, quoniam vivo prodesse non poterat, honorem habuit mortuo, propinquis ejus pecunia adjutis. Tandem *Laevius* siculis paccatis, Siciliam populi Romani provinciam fecit. Quo tempore in Hispania *Scipiones* fratres, post res magnas ibidem gestas, a Celtiberis mercenariis destituti, deleto exercitu ambo ceciderunt: quas tamen res jam jam perditas utcunque restituit *Lelius Martius* Eques Romanus, cujus ductu brevi omnia hostium castra sunt expugnata, imo eo tempore etiam Tarentum captum, Capua vero in Praefecturam redacta est. Qua tempestate non major Romanos Italiae, quam Hispaniae cura tenuit, quare convocatis comitiis, mox *Cornelius Scipio*, *Publii*

*blii* nuper in Hispania caesi filius, 24. annos natus Proconsulatum obtinens, officii exequendi causa dimissus, Carthaginem novam, ubi totius Hispaniae obsides asservabantur cepit; ac maximis rebus gestis tam temperantia, quam victoria, post quinque annos Carthaginenses cum *Asdrubale* tota ejecit Hispania, eamque in continenti primam fecit provinciam; inde victricibus armis in Africam profecturus, foedus cum *Massinissa* Masaesulorum rege fecit. — Interim in Italia *Marcellus* quinta vice Consul, postquam aliquot praeliis cum *Annibale* depugnavisset, tandem ejus insidiis oppressus vitam finivit. Verum sequente anno *Claudius Nero* venientem in Italiam *Asdrubalem* ad conjungendas cum *Annibale* fratre vires et copias, ad *Metaurum* fluvium tanta oppressit clade, ut Cannensis clades hosti reddita videretur: nam de caesorum Numero etsi satis non constet, denique caput *Asdrubalis* ante Stationes Poenorum ab *Nerone* projectum, triste acceptae cladis indicium *Annibali* fuit relictum: qua ille specie perculsus, in Italiae angulum ad Brutios se recepit. Quo facto *Scipio* paccatis in Hispania rebus a. U. 549. bellum in Africam transportandum statuit; *a*) ubi postquam quadraginta dierum spatio *Uticam* urbem obsedisset, per hyemem adventantem captata occasione *An-*

---

*a*) Scipio dein Africanus dictus, Livius. L. 26. c. 42. seqq.

*Annonem* Poenorum ducem cum exercitu delevit, *Syphacem* vero Numidiae regem Poenorum socium acie victum cepit. Qua infelici tempestate *Annibal* a Carthaginensibus revocatus, relicta Italia anno belli XVII. in Africam redivit signa cum *Scipione* collaturus, sociis prius qui eum sequi nollent partim occisis, partim in servitutem abductis; ubi dum frustra per colloquium pacem tentasset, *a*) tandem acie congressus, a *Scipione* victus, castris exutus, ac rebus desperatis ipse in Asiam profugit: atque Carthago ita domita, et a. U. 550. subacta est; *Scipio* vero ex Africa cum triumpho, Africani cognomen deportavit, primus nomine devictae a se gentis nobilitatus, demum pacis leges satis ignominiosas Carthaginensibus sequentes dictavit: *b*) Ut deinceps liberi quidem suis legibus vivant, sed Elephantes, navesque bellicas praeter decem omnes tradant; praeterea bellum extra Africam nemini inferant, imo nec in Africa quidem sine consensu populi Romani gerant: item ut X. Millia talenta in 50. annos pendant; *Massinissae* vero omnia sua restituant. Atque sic bellum II. Punicum XVIII. belli anno finitum est.

*Bel-*

---

*a*) Fuse omnia Livius. L. 30. c. 30. Florus. L. 2. c. 6. *b*) Leges pacis legantur apud Livium. L. 30. c. 37. Item Silium Italicum. de bello secundo Punico. Libris 17. Plutarchus in Fabio. Marcello, et Annibale.

*Bellum Punicum III.* Tandem Carthaginenses non modo simplici rerum suarum damno, sed et exitio, Romanorum odia expiarunt per bellum III. Punicum, cujus quaesitus color erat ex *Massinissa* rege, in cujus gratiam Poeni non tantum pecunia et agro mulctati sunt, sed etiam de sententia *Marci Catonis Censorii* (qui sententiis omnibus adjicere solebat: *delenda Carthago*) decretum erat funditus delere Carthaginem. *a*) Itaque Carthaginenses neglectis foederibus, a. U. 605. oppugnari coepti, ac mox decem ab mari passuum millibus sedem ponere jussi sunt. Quo superbo mandato in saniem desperationemque versi, supra vires restiterant, donec quarto belli anno, a. *Scipione Aemiliano* debellati deditionem fecissent; qua occasione expugnata, imo 17. dierum incendio deleta est Carthago a. U. 608. *b*) Sub initium hujus belli *Massinissa* amicus Romanorum relictis 44. filiis mortuus est; ad cujus morientis extremum spiritum excipiendum missus est a *Manlio* Consule *Scipio* qui etiam regnum inter ejus filios divisit. *c*)

*Bellum I. Macedonicum.* A. U. 554. Romani indixerunt *Philippo* Macedoniae regi statim-

---

*a*) Appian. Pun. p. 38. seqq. Vellej. Patercul. L. 1. c. 12. *b*) De excidio Carthaginis. ap. Liv. Epit. L. 49. — 51. Vell. Pater. L. 1. c. 12. Flor. L. 2. c. 15. Plut. in Catone Majore. Anton. Bandinelli. in vita Scipionis Africani Junioris. c) Appian. Pun. p. 63.

tim post bellum II. Punicum, ob veteres injurias Patribus illatas, item ob missa ante biennium Poenis auxilia, nec non sociorum querelas imprimis Atheniensium, qui variis modis pressi ad Romanos confugerunt. *a*) *Philippus* interim foedere cum *Antiocho* Syriae rege dudum inito confisus, graviter Abydenos oppugnare coepit; ceterum commissis variis praeliis, bellum hoc, postquam *Philippus* ad *Cinoscephalas* Thessaliae oppidum a *Quinctio Flaminio* debellatus fuisset, a. U. 557. ita feliciter finitum est: ut Graecis omnibus restituta libertas per Isthmiorum ludos festiva solemnitate pronunciaretur. *b*)

*Bellum Syriacum* cum *Antiocho M.* Syriae rege, a. U. 552. *causam* bello dedit *Antiochus*, qui occupata jam Coele-Syria, devictoque duce *Scopa*, eo intendebat: ut etiam Graecas Asiae civitates paccaret, et bello in Europam translato Thraciam quoque sibi vindicaret. Verum Neutrum placebat Romanis planum, ideo missa legatione, a propositis suis abstinere jussus est; interim his non obstantibus *Aetoli* exasperatis animis *Antiochum* ad arma in Graeciam transferenda solicitabant; quem utcunque nutantem, amplius adhuc ad bellum suscipiendum permovit *Annibal*, qui Romanorum viribus antea territus ad eum confugerat. Istorum ita-

*a*) Liv. L. 30. et 31. Justin. L. 30. c. 3. *b*) Liv. L. 33. c. 32. Polyb. Legat. L. 9. p. 798.

itaque impulsu *Antiochus* composita cum *Ptolomaeo* pace, cui etiam filiam *Cleopatram* in matrimonium cum dote Coele-Syria pollicitus est, tandem Romanis a. U. 562. intulit bellum, in triennium protractum, quo tempore *L. Scipio* in Africam missus, *Antiochum* decretorio praelio victum pacem petere coegit ea lege: ut Romanis XII. millia talenta penderet, omnemque Asiam cis Taurum montem consignaret. Victo ita *Antigono*, *a*) brevi etiam Aetoli a *Fulvio* Consule; Gallograeci vero a *Manlio* Consule subacti sunt.

*Bellum II. Macedonicum.* A. U. 584. Cujus belli evolutio est haec: *Philippus* Macedoniae rex jam bello primo a Romanis antiquis regni sui finibus inclusus, ut ignominiam acceptam detergeret, omnem operam ad novum Romanis bellum inferendum contulit, cui tamen destinationi mors finem fecit: qui duos reliquit filios *Perseum* et *Demetrium*. *Demetrius* apud Romanos aliquot annis obses vixit gratissimus, quem tamen pater Romanorum amicitia et fratris calumniis summe suspectum, morte affecit: quapropter alter filius nempe *Perseus* Macedonum rex factus, et paterni odii in Romanos heres, bellum Romanis indixit: quod nonnisi anno quarto Macedonibus ad *Pydnam*

d vi-

---

*a*) Liv. L. 23. c. 19. seqq. item. L. 37. c. 34. — 45. Polyb. L. 17. p. 769. Justin. L. 31. c. 3. Joseph Flav. antiq. L. 4. §. 1. seqq.

victis finiebatur, qua insigni victoria a. U. 568. regnum Macedonicum exstinctum, Romanorum provincia evasit, anno regiminis *Persei* XI. qui a Consule *Paulo Aemilio* victus, *a*) et in triumphum abductus est. Post cujus occasum, reliquis etiam Gentibus, Romanis parendi necessitas imposita fuit: imprimis Illyriorum rex *Gentius* a *Perseo* in societatem periculi inductus, captus fuit. Quo facto deinceps Romanis servire neminem puduit. *b*)

*Bellum Achaicum.* A. U. 607. cujus *causa* erat Achaeorum potentia dudum Romanis suspecta. Evolutio autem belli est haec: Lacedaemonii ad primaevam libertatem adspirantes, missa Romam legatione a Senatu petierunt, ut eis a societate Achaeorum sejunctis, liceat deinceps res proprias habere et curare! ad quam Legationem Senatus, non tantum Lacedaemonios, sed etiam Corinthum, Argos, Heracleam, et Archadas a suo corpore separari jussit, qua innovatione repente tanta exorta est seditio, ut cunctos peregrinos, et vel maxime Lacedaemonios quaquaversum interficerent, imo Corinthii legatos Romanorum contumeliis affectos pulsarent; Achaeos vero sibi socios belli adjungerent: quibus de causis bellum ipsis formida-

*a*) Liv. L. 45. c. 32.—46. Vell. Pater. L. 1. c. 9. Justin. L. 33. c. 1. Flor. L. 2. c. 12. Plut. in Aemil. Paulo. *b*) Liv. L. 45. c. 29.—40. Plutarch. in Aemil. p. 271. seqq.

dabile denunciatum, ac *Metello* gerendum delatum est: a. U. 607. a quo duobus praeliis ad *Thermopylas* et *Chaeroneam* initio statim victi; ex alia vero parte a *Mummio* Consule Achaja in deditionem accepta, et celeberrima Urbs *Corinthus* incendio funditus deleta est. *a*) Qua nobilissima victoria relata, mox e Sententia decem Legatorum, sublatis Graecorum conciliis decretum est: ut quotannis Praetor juris dicundi causa a Romanis in Graeciam mitteretur; et tota deinceps Graecia nomen Achajae accipiat. *b*) Porro hujus belli contagione Thessalia quoque et Epirus Imperio Romano adjuncta est.

*Bellum Lusitanicum.* A. U. 603. Interea in Hispania Lusitani duce *Viriato* Romanos magna clade profligarunt; contra quos brevi non sine magna perfidia usus erat *Servilius Galba* Praetor; quo in periculo *Viriatus*, quem Scriptores ex Latrone Imperatorem factum scribunt; Lusitani vero tamquam Servatorem suum profitebantur; gentem ad capienda contra Romanos arma concitavit; brevique *Vitellium* Romanorum Praetorem fusis ejus copiis captum trucidari jussit, aliosque Praetores feliciter profligavit; quem tandem mutata fortuna primo *Laelius* Praetor, dein *Fabius Maximus Aemilianus* Proconsul restituta militari discipli-

d 2 na,

*a*) Pausan. L. 7. c. 15. seqq. Liv. Epit. L. 52. Flor. L. 2. c. 16. n. 2. — 7. Vell. Pater. L. 1. Justin. L. 34. c. 2. Pausan. in Achaicis. *b*) Pausan. L. 7. c. 16. Vell. Pater. L. 1. c. 13.

na, decretorio praelio devicit; demum *Maximus Servilius* Consul fusum et fugatum a. U. 612. in Lusitaniam compulit, qui tamen brevi a *Viriato* callide circumventus, pacem dignis conditionibus cum *Viriato* fecit, *a*) quibus interim astute non servatis *Servilius Caepio* repente *Viriatum* agressus, corruptis occulte ejus legatis dolo interfecit; cujus caede, bellum etiam finitum est.

*Bellum Celtibericum, seu Numantinum.* A. U. 615. longe atrocius coortum est. Numantini enim eorumque socii Segidenses e manibus Romanorum elapsi, a *Metello* Proconsule ad obsequium redire, armaque deponere jussi, quum non obtemperassent, gravi bello sunt petiti: qui licet his calamitatibus numero et opibus forent impares, tamen per plures annos fortiter restiterunt; *b*) nam initio statim *Pompejus Aulus* primus e gente *Pompeja* Consul ab iis victus, sequente vero anno *Popilii* Proconsulis exercitus fere deletus, imo et *Mancinus* Consul profligatus ignominiosam pacem facere compulsus est, quam Senatus ratam habere noluit: *c*) ideo cum valido exercitu missus est *Scipio* cu-

---

*a*) Liv. Epit. L. 52. c. 54. Justin. L. 41. c. 2. Flor. L. 2. c. 17. Orosius L. 5. c. 4. *b*) Flor. L. 2. c. 18. n. 4. Liv. Epit. L. 54. 55. Appian. Iber. p. 298. seqq. Vell. Pater. L. 2. c. 1. *c*) Liv. L. 56. seqq. Orosius. L. 5. c. 4. 5. Appian. Iber. p. 301. seq. Eutrop. L. 4. Flor. L. 2. c. 18. Aurel. Victor de Viris Illust. c. 58. 59.

cujus bellica virtus jam in excidio Carthaginis enituerat; cujus etiam ductu Numantini victi et fugati, plurimi vero intra Urbis suae muros obsessi, agnita desperatione mortem sibi consciverunt; quo tempore Numantia ob luxuriem solo est aequata, anno nono quum a Romanis defecisset.

*Bellum Servile in Sicilia.* Dum in Lusitania Romani bello Numantino detinerentur, eo tempore iu Sicilia *Servile bellum* exortum est: cujus causa erat *Eunus* natione Syrus, qui fanatico zelo Servos ad libertatem et arma, simulato Numinum imperio concitabat, quo specioso titulo etiam regium titulum sumens, collectis brevi copiis, victisque quatuor Romanorum Praetoribus, tam formidabile bellum movit, *a*) ut imperio Consulari dignum censeretur: idcirco licet omnis belli cura *Fulvio Flacco* Consuli fuerit delata, tamen nonnisi anno belli quarto, seu a. U. 622. a *Rupilio* Consule profligari potuit. *b*)

*Bellum cum Aristonico*, a. U. 623. cujus evolutio est sequens: postquam *Philometor Eumenis* filius, patruo *Attalo* succedens, odiosum suum imperium quinque annis tenuisset; mortuus regni sui heredem populum Romanum instituit: cujus factum aegre ferens *Aristonicus* *Eu-*

*a*) Liv. L. 56. Flor. L. 3. c. 19. *b*) Idem. ibid. Eutrop. L. 4. Orosius. L. 5. c. 9. Diodor. apud Phot. p. 1164. seqq.

*Eumenis* ex pellice filius; mox Asiam cum foerore invasit, ubi quinque Romanorum Legatos, item *Crassum* Consulem pugna decretoria delevit: quo temerario ausu Asiam depopulatus, non nisi anno sequente 624. a Consule *Perpenna* superari potuit; a quo demum captus et Romam missus usurpatoriam dignitatem amittens, tota Asia in provinciae formam redacta est. Qua occassione cum opibus Asiaticis, etiam vitia Asiatica Romam translata sunt. *a*)

*Seditio Gracchorum.* A. U. 621. Dum foris Romani felicia bella gesserunt, eo tum Romae atrox exorta est seditio, qua *Tiberius Sempronius Gracchus* Rempublicam nimis turbavit: is enim ut Tribunus plebis, lege jam prius lata agraria urgeret, introducereque vellet, ne quis amplius qningenta agri jugera possideret; item ut *Attali* Regis testamento legata pecunia inter cives divideretur, nec non tribunatum ei in sequentem etiam annum conferre vellent; ea re Patricii vehementer commoti, mox necem ei decreverunt; qui etiam a *Scipione Nasica* in Capitolio quo se receperat interfectus est. A. U. 621. Cumque eum *Africanus* jure caesum judicasset; ipse domi suae mortuus repertus est. Demum *Tiberii* frater, *Gracchus* quum idem moliretur, ab *Opinio* Consule in Aventino obtrun-

*a*) Liv. Epit. L. 58. Justin. L. 36. c. 1. Strabo. L. 13. p. 623. seqq. Flor. L. 3. c. 13. Diodor. Excerpt. Valess. p. 370. Plut. Graec. p. 829.

truncatus est; quae violentae caedes initium erant bellorum Civilium, ab eo enim tempore discordiae Civium ferro dirimi coeperunt; *a*) Romanaque arma in Galliam Narbonensem deducta sunt adeo valida, ut novas colonias cum suis juribus ponerent, demtis *Avernis* et *Ruthenis*. Unde Ruthenicae gentis origo cum summa nominis celebritate deduci posset. — — *b*)

*Bellum Jugurthinum*. A. U. 643. invalescentem apud Romanos corruptelam amplius manifestavit. Huic bello causam praebuit *Jugurtha* Numidiae rex, qui postquam *Hiempsalem* et *Adherbalem*, *Micipsae* filios, *Massinissae*, nepotes; et simul suos patrueles regno et vita exuisset; mox Romani necem eorum vindicaturi a. U. 643. contra eum duce *Calpurnio* arma sumserunt: *c*) sed quum *Jugurtha* auro potius quam armis Romanos uno aliove anno expugnasset, tandem tertio anno a *Metello* Consule, antiquae virtutis Duce, praelio fractus, demum a *Mario* Consule debellatus, proditione *Bocchi* Mauritaniae regis, ad quem fugerat, in potestatem victoris veniens, in carcere occi-

---

*a*) Liv. L. 58. Flor. L. 3. c. 14. 15. Plut. in Tiberi. et C. Gracchis. p. 828. seqq. Vellej. Pater. L. 2. c. 2. 3. Flor. L. 3. c. 14. *b*) Liv. L. 60. Flor. L. 3. c. 2. Vellej. Pater. L. 2. c. 10. Val. Max. L. 9. c. 6. *c*) Sallust. de bell. Jugurth. Epit. Livii. L. 62. — 66. Flor. L. 3. c. 1. Eutrop. L. 4. Plutarch. in Mario et Sylla. Orosius. L 5. c. 15. Vell. Paterc. L. 2.

cisus est. Ab hoc tempore fere continuum cum Germanis certamen habuere Romani, a quibus magnas et varias acceperunt clades. Imprimis:

*Bellum Cimbricum et Helveticum.* A. U. 641. et sequentibus. Cimbri et Teutones alioquin gens vaga, et praedas agere adsveta, praeceteris terrori erant Romanis, nam a. U. 641. *Carbonem* Consulem singulari praelio fugarunt; imo cum a Romanis agrum non impetrassent, etiam *Silanum* et *Scaurum* Conss. acie profligarunt; quibus armorum suceessibus animati mox Tigurinis et Helvetiis se sociantes, non modo *Lelium Cassium* Consulem cum toto exercitu deleverunt, sed et Romanos ad turpem pactionem ineundam adegerunt: *a*) quo tempore maxima fuit calamitas *Caepionis*, a. U. 648. Ceterum post multas depopulationes ad Rhodanum et Pyrenaeum commissas, tandem Cimbri ex Hispania a Celtiberis fugati, in Galliam reversi, Teutonis se junxerunt; quos dein *Marius* *b*) Consulatu per plures annos retento, cum aliis barbaris nationibus in Italiam irrumpentes penitus delevit. Ast his bellis perfunctos Romanos, domi foedissimae tempestates exceperunt; quarum initia a Tribunis repetenda sunt; *Lelius* enim *Saturninus* vigore le-

*a*) Liv. Epit. L. 67. seqq. Flor. L. 3. c. 3. Vellej. Pater. L. 2. Eutrop. L. 5. Orosius. L. 5. c. 16. Aurel. Vict. c. 67. de Viris illust. *b*) Plutarch. in Mario.

legis agrariae a Senatu palam postulavit: ut agrum, quem *Marius* nuper pulsis e Gallia Cimbris obtinuerat, inter populum mox dividerent; qui etiam dum *Metellum* et *Rutilium* in legem jurare recusantes exilio mulctavisset, non modo *Marium*, sed et Senatum in se concitavit adeo: ut exorto tumultu una cum *Druso* trucidaretur. *a*)

*Bellum sociale* seu *Marsicum*. A. U. 663. de jure Civitatis concitatum est; cujus causa Romani foris et in Italia difficillima gesserunt. Plerique enim Italiae populi, uti *Marsi*, *Picentes*, *Peligni*, *Samnites*, *Lucani* et alii, *Druso* interfecto, indigne ferentes se laborum et periculorum antea participes, nunc a communione imperii et honoris excludi; imo nec Senatum promissa praestitisse; qua propter quod jure obtinere non poterant, armis extorquendum statuerunt: et quidem descripta prius nova reipublicae forma, dum per *Ferias Latinas* Consules *Philippum* et *Caesarem* interficere conarentur, re mature detecta, palam deficientes, mox cum illis varia fortuna dimicarunt: *b*) contra quos praecipuum victoriae decus *Pompejus Strabo* meruit, qui facta eruptione ex Urbe *Firmo*, Italos *Asculum* fugavit; sequente vero anno Consul factus, duce *Sylla* aliisque, ad

---

*a*) Epith. Liv. L. 69. Plutarch. in Mario. *b*) Liv. Epith. L. 71. seqq. Flor. L. 3. c. 18. Eutrop. L. 5. Aurel. Vict. c. 63. seqq. de viris illustr. Appian. de bell. Civili. Orosius. L. 5. c. 18.

ad deditionem redigens, plene de iis triumphavit; ea lege: ut Italiae populis, Romani Jus Civitatis conferrent. Bellum hoc *Marsicum* 300. et amplius Millia juventutis Italicae absumsitquo tempore etiam longum et difficile bellum Mithridaticum oriebatur.

*Bellum Mithridaticum.* A. U. 663. et sequentibus. Cujus evolutio est haec: *Mithridates* ex *Achaemenidarum* stirpe, in Ponto regnantium hoc nomine septimus, in ipsa jam juventute variis casibus illustris, *a*) post victoriam de Scythis relatam, *b*) totam Asiam supprimere tentabat: cumque *Nicomedes* Bithyniae, et *Ariobarzanes* Capadociae Reges, per eum regnis suis pulsi, Romanorum Auctoritate regna sua recuperassent; imo conniventibus Romanis *Mithridatem* armis lacesserent, his injuriis provocatus, simul et bello sociali quo premebantur Romani, animatus Cappadociam invadit, et Romanos duces profligans, edicto vulgato per Asiam *c*) uno die 150. millia Civium Romanorum trucidari jussit, moxque numerosissimis copiis in Europam traductis, Macedoniam, Thraciam, Graeciam, et Athenas, aliasque urbes aggressus in deditionem accepit; cujus progressibus occurrens *Sylla* a. U. 670. postquam Athenas recuperasset, *Mithridatem* ingen-

---

*a*) Justin. L. 37. c. 2. seq. Polyb. L. 5. *b*) Justin. ibid. Plutarch. in Sylla. *c*) Epit. Liv. L. 78. Flor. L. 3. c. 5. Plutarch. in Sylla.

genti clade 100. millium virorum affecit, et ad pacem amplectendam ea lege adegit; *a*) ut juribus in Asiam, Bithyniam et Cappadociam renunciaret. Cui bello vix pace composito, successerunt Bella Civilia.

III. *Civilia Bella* praecipua erant. I. inter Triumviros *Marium*, *Cinnam*, et *Syllam*. II. inter Triumviros *Pompejum*, *Julium Caesarem*, et *Crassum*. III. inter Triumviros *Antonium*, *Lepidum*, et *Octavium Caesarem*. ab A. U. 666. — 722. et quidem.

I. Bellum Civile inter *Marium*, *Cinnam*, et *Syllam*. A. U. 666. cujus origo a bello *Mithridatico* repetenda est, eo: quod *Marius* licet aetate fractus, tamen Mithridatici belli cupiditate flagrans, tantamque gloriae segetem *Syllae*, legato olim suo invidens, per *Sulpitium* Tribunum plebis egit, ut id bellum sibi mandaretur. *b*) Qua re Sylla commotus de jure legum contendere coepit, moxque Urbem occupans, proscriptis seditionum auctoribus, *Sulpitium* occidit, et *Marium* in Africam fugavit; *Sylla* vero in Asiam profectus adversus *Mithridatem* feliciter pugnans, Bithyniam, Cappadociam et Asiam recepit. Interea *Marius* adjuvante *Cinna* Consule, Romam cum Copiis irrumpens *Octavium* Consulem *M. Antonium* oratorem,

*a*) Plutar in Sylla Appian. in Mithridat. *b*) Vell. Pater. L. 2. Flor. L. 3. c. 21. Plutarch. in Mario et Sylla. Liv. Epit. L. 77. seq. Eutrop. L. 5. Appian. de bell. Civil. L. 1. Orosius. L. 5. c. 19. Aurel. Vict. de Virts illustr. c. 67. seqq.

rem, aliosque *Syllae* amicos obtruncans, septimum Consulatum obtinuit, ac de novorum Civium suffragiis certans; adjunctis sibi *Carbone* et *Sertorio*, copiis quadrifariam divisis, patriam funestissimis caedibus complevit; quo tumultu durante, anno sequente *Marius* morbo absumtus, *Cinna* vero a militibus confossus interiit. Interim *Sylla* a. U. 670. pace cum *Mithridate* facta, ne indigni concitatores domi dominarentur, victorem exercitum ex Asia transportans, civile bellum in Italia adhuc *Narbone*, *Carbone*, et *Mario* juniore callide sustentatum, per biennium, inducta primum Civium proscriptione confecit. (Constat enim praeter innumerabilem Civium aliorum multitudinem, ex ipso Equestris ordinis flore ac Senatu, ad duo millia proscripta fuisse.) Restituta ita domi tranquillitate, Victor *Sylla* Perpetuus Dictator factus, cum 24. Fascibus processit, rempublicamque praeclaris legibus ordinavit. Ceterum nihil ita mirum, quam quod tantis caedibus civium editis, Dictatura se sponte abdicaverit, et dein privatus ita incolumis vixerit: tandem pediculari morbo consumtus interiit. Cujus animi moderatio in summo imperio deponendo, magnam nominis celebritatem et gloriae fructum tulit, nam abdicatio Dictaturae tam grata Romano populo erat, ut ejus funus incredibili solemnitate ac frequentia celebraret. — Interim hujus belli Civilis scintilla non parum in Hispania excitavit incendium, nam *Sertorius* factio-

ctio-

ctionis Marianae dux, inita cum *Mithridate* societate Hispanias occupavit, contra quem *Metellus* et *Pompejus* missi vario marte pugnarunt; quo demum a suis occiso, et *Perpenna* interfecto, Hispanias recuperarunt. *a*) Quo tempore licet bellum II. Mithridaticum interventu *Gabinii* compositum fuisset, tamen *Mithridates* foedere *Sertorii* animatus, novisque copiis instructus bellum in Asia renovavit; ad quod *Lucullus* Consul a. U. 680. cum valido exercitu promotus, quaquaversum secundissimis victoriis terra marique factis, *Mithridatem* primo in Pontum, demum in Armeniam ad *Tigranem* Regem fugere compulit, ita a. U. 683. Ponto subacta, ambos reges insigni praelio devicit, et *Tigranocertam* Urbem in potestatem redegit; *b*) ubi postremo a suis militibus desertus *Lucullus*, tot laborum victoriarumque fructum a. U. 688. *Pompejo* cedere coactus est. *c*) Qua occasione *Pompejus* novis animis cum utroque rege bellum continuando, brevi *Tigranem* ad deditionem adactum, sola Armenia contentum esse jussit, *d*) *Mitridatem* vero pacem petere com-

---

*a*) Epit. Liv. L. 90. seq. Vell. Pater. L. 2. Flor. L. 3. c. 22. Appian. L. 1. de bell. Civil. Aurelius Vict. de Viris illust. c. 63. Plutarch. in Sertatio. Orosius. L. 5. c. 22. Eutrop. L. 6. *b*) Plut. in Lucullo. Appian. Mithrid. p. 230. Dio. Cass. L. 35. p. 1. seq. *c*) Epit. Liv. L. 98. Vell. Pater. L. 2. c. 33. Plut. in Lucull. p. 512. *d*) Dio. Cass. L. 36. p. 22. seq. Vell. L. 2. c. 37.

compulit; qui demum a. 691. desperatis domi rebus, dum expeditionem in Italiam meditaretur, *Pharnacis* filii, et totius exercitus defectione territus, sibi ipsi vitam forte veneno eripuit; *Cicerone* consulatum tenente. Qua tempestate bellum etiam *Servile* conflatum, strenue gerebatur: *Spartacus* enim cum 70. et amplius gladiatoribus, *Capua* ex ludo elapsus, contractis copiis magnas clades reddidit, cumque de invadenda urbe cogitasset, tandem a *Crasso* oppressus: *a*) Piratae vero a *Pompejo* 40. dierum spatio deleti sunt. *b*) Interim dum foris a *Pompejo* Romanum imperium propugnatur, domi Roma ipsa intestino bello fere deleta est, a. U. 691. *Catilina* enim Senator, comparato Romanorum exercitu in Etruria, cum *Lentulo* Praetore aliisque Senatoribus de caede Consulum et Senatus, deque evertenda urbe clam conjuraverat; quae tamen nefaria conjuratio a M. *Tullio Cicerone* Consule patefacta, brevi ejus ac *Antonii* vigilantia oppressa est; *Catilina* enim urbe ejectus, de aliis conjuratis dignum supplicium sumptum, demum *Catilina* cum exercitu ab *Antonio* Proconsule, ejusque legato *Petrejo* caesus; *Cicero* vero a *Catone* Tribun. plebis *Pater Patriae* appellatus est. Quod tamen praecla-

---

*a*) Epit. Liv. L. 95. Orosius L. 5. c. 24. Plut. in Crasso. Flor. L. 3. 20. *b*) Plut. in Pompejo. p. 630. Vell. L. 2. c. 31. seq. Flor. L. 3. c. 6. Liv. Epit. L. 99.

clarum et salutare factum, pesti ac fraudi fuit *Ciceroni. a*) Inter haec *Pompejus* Hierosolymis captis, Judaicam gentem Romano juri subjecit; qui inde in Urbem rediens, triumphi honore et *Magni* cognomine honorabatur. *b*) Atque hac ratione aucta erat in immensum Romana potentia, qua tamen potentia ambitione et luxu, res Romana diu in eo, quem tenebat gradu consistere non potuit; Nam summa Principum ambitio, et inde conflata civilis discordia, obtentae libertati exitio fuit. Unde erupit:

II. *Bellum Civile* inter Triumviros *Pompejum*, *Julium Caesarem* et *Crassum*, in quo *Caesar* superior evadens, Romanae Monarchiae fundamenta posuit. Hujus rei evolutio est haec: *Caesar* ex Urbana Praetura, Lusitaniae provinciae gubernium obtinens, licet mox a. U. 693. ob praeclaras virtutes et res gestas triumphum meruerat, tamen hunc Consulatus honori postposuit; quem Consulatum anno sequente dum enixe peteret, id evenit: ut *Pompejo*, qui sua eximia facta a Senatu rata haberi voluit, *Lucullus* cum quibusdam primoribus obstreperet; quo rerum eventu *Caesar* usus, *Crassum Pompejo* conciliat, moxque inito inter se foedere ita convenerunt: ut nihil deinceps in

---

*a*) Sallust. de bell. Catilinario. Epit. Liv. L. 102. seq. Flor. L. 4. c. 1. Plut. in Sulla. Cicerone. Caesare. Vell. L. 2. Orosius. L. 6. c. 6. Appian. L. 2. de bell. Civil. Item Orat. Ciceronis in Catilinam. *b*) Liv. Epit. L. 103. Plut. in Pompejo.

in republica ageretur, quod uni ex tribus displiceret. (Quod foedus, mutatae reipublicae, et bellorum Civilium initia dedit.) His ita constitutis *Caesar* a. U. 695. Consulatum obtinens, mox non modo *Pompeji* acta per Senatum adprobavit, juxta leges agrarias, Agrum Campanum inter cives distribuit, et Publicanos ex Equestri ordine remissionem petentes, tertia mercedis parte relevavit; sed etiam Filiam suam *Juliam Pompejo* elocans, ipse *Pisonis* filiam *Calpurniam* in uxorem duxit. Quibus artibus, multisque largitionibus omnium Ordinum gratiam concilians Galliam Provinciam obtinuit, *a*) quo tempore primus Romanorum, Germanos trans Rhenanos; *b*) ponte super Rhenum structo infestare coepit; inde etiam Britannos adiit, quo antea nullus penetrare potuit; *c*) demum totam Galliam, quae a saltu Pirenaeo, Rhenoque, ac Rhodano fluminibus continebatur subegit, ei que in singulos annos stipendii nomine tributum imposuit. Interim dum omnia eorum arbitrio gererentur ita pacti sunt: ut sicut *Caesari* utraque Gallia, Cisalpina videlicet et Narbonensis; ita *Pompejo* Hispania in quinquennium; *Crasso* vero bellum Parthicum cum Syriae regno decernitur. Igitur juxta haec statu-

---

*a*) Liv. Epit. L. 104. Caesar. libris 7. de bell. Gallico. *b*) Liv. L. 103. seq. Caesar. L. 1. et 2. de bell. Gall. Plut. in Caesare. *c*) Caesar. L. 4. 5. de bell. Gall.

tuta *Caesar* in Provinciam profectus, Helvetios vastatis oppidis vicit; *Ariovistum* Germanorum Regem, Galliae vexatorem profligavit; Aquitanos et Belgas bellum molientes subegit. *Crassus* spoliato templo Hierosolymitano, adversus Parthos infeliciter pugnans, anno tertio misere cum filio et majori exercitus sui parte ipse etiam periit. *a*) Quo tempore Romae quum in Comitiis omnia miscerentur, interregnum diu protractum est, donec tandem *Pompejus* ad seditiones Urbanas comprimendas, novo et hactenus inaudito more Consul sine Collega cum dictatoria potestate creatus esset, a. U. 702. quo in Magistratu Urbis motus composuit, praefuitque Judicio, quo *Milo* propter necem *Clodii* exilio damnatus est. Interim *Caesar* in alterum etiam quinquennium prolongata provincia, Galliam pacavit, et Germaniam magnis cladibus attrivit; ob quae merita haud difficulter a populo Romano impetravit, ut in petitione Consulatus absentis ejus ratio haberetur. — Interim *Juliae Caesaris* filiae, dum *Pompejus* rem in Britannia gereret, mors, affinitatem, quae illi cum *Pompejo* intercesserat, et amicitiam dissolvit; quare cum neque *Pompejus* parem, neque *Caesar* superiorem se amplius ferre posset, brevi duorum horum ambitio libertatem Roma-

e nam

*a*) Liv. Epit. L. 106. Justin. L. 42. Flor. L. 3. c. 11. Appian. in Parthico. Plut. in Crasso. Orosius. L. 6. c. 13.

nam pessumdedit. *Pompejus* enim cum Consulibus id egit: ut quoniam nimia *Caesaris* potentia periculosa reipublicae videretur, nulla ejus absentis ratio in comitiis haberetur, imo ante certum diem, totum exercitum dimittere juberetur. *a*) Ad quod dum Tribuni plebis *Antonius* et *Cassius* non consensissent, mox ad *Caesarem* fugere compelluntur; qui etiam ex his infaustis initiis bello civili facem subjecerunt. a. U. 705. *Caesar* igitur Reip. opprimendae causam nactus, Romam infesto agmine contendit; ac Flaminia, Piceno, Marsis, aliisque pluribus oppidis captis, Urbem ingressus, *b*) aerarium compilando, se Dictatorem eligendum curavit; inde Pompejanis, ipsoque *Pompejo* Italia pulso, mox *Afranium* et *Petrejum* ejus legatos tota exegit Hispania. Dictator absens electus Romam reversus, Massiliam in deditionem recepit: sicque Dictaturam ut ex numis constat, obtinens, mox *Pompejum* in Graeciam magno terrore fugavit; quam tamen ad *Dyrrachium* obsidens, *c*) magnam et infelicem accepit cladem, qua vice debellatus etiam fuisset, si *Pompejus* uti victoria novisset. Sed bello ad *Pharsalicos* campos translato, dum *Pompejus* ho-

---

*a*) Liv. L. 108. seq. Plut. in Caesare. Dio Cass. L. 40. *b*) Caesar. de bell. Civil. L. 1. Vellej. L. 2. Svetonius. in Caesare. c. 31. seq. Flor. L. 4. c. 2. Appian. de bell. Civil. L. 2. Orosius. L. 6. c. 15. Livius. L. 109. *c*) Caesar. L. 3. de bell. Civil. Appian L. 2. do bello Civil. Svetonius. c. 34.

hostem commeatu interclusum fame vincendum statuisset, decretorio praelio commisso victus, *a*) fuga in Aegyptum se proripuit; ubi *Ptolomaei* regis ad quem confugiebat fraude ac jussu, occisus est, *b*) a. aetatis 59. et a. U. 706. Itaque *Caesar* victor, cunctis Pompejanis magna clementiae laude erratorum veniam concedens, mox Alexandriam venit, ubi dum *Ptolomaei* et *Cleopatrae* sororis controversias componere conaretur, ab rege fere opprimendus erat, ni classem suam, ne in potestatem hostium veniret, succendisset; quo incendio nobilissima illa Alexandriae Bibliotheca a *Philadelpho Ptolomaeo* instructa conflagravit. *c*) Ceterum victo et occiso *Ptolomaeo*, regnum *Cleopatrae* restituit: dein *Pharnacem Mithridatis* filium, Romanorum fines vastantem primo impetu debellavit. *d*) *Jubam* Mauritaniae regem, *Catone* auctore bellum Civile in Africa molientem, devicit; *e*) *Afranium* vero et alios 500. Senatores occidi jussit; qua calamitate *Cato* ne in *Caesaris* potestatem veniret, *Uticae* violentam mortem sibi conscivit. Quibus felicibus successibus Ornatus *Caesar* Romam reversus quatuor triumphos retulit, nempe Gallicum, Aegyptiacum,

e 2

*a*) Ceesar. ibid. Annales Lucani de Pharsalia. *b*) Plutarch. de fuga et morte Pompeji. Appian. L. 2. de bell. Civil. *c*) Hirtius Pansa. L. de bell. Alexandrino. Plutarch. in Caesare. Dio Cass. L. 41. *d*) Idem. ibid. *e*) Vellej. L. 2. Hirtius Pansa. de bell. Africano. Dio. Cass. L. 43.

cum, Ponticum et Africanum; quibus quintum nempe Hispanicum addidit, postquam *Pompeji* filios ad *Mundam a*) Hispaniae Urbem divicisset. His factis oppressa republica, et pacato populi imperio, *Caesar* ab Senatu novo more *Dictator perpetuus* appellatus, varias pertulit leges, sed Curiam barbaris Senatoribus obscuravit; Pomoerium protulit, Carthaginem et Corinthum novas colonias duxit. Anni descriptionem a *Numa* institutam, intercalari die instituto, et 66. diebus adjectis correxit, et *Quintilem* mensem a suo nomine *Julium* appellari jussit, a. U. 709. unde anni *Juliani* kalendis Januariis exordium ducunt. Ob quae ei amplissimi et divini honores a Senatu decreti sunt. *b*) Quibus modis *Caesar* Romanis servitutem imposuit, atque ita Romanae Monarchiae fundamenta jecit, licet ejus fructum carpere invidia suorum non potuerit; quum enim Parthicam appararet expeditionem, insolentia elatus, Senatum contemnere et regnum affectare coepit; quare dum *Octavium* nepotem adoptasset, eumque haeredem instituisset, tandem quinto Dictaturae anno, a *Bruto*, Cassio aliisque conjuratis, in Curia Pompeji. 23. confossus vulneribus interiit. *c*) Ceterum sublato Tyranno, Tyrannis mansit, et mox exortum est;

III.

---

*a*) Vell. Pater. L. 2. Svetonis c. 37. *b*) Vellej. L. 2. Flor. L. 4. c. 2. Appian. de bello Civil. L. 2. c) Liv. Epit. L. 116. Vellej. item Svetonius. c. 81. 82. Appian. L. 2. de bell. Civil. Dio Cass. L. 44. seqq.

III. *Civile Bellum* inter Triumviros *Antonium*, *Lepidum* et *Octavium Caesarem*, in quo *Octavius* pugna *Actiaca*, adempta Populo Romano liberatate Monarchiam Romanam fundavit. Cujus belli occasio fuit *M. Antonius*, Consul, qui in funere *Caesaris* seditiosa sua concione adeo populum concitavit in Patriae liberatores, ut omnium civium aedibus et facultatibus ferrum ac faces intentaret: imo sedatis brevi tumultibus, ipsam Dictaturam abrogando, corruptisque *Caesaris* actis, omnia per vim et tyrannidem moliri coepit: Nam Senatum Armis oppressit, nefarias leges de permutatione provinciarum per vim tulit, Galliam cisalpinam invasit. Quo tempore *Octavius Caesar* ex testamento *Julii Caesaris* adoptatus et haeres factus, e Graecia redux, populo sibi variis largitionibus conciliato, *a*) mox *M. Antonium* thesauros *Caesaris* injuste detinentem, auctore *Cicerone*, jussu Senatus bello aggrediebatur *Hirtio* et *Pansa* Consulibus, qui exercitum ad *Mutinam* deducentes, collatis cum *Antonio* signis, licet praetoriani milites occumberent, et ambo Consules trucidati essent, tamen *Antonius* victus, *b*) trans Alpes se ad Lepidum recepit. Quo facto uni Octavio tres Romanorum exercitus paruerunt, quibus Romam adductis, mox *Octa-*

---

*a*) Liv. L. 117. Svetonius in vita Octavii. c. 8. seq. Vell. L. 2. Appian. de bell. Civil. L. 3. seq. Flor. L. 4. c. 3. *b*) Plutarch. in Antonio. Cicerone, Bruto. Flor. L. 4. c. 4. Dio. Cass. L. 48.

*Octavius* adolescens 20. annos natus Consulatum a Senatu extorquere statuit: quem tamen Senatus, ne altius ascenderet, in ordinem redigere, *Brutum* vero et *Cassium* ad honores evehere instituit. Quod *Octavius* metuens, mox Amicitiam cum utroque nempe *Antonio* et *Lepido* inivit, qui demum simul constituendae reipublicae, *Triumviratum* stabiliverunt; *a*) et de puniendis *Caesaris* interfectoribus decreverunt: vigore cujus quam plurimi Cives, bis mille Equites, et 103. Senatores proscripti sunt, ex quorum Numero fuit etiam *M. Tullius Cicero*, qui ab Antonianis obtruncatus, a. U. 711. septima Decembris, anno aetatis 64. cujus caput ac manus pro rostris affixae spectaculo erant, *b*) ubi miraculo erat antea ejus eloquentia. His actis, orbis imperium quasi Patrimonium a Triumviris ita fuit divisum; ut Oriens et Graecia *Antonio;* Africa *Lepido;* Italia vero cum Occidente *Octavio* obveniret. Quibus in adjunctis *Octavius* lege Curiata in familiam *Caesaris* adoptatus; et ideo *Cajus Julius Caesar Octavianus* est dictus. Interim dum *Octavius* cum *Antonio* se *Julii Caesaris* Dictatoris ultores esse profiterentur, sine mora *Brutum* et *Cassium* bello persequi coeperunt; contra quos anno U. C. 712. ad *Philippos* Thessaliae Urbem varia fortuna pugnatum erat; qui hostium furo-

*a*) Svetonius. c. 12. 13. Flor. L. 4. c. 6. *b*) Liv. L. 120. Plutarch. in Cicerone.

rorem ut victi evitare volentes, *a*) sibi ipsis violentam intulerunt mortem. Inter haec Parthi ab *Labieno* Pompejanarum partium evocati, in Syriam irrumpunt a. U. 714. quos sequente statim anno *Ventidius* caeso *Labieno* magna clade affecit, et Syriam recuperavit. Quo tempore *Pompejus Sextus* Siciliam possidens cum *Caesare Octavio* contendere coepit, sed brevi ab *Agrippa* duce Navali praelio superatus in Asiam profugit, *b*) ubi etiam paulopost mortem obiit. Verum de Sicilia *Sexto* adempta mox inter Triumviros grave certamen enatum est: sed *Lepidus*, licet 20. legionum fiducia animatus bellum movens, mox tamen ab *Octavio* in ordinem redactus, dignitate exutus, *c*) et *Triumviratui* finis impositus est; cum interim *Antonius* paulo ante hyemem infelicem expeditionem Parthicam magna suorum jactura faceret; in Aegyptum reversus, legitima sua conjuge *Octavia Caesaris* sorore repudiata, *Cleopatrae* Aegypti Reginae adeo irretitus erat amoribus, ut eam non modo in matrimonium duceret, sed etiam orbis terrae Dominam constituere intenderet; *d*) unde exitiale bellum Ci-

---

*a*) Livius Epit. L. 124. Appian. L. 4. de bell. Civil. Flor. L. 4. c. 7. Plutarch in M. Bruto. *b*) Bellum Siculum. Liv. L. 122. — 128. seq. Sveton. c. 16. Appian. L. 4. Flor. L. 4. c. 8. *c*) Appian. L. 4. Sveton. c. 16 Dio Cass. L. 49. *d*) Appian. L. 5. Liv. Epit. L. 132. Cass. L. 49. Flor. L. 4. c. 41.

Civile ortum a. U. 722. tandem summa navali victoria ad *Actium* Epiri promontorium *a*) reportata confectum est; ubi anceps certamen, et *Cleopatrae* consternatio, in exitium *Antonii* cessit: nam *Caesar* parta victoria *Antonium* in Aegyptum fugientem persecutus, sequente anno Alexandriae circumsessum eo adegit, ut rebus desperatis semet ferro confoderet; *b*) quem mox secuta *Cleopatra*, ne in victoris manus incidens in triumphum duceretur, mortem sibi aspidis morsu conscivit. Itaque *Antonio* et *Cleopatra* mortuis, Aegyptus in provinciae formam redacta est, ubi a morte *Alexandri M.* per 294. annos *Lagidae* dominati fuissent. Quo anno U. C. 725. *Caesar Octavianus* tres celebres egit triumphos, nempe Dalmaticum, Actiacrum, et Aegyptiacum. *c*) Ob quae praeclara bellica facinora, Imperatoris nomen et summam potestatem sumens, Rempublicam gubernandam suscepit; atquae dum ita ad unum eum, summa Imperii Romani potestas pervenisset, Verum *Monarchiae Romanae* initium cunstituit. *

* *Causae Bellorum Civilium.* Romae evenit, quod passim evenire solet, dum Cives contra Tyrannos insurgunt, sperantes sibi consulere, si abrogata Antiqua regiminis forma; novam qualicunque specioso titulo instituant. Nam extra dubium est: *Bruto* ejusque sociis Patriciis nihil aliud in Animo fuisse,

quum

*a*) Dio Cass. L. 50. Liv. Epit. L. 132. *b*) Dio Cass. L. 50. Plutarch. in Antonio. et Cleopatr. *c*) Appian. L. 5. Liv. Epit. L. 133. Dio Cass. L. 50. seqq.

quam ut Summa potestas, quae antea penes Reges erat, nunc ad *Optimates* devolveretur, et in locum unius, plures abuterentur; demum ut labores et pericula ad infimam plebem deferrentur; quae manifeste docet nova, quae Regibus abrogatis inducta fuit Regiminis forma; nam Patriciorum ea praecipua statim cura fuit, ut deinceps summa imperii Majestas, exclusa plebe, in Senatu et duobus Consulibus resideret; unde si communem plebem consideraverimus, ea non ab imperio, sed tantum a nomine Regio liberata; imo saepe durius sub Consulibus et Senatu, quam sub Regibus antea tractata fuit; quare etiam in desperationem acta, iterato ex urbe excessit, nec prius revocari potuit, quam proprium et distinctum Magistratum obtinuisset, qui Cives contra potentes Patricios tueretur: ita *Tribuni plebis* instituti sunt, quorum institutione tranquillitati et securitati miserorum Civium sufficienter consultum videbatur: interim tamen eorum institutio, subsequeutium Gravissimarum turbarum Origo evasit. Nam mox eorum institutione, totus Populus Romanus divisus erat in duas potentes factiones, *Optimatum* nempe et *Plebis*, nam Tribuni non modo Patriciorum arrogantiam et ambitionem profligare; sed plane etiam Senatus omnem auctoritatem tollere conabantur; quae cum jure ac honeste non impetrassent, etiam vi adhibita extorserunt: ut deinceps promiscua fierent Matrimonia, item ut unus Consulum semper de Plebe eligeretur, imo etiam jus leges ferendi, invito Senatu sibi vindicare studuerunt. Quibus omnibus institutis, quoniam perspexissent non nisi mutuas dissensiones, et frequentes violentas caedes induxisse, neque infinitos abusus tollere posse, nisi Summa Gubernandi potestas tandem uni committeretur. Hinc saepe quidem *Dictatores* regia potestate electi erant; Sed ubi eorum opera tantisper reipublicae vulnera sanata fuissent, abrogata Dictatura, denuo jam in invalescentem morbum relapsi sunt, donec tandem unius imperio semet subjecissent; quo tempore *Octavius* omnia uni sibi vindicavit.

§. 5.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Romani inde ab initio armis et agriculturae praeprimis dediti, insuper artes et literas etiam habuisse videntur: nam dudum Pelasgi, ante Gideonis Hebraeorum Judicis tempora, Maritima Italiae loca occupantes, literas in Italiam attulerunt Graecas, post quas brevi vernaculae in Latio Literae exstiterunt, quas *Latinas Literas* Uxor *Fauni*, et *Latini* regis mater reperisse memoratur. Demum Politica *Romuli* ordinatio, et muris cincta Urbs probat, literis et artibus etiam incubuisse Romanos; quantum primaeva eorum Gubernandi ratio desiderabat. In genere tamen quanta erat Romanorum quo ad artes ignorantia; satis probat inter alia edictum *Mummii*, qui postquam Corinthum delevisset; inde tabulas celeberrimorum Graeciae artificum Manibus factas, Romam deferri jussit his monitis: *ut si quas in itinere perderent, totidem alias numero reddere tenerentur.* Similiter etiam *Catonis* Majoris tempore, quum Celeberrimi nominis Philosophi Graeci Romam venissent; ejusdem *Catonis* svasu, mox urbe excedere jubebantur, ne sua Philosophia animos et mores Romanae juventutis corrumperent, ac innatum belli ardorem emollirent. Hinc nullae initio Romae erant Leges scriptae; donec leges *Solonis* Athenis in Urbem translatae fuissent, quae Leges *Duodecim Tabularum* sunt dictae, quoniam in duodecim Tabulas fuissent descriptae; quae simul *Jus Civilae Populi Ro-*

*Romani* efficiunt, quae tamen leges paulopost cum cultura populi erant correctae et emendatae variis Senatus Consultis, Plebiscitis, aut Praetorum edictis. Apud Romanos Lex fuit vocata id, quod totus populus jussit. *Senatus Consultum* id, quod Senatus; *Plebiscitum* id, quod Tribuni plebis; *Jus Honorarium* vero, quod Praetores constituerunt. Verum crescente apud Romanos cultura, circa finem Reip. Graecos, tam in Literis, quam in artibus imitari coeperunt Romani, ipsosque Literarum Cultores amplius aestimarunt: nam *Scipio Africanus* jam *Panaetium* Philosophum, *Polybium* Historicum, *Terentium* Comicum Poetam familiares habuit, quibus senibus successerunt *Pacuvius* et *Accius* Tragici Poetae, et *Aristarchus* Grammaticus. Porro Romae circa a. U. 514. *Livius* Poeta primus fabulam docuit. *a*) Demum *Naevius*, *Plautus* et *Ennius* celebrabantur: *Statius* vero *Caecilius* venustus Comoediarum scriptor erat. Prout autem Romani imperium obtinuerunt, literarum etiam gloria ad eos transivit; quare deinceps multo plures Romae quam in Graecia doctrina eminuerunt: quales insignes oratores erant *Crassus*, *M. Antonius*, *Hortensius*, *b*) quos tamen omnes longe supe-

pe-

---

*a*) Cicero. 1. Tuscul. 4. in Bruto. c. 18. Gellius. L. 17. c. 21. Cicero. de Senect. c. 5. Hieron. in Chron. ad Olympiadem 150. *b*) Cicero in Bruto. c. 1. — 93. seq.

ravit eloquentiae laude *M. Tullius Cicero* natus a. U. 648. *a*) qui oppresso *Catilina*, primus Pater Patriae appellatus, tandem proscriptione Triumvirali, a. aetatis 64. obiit. — *Terrentius Varro* Romanorum eruditissimus, vixit 84. annis. *Julius Caesar* etiam inter Doctissimos et disertissimos numerari debet. *L. Coelius Antipater* Historiae scriptor ad a. U. 630. *b*) *Sallustius* ante pugnam Actiacam quatuor annis mortuus. Poetae celebrabantur: *Turpilius* Comicus. *Lucilius* Satyricus. *Quintilius Atta* Togatarum scriptor. *Valerius Catullus* 30. aetatis anno Romae mortuus. *Lucretius* vero sibi mortem intulit a. aetatis 44. *c*) *Vitruvius* sub *Julio Caesare* Architecturae Scientiae clarus fuit. Demum *Caesar Octavianus* T. Livium et Strabonem Historicos in honore habuit; cujus aetas magnorum ingeniorum foecunda fuit: nam inter Graecos, Historiam illustrarunt *Diodorus Siculus. Dionysius Halicarnassenus* et *Nicolaus Damascenus*. Ex Latinis vero *Cornelius Nepos, Sallustius.* Poetae quoque Magno numero Clarissimi vixerunt, uti *Virgilius* aetatis 51. anno mortuus. *Horatius* 57. aetatis anno mortuus. Item Elegiorum Scriptor *Tibullus*, qui cum *Messala* bellum gerens, dona militaria tulit. Item *Propertius. Ovidius* vero ab *Octaviano* in

in

---

*a*) Gellius L. 15. c. 28. Plutarch. Cic. p. 885. *b*) Vall. Max. L. 1. c. 7. *c*) Hieron. ad Olymp. 171. seqq.

in exilium in Pontum relegatus, anno aetatis 60. finivit vitam anno Christi 17. Praeceteris autem *Octavianus Augustus* coluit *Maecenatem*, qui Equestri gradu contentus, Literarum et Literatorum omnium singulare Praesidium exstitit; unde et hodie Literatorum Munificentissimi Patroni; jure *Maecenates* per Excellentiam appellantur. *a*)

C A-

*a*) Maecenas ab I. H. Meibomio Scriptus. editio Lugdun. Batav. de anno 1653.

# Caput II.

*Exhibens Historiam Monarchiae Romanae, sub Imperataribus; ab Octavio Augusto, usque Constantinum Magnum, prout Status Imperii suberat Imperatoribus Ethnicis, usque annum Christi* 306.

1. §. *Statistico Geographica notio Monarchiae Romanae.* Monarchiae Romanae potentiam ad Orbis dominatum crevisse: foris militari labore et disciplina; domi vero modestia et justitia gubernationis, item ordinum ac Munerum distinctione, uno testantur ore cordatissimi Scriptores. *a*) Cujus immensi Imperii limites praecipui erant: Orientis Euphrates, Illyrici Ister, Galliae Rhenus, Scythiae Boristhenes, quibus castella et praesidia adjunxerunt. Ut autem limites Imperii accuratius cognoscamus, nomina limitum in antiquis Romanorum annalibus occurrentia, qualia erant: *limitati agri: limitrophi agri; Limitanei exercitus, limitaneae Urbes*, noscere debemus. Et quidem *limita-*

*a*) Strabo. L. 7. p. 325. Virgil. L. Aeneid. 8. Vellej. Pater. L. 2. c. 84. Dio. L. 50. Horatius. Epod. 9. ad Maecenatem. Ovid. Motamorph. L. 15.

*tati agri* erant, qui in finibus provinciarum libere ab hostibus depopulabantur. *Limitrophii agri* erant: quorum possessores, annonam ibi crescentem ad Castra militum transponere obligabantur. *Limitanei Exercitus* in limitibus provinciarum alebantur sub Caesaribus. *Limitanaee Urbes* babebant praesidia militum, cujusmodi erant ad Istrum: *a*) *Teutoburgium*, *Bononia*, *Sirmium*, *Lugionum*, *Sicambrium*, *Vindobonam*, *Comagenum*, *Laureacum*, *Aurelianum*, etc. Aucta autem fuit Romana Monarchia usque ad *Octavium Augustum*, sequentium provinciarum subactione, uti: *Italia*, *Gallia*, *Hispania*, *Sicilia*, *Sardinia*, *Corsica*, *Illyricum*, *Macedonia*, *Achaja*, *Asia*, *Cilicia*, *Bithynia*. *Pontus*, *Cyprus*, *Syria*, *Africa*, *Cyrenaica*, *Creta*, *Numidia*, et *Mauritania*. Inter quas regiones Cultissima et celeberrima fuit Italia, et simul Metropolis; quae a *Caesare Augusto* in XII. regiones fuit divisa: *b*) in quibus florentes Urbes, famosa oppida, et aedificiis superbientes pagi jam olim celebrabantur, *c*) sequentibus: *

* Sancta est Sanctorum pretioso sangvine *Roma.*
Cingitur Urbs *Venetum* pelago ditissima numis.
Incly-

---

*a*) Wolff. Lazius. p. 8. *b*) Plin. L. 3. c. 5. et L. 2. c. 12. seqq. *c*) Secundum judicium Thomae Edwardi Angli, apud Gerardum Mercatorem, ab Hollandio emendatum, Atlas minor. Edit. Amstelod. anno. 1632. p. 478.

Inclyta *Parthenope* gignit Comitesque Ducesque.
Est *Mediolanum* jucundum, nobile, magnum.
Excellit studiis foecunda *Bononia* cunctis.
Splendida solertes nutrit *Florentia* Cives.
*Genua* habet portum merc esque domosque superbas.
Exhaurit loculos *Ferraria* ferrea plenos.
*Veronae* humanae dat singula commoda vitae.
Extollit *Paduam* Juris Studium et Medicinae.
Illustrat patriae *Senas* Facundia lingvae
Maxima pars hominum clamat miseram esse *Cremonam*.
*Mantua* gaudet aquis, ortu decorata *Maronis*.
Vina *Utini* varias generosa vehuntur ad Urbes.
*Brixia* dives opum parce succurrit egenis.
Italicos versus praefert *Papia* Latinis.
Libera *Luca* tremit ducibus vicína duobus.
Flent *Pisae* amissum dum contemplantur honorem.
Commendant *Parmam* lac, caseus, atque butyrum.
Non caret hospitiis perpulchra *Placentia* caris.
*Taurinum* exornant virtus, pietasque fidesque.
Militibus validis studiosa *Perusia* claret.
*Vercellae* lucro non delectantur iniquo.
Mordicus Urbs *Mutinae* ranas tenet esse salubres.
Contemnunt omnes *Anconae* moenia Turcas.
Litibus imponit finem *Macerata* supremum.
*Emporio* in portis consistit gloria clausis.
Urbs *Livii* celebris nimis est proclivis ad arma.
*Bergomum* ab inculta dictum est ignobile lingva.
Omnibus exponit gladios *Aretium* acutos.
*Viterbi* conventus opem fert Sanctus egenis.
Civibus humanis decorata est *Asta* fidelis.
Fructibus, Anseribus, pomario *Ariminum* abundat
*Fanum* formosas mulieres fertur habere.
Odit mundanas Syncera *Novaria* fraudes.
Clara perantiquae defecit fama *Ravennae*.
*Anglia* habet paucos comites; *Vicentia* multos.
Omnes commendant ficus Grossosque *Pisauri*.
Castaneis, Oleo, tritico *Pistorium* abundat.
Rustica frugales' nutrit *Dertona* colonos.

Post-

Postponit *Rhegium* cornuta animalia porcis.
Dulcia felicem cingunt Vineta *Cesenam.*
*Tarvisium* exhilarant nitido cum flumine fontes.
*Imola* divisa est, nocet haec divisio multis.
*Vrbinum* Statuit ducibus clamare, Valete!
Nota est fictilibus figulina *Faventia* vasis.
*Laus* pingves, *Pompeja* boves producit ovesque
*Narnia* promittens epulum dabit ova, vel uvas.
*Assisium* Sancti Francisci corpore gaudet.
Hospitibus *Comum* pisces cum Carnibus offert.
Quaerit opes fragiles studiis *Savoja* relictis.

Igitur florente republica, haec erat potentiae Romanae amplitudo. Ex quo autem Caesares gubernacula moderabantur, sensim majora facta sunt Imperii incrementa; unde et *Ovidius* cecinit: *a*) *Gentibus est aliis tellus data limite certo: Romanae. Spatinm est Urbis et Orbis idem.* Praeterea accesserunt variis temporibus sequentes provinciae *b*) Noricum, Rhetia, Pannonia, Moesia, Dacia, Britannia, Aegyptus, Galatia, Rhodus, Lycia, Comagena, Judaea, Arabia, Mesopotamia, Armenia, Assyria. etc. Porro erant et aliae regiones, quae sub tutela Romanorum, umbram quamdam libertatis ritinentes, demum suis accessionibus molem imperii Romani haud parum auxerunt. Quae autem erat in Imperio Forma regiminis; quae

f Le-

*a*) Ovid. 2. Fastor. *b*) Dio. Cass. L. 54. p. 534. Vellej. L. 2. c. 39. Appian. in Illyc. Strabo. L. 7. Tacit. L. 2. Eutrop. in Vespas. Wollfg. Lazius. Comment. Reip. Rom. L. 1. c. 3. seq. Joseph. Antiq. L. 16. c. 15.

Legum et Magistratuum mutationes; quanta erat Romanorum virtus, quae bella et varii domestici motus, constat ex *Breviario* seu *Rationario.* Imperii a. U. 731. edito: qui liber *a*) erat exercituum et redituum publicorum index; vel juxta *Tacitum b*) hoc libro opes publicae, quantum Civium, sociorumque in armis quae classes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia, necessitates aut largitiones continebantur. Unde patet non Urbis tantum, sed et Provinciarum rationes, ex instituto censu in eum librum relatas fuisse. Quomodo demum Roma Orbis Domina, Luxu, bellis civilibus et fatali Orbis mutatione, rursus virtutem et imperium amiserit, ex integris Historiis cognoscendum erit.

§. 2. *Status Ethnicismi; item nascentis Ecclesiae Christianae.* Ad florentis Ethnicismi compendium referri debent: infinita Deorum multitudo, simulachrorum cultus, animarum credita transmigratio, *Druidum* in Occidente placita et disciplina, sacerdotum. Flaminum et aliorum *Sacra:* quorum *Sacrorum* particeps reddebatur is, qui Civitate donatus fuit. Cujusmodi *Sacra* vel erant publica, vel privata: Publicum Urbis focum tenuerunt Vestales; pagorum vero Sacerdotes. Publica sacra dicebantur, quia publico sumptu pro populo fiebant. Privatim vero lares suos quisque Paterfamilias domi

---

*a*) Dio. Cass. L. 53. *b*) Tacitus. Ann. 1.

mi colere potuit: lege tamen prohibitum erat, nequis alio, quam patrio more sacrificaret; ideo constituti erant *Aediles*, qui diligenter inquirerent: ne nisi Romani Dii, *a*) ne ve alio ritu colerentur: quae non exigua persecutionum causa fuit, quibus Caesares Christianos dein exagitarunt. Hoc aevo Gentilium famosissimus Doctor, et praestigiis inclytus fuit *Apollonius Tyanaeus* ex Tyana Cappadociae Urbe ortus, de quo mira refert fuse *Baronius*. *b*)

Temporibus *Octaviani Augusti* accidit institutio Religionis Christianae, cujus Auctor est *Jesus Christus Deus et Homo*, Hujus Verbi Divini incarnatio in utero *B. Mariae V.* denunciata fuit per Archangelum; Nativitas vero Bethlemi, *c*) inter Angelicas acclamationes, a. ab orbe condito 4000. Urbis Romanae 748. Augusti regnantis 25, ante aeram Vulg. VI. die 25. Decembris. *d*) Seu VI. Kalend. Januar. censetur: (unde Ecclesia orientalis hodiedum 6. Januarii festum nativitatis Domini celebrat.) Ad cujus Veri *Messiae* adventum, mox cuncti Gentilium Dii conticuere, imprimis *Apollo*, quem dum *Augustus* de successore consuluisset tacuit; et brevi silentii causam his manifestavit verbis: *e*) *Me puer Hebraeus Divos Deus ipse gu-*



*a*) Livius. L. 25. c. 1. *b*) Baronius, ad a. Ch. 69.—91. *c*) Matth. c. 1. v. 18. 23. *d*) Baron. ad a. Ch. 1. *e*) Platina in Augusto. P. Martyr. in Sam. c. 5.

*gubernans*, *cedere sede jubet*, *tristemque redire sub orcum; Aris ergo de hinc*, *tacitis discedite nostris.* Quo responso *Augustus* Romam reversus, Aram maximam cum hac inscriptione erexit: *Ara Primogeniti Dei.* Ceterum dum Judaei haud gratularentur de adventu *Messiae*, quem ut potentem Regem praestolabantur; tunc *Magi* stella duce advenientes, dona et cultum ei obtulerunt: quae res in tantam trepidationem deduxit *Herodem* Regem, ut infantem *Messiam* mox sufferendum *a*) decerneret, quare in Bethlehemitico tractu infantes omnes ad 140. millia, ad bimatum usque occidi jussit; cujus tamen furor in *Jesum* non incidit, nam is a *Josepho* monente Angelo, una cum matre in Aegyptum deductus; unde demum redux, in Urbe *Nazareth* (unde et nomen *Nazareni* obtinuit) deinceps usque ad tempus baptismi educabatur: *b*) et cum esset quasi 30. annorum, ministerium suum exorsurus, pout per *Joannem Baptistam* baptisatus fuit, mox a Satana in deserto tentatus *c*) dein allectis XII. Apostolis, et 70. Discipulis, munus suum auspicatus, Judaeam peragravit, docuit, miracula fecit, tem-

---

*a*) Math. c. 1. Chytraeus. in orat. de Statu Eccl. *b*) Math. 11. v. 13. *c*) Durationem Ministerii Christi, refert Clem. Alexand. L. 1. Strom. Origen. L. 4. hinc Paschatis diem, et mortis Christi annum varie statuunt, ad 33. ad 34. alii cum Scaligero 35. qui resondet aere Vulg. 33. seu 3. Aprilis. Feria VI. et 14. mensis Nisan.

templum Hierosolymitanum repurgavit: qui tamen odio Pharisaeorum, et proditione *Judae* ad crucis supplicium tractus, illud ex Consilio *Dei Patris* pro genere humano etiam subivit anno aetatis 34. nondum exacto; *a*) cujus indignam mortem, ipsa natura deflevit, nam terra contremuit, sol et luna lumen suum amisit. Ceterum post tres dies a mortuis resurgens, victor habita cum suis communicatione *Petro* universae Ecclesiae pascendos agnos et oves dedit; *b*) prout et Apostolis, eorumque successoribus potestatem regendi fideles, dimittendi et retinendi peccata impertitus, aliaque innumera servanda proposuit, prout Sancta Evangelia nobis exhibent. His peractis ex Oliveti monte ascendit in coelos, unde missus a Patre Filioque, Spiritus, divina virtute induit Apostolos, *c*) ut Doctores gentium ad Sacra eloquia informaret: qui varias lingvas subito edocti, millia hominum in Ecclesiam Dei pertraxerunt: qui ve coelitus sibi datam doctrinam in libros Novi Testamenti consignarunt, uti: *Mathaeus*, *Marcus*, *Lucas*, et *Joannes*, Evangelistae. Epistolas vero Canonicas scripserunt *Petrus*, *Ja-*

---

*a*) Math. 10. Luc. 10. Joseph. Antiq. L. 18. c. 4. *b*) Institutionem regiminis Ecclesiastici per Christum factam fuse docet *Schelstrate*, in antiquitate illustrata Dissert. 1. c. 1. et 2. Bernard. L. 2. de Consid. Item Historia Christi apud quatuor Evangelistas. *c*) Chrisost. in Act. hom. 14. Tillemontius. T. 2. Hist. Sacrae. P. 1. p: 44.

*Jacobus*, *Paulus*, *Judas*, et *Joannes* ultimus Scriptor non modo Evangelium, sed Apocalypsim consignavit. Hi demum Apostoli post dispersionem fundarunt varias Ecclesias, *a*) per, Asiam, Africam, et Europam; ex quibus inde ab origine quatuor celeberrimae erant; uti *Hierosolymitana* ab ipso *Christo* et Apostolis fundata. *Antiochena* in qua primo natum est Christianorum nomen. *Romana* quae omnium Ecclesiarum Mater est. Demum *Alexandrina* a *Marco* fundata; quae Ecclesiae uberrimam messem dederunt; nam ipse Inquisitor acerrimus *Saul* coelesti voce perculsus, collum jugo *Christi* subdidit; et non solum Damasci, sed et alibi Evangelium docuit *b*) prout Judaeis, ita et aliis Gentibus. Sed quum brevi Religio Christiana in tantum excrevisset, ut maximis progressibus per totum Romanum imperium spargeretur, Romani Imperatores crudelissimis vexationibus ipsos Christianos persequi coeperunt; quarum persecutionum *causae* sequentes fuerunt: I. *Judaeorum* in *Christum*, ejusque Discipulos *furor* *c*) II. *Ignorantia Gentilium*, qui rebellantes Judaeos confundere volentes, promiscue in utrosque saevierunt. III. *Superstitio* Gentilium, qua non ferebant eam sectam, quae gentium Deos aboleret; hinc quoties aliquid sinistri reip. eveniebat, toties Deos sibi iratos cre-

*a*) Act. 2. 10. 11. 13. 14. *b*) ad Gal. 1. v. 17. 18. *c*) Act. 12.

credebant ob contemtum pristinae religionis, qua durante salva et incolumis per tot secula stabat Respublica Romana: hinc optimi etiam Imperatores, Christianos tamquam Atheos, crucicolas, et omnium religionum eversores considerabant. IV. *Calumniae et Mendacia* in Christianos; ut de incensa Urbe sub *Nerone*, *a*) de conspirationibus nocturnis, de manducatione humanae carnis; et aliis, quae ex male intellectis Christianorum Mysteriis, conventibus, Agapis, vel ritibus, uti osculo pacis, fratrum et sororum appellatione, concluserunt. V. *Politica ratio*, qua in religione nihil Romani immutare voluerunt. Accessit multitudo Christianorum suspecta Romanis Imperatoribus, qui Christianos pro inimicis Imperatorum, Legum, et Naturae servarunt. *b*) Porro mira constantia Martyrum, persequendi ardorem amplius adhuc augebat; nam patientia ista in perferendis exquisitissimis cruciatibus, desperatio, temeritas, et contumacia habita fuit. Hujusmodi

*Persecutiones* gravissimae sub Imperatoribus Ethnicis *decem* numerantur. I. sub *Nerone* circa a. Ch. 64. ex incendio Urbis Romae sumpta. Cujus crudelem modum *Tacitus* *c*) sic describit: *pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent,* aut

*a*) Tacitus. Annal. 15. *b*) Math. c. 10. v. 22. et c. 24. v. 9. *c*) Annal. L. 15. c. 44. Sulpitius. Hist. L. 11. Orosius L. 7. Baronius. ad a. 67.

*aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat.* Hac persecutione *SS. Petrus* et *Paulus* Romae martyrio coronati sunt. II. Persccutio fuit sub *Domitiano* circa a. 90. qua *Joannes* Apostolus in Pathmum insulam fuit relegatus. *a*) III. Persecutio sub *Ulpio Trajano* ad a. 108. ex afficta a Christianis in Deos et Principem flagitia: *b*) qua vice *Ignatius* Antiochenus e Syria Romam delatus et bestiis ibi objeciendus erat. IV. Sub *Hadriano* Caesare. *c*) V. Sub *Antonino Pio.* et sub *M. Aurelio Philosopho*, ac *Lucio Vero* fratribus; qua tempastate pro Christianis dupplicem Apologiam Scripsit *Justinus M.* etc. *d*) Cessante hac persecutione, circa finem seculi secundi, varii *honores* habiti sunt Martyribus; uti Singularis cura *sepulturae* Martyrum, in areis, agris, cryptis, locis abditis, ubi non nunquam tuto convenire licuit Christianis. *Commemorationes Martyrum* factae anniversario die Martyrii. *Conventus publici* ad Martyrum tumulos. *Privilegium Martyrum et Confessorum*, seu adhuc carceribus detenti, ut dare possint lapsis et poenitentibus *pacis literas*. *e*) Persecutionem *Hadriani* renovavit *Severus* Im-

---

*a*) Eusebius in Chron. et Hist. L. 3. c. 13. *b*) Plinius. L. 10. Epist. 97. *c*) Euseb. L. 4. c. 26. *d*) idem ibid. c. 12. — 18. *e*) Epistola Smyrnensium. Et in novis ad Eusebium. pag. 73.

Imperator ad a. 203. sub quo *S. Irenaeus a*) coronam meruit. VI. Sub *Maximino* circa a. 237. VII. cruentissima sub *Decio*, ad medium seculi tertii; qua plurimi lapsi et apostatae evaserunt; *b*) imo hac persecutione nata sunt primordia vitae Eremiticae, scilicet ex fuga Christianorum in deserta et solitudines; qualis *Paulus* Thebanus Pater eremitarum exstitit. VIII. Sub *Valeriano*, qua persecutione *Cyprianus* Carthaginensis capite plexus. *Laurentius* vero Diaconus, craticulae ferreae impositus, et lento igne assatus est. *c*) IX. Sub *Aureliano* alioquin principe truculento. X. Sub *Diocletiano* et *Maximiano*, maxime diuturna, *d*) et Martyrum frequentatissima ad a. 303. In quibus omnibus persecutionibus, adhibita dirissima supplicia, caedes et tormenta, adeo in Christo credentium numerum auxerunt, ut ad initium seculi tertii, tempore nempe *Constantini M.* dubium erat, an in orbe Romano plures ne Ethnici vel Christiani forent. Sed sicut haec Martyrum constantia, nascentis Ecclesiae incrementa mire promovit; ita multorum ardor, nimiumque pro religione moriendi studium, non leves Ecclesiae peperit molestias, quoniam multi, ut gloriosum Martyris nomen assequerentur, spon-

---

*a*) Euseb. L. 6. c. 1. 2. 3. *b*) Querimoniae Cypriani. item. Liber de exhortatione Martyrii. *c*) Euseb. L. 7. *d*) Eusebius. toto Lib. 8. item Lactantius. de mortibus persecut.

sponte ad Magistratum accurrentes semet manifestarunt, unde sopitae etiam persecutiones adeo recruduerunt, ut legibus etiam latis hunc zelum tandem Ecclesiae Patres sapienter coercendum judicaverint. Ceterum non deerant etiam tales, qui acerrima persecutione suam perdiderunt constantiam; quorum alii fuga salutem invenerunt, uti *Paulus* dein *Eremita* dictus, qui in spelunca solitariam vitam amplexus, Monasticae vitae conditor evasit. *a*) Alii supliciis subacti palam a fide defecerunt, quorum deficientium diversa genera erant: alii ut primum persecutio aliqua suborta erat, quin provocarentur, voluntarie Deorum templa accedentes, sponte sacrificia offerebant. Alii autem nonnisi suppliciis et tormentis excarnificati, tandem idolis sacrificia obtulerunt; et hi *Sacrificati* et *Thurificati* vocabantur; alioquin distincti ab iis relapsis, quos *Libellaticos* vocarunt videlicet a *libellis* quos a Magistratibus soluta prius pecunia obtinuerunt, ut a sacrificiis publicae faciendis essent immunes. *b*) Ceterum infinitam tam Judaeorum quam Gentilium multitudinem ad amplectendam Religionem Christianam impulit etiam desolatio Hierosolymae cum templo, et hinc orta Judaeorum dispersio, qua veritas doctrinae Christianae evidentior reddita erat.

*Hae-*

---

*a*) Hieron. in vitia Pauli. ap. Daude. T. 1. p. 598.

*b*) Gregor. Niss. in vita Thaumat. Cyprianus. Epist. 66. Baronius. ad a. 253. 11. 16. Cyprian. Ep. 23. ad Presbyt. Romanos.

*Haereses* longe plus nocuerunt Religioni Christianae, quam persecutiones. Seculo I. celebriores erant *Simonianorum* auctore *Simone* Mago; qui docuit *se esse verum Messiam. a*) *Menandrianorum* a *Menandro*, *Simonis* discipulo delirante invaluit, qui speciatim docuit: *Mundum non esse a Deo, sed ab Angelis factum, se que Dei virtute, ad salutem hominum missum esse. b*) *Nicolaitarum* a *Nicolao* Diacono, *c*) qui docuit *licitas esse vagas libidines, et communitatem Uxorum, vesci licere idolothytis.* etc. *Nazaraeorum* seu *Pseudo Apostolorum* haeresis, quales judaizantes erant, qui imprimis urgebant Legalium omnium et Ceremoniarum necessariam observantiam. — *Philetеanorum d*) a *Phileto* instituta, negabat resurectionem corporum. — *Cerinthianorum*, auctore *Cerintho* docuit mundum ab Angelis factum esse, Christum fuisse nudum hominem, Leges Ceremonias necessario observandas, *e*) esseque Christi regnum terrenum et voluptuosum. *Ebionaeorum* vero doctrina fuit, *Christum natum Josepho Patre mortali;* item Circumcisionis et Sabbathi Mosaici observantia. *f*) Seculo II. famosiores Haeresiarchae erant *Satur-*

*a*) Irenaeus. L. 1. c. 20. Epiph. Haeres. 21. Euseb. L. 11. c. 13. *b*) Euseb. L. 3. c. 26. Epiph. Haer. 22. *c*) Actor. c. 6. *d*) 2. Timot. c. 11. v. 17. et 1. Cor. c. 15. v. 12. *e*) Euseb. L. 3. c. 28. Irenaeus. L. 1. Epiphanius. Haer. 28. *f*) Euseb. L. 3. c. 27. Epiph. Haer. 30.

*turninus. Basilides* Alexandrinus. *Carpocrates* Platonicus admisit *a*) transmigrationem animarum. *Valentinus* — *Gnostici* erant blasphemi et vita flagitiosi, docuerunt Christum venisse ad Demiurgorum contra voluntatem Dei nitentium opera evertenda. *Hermogenes* docuit *Materiam* Deo esse coaeternam. *b*) *Cerdon* ejusque discipulus *Marcion* infestam doctrinam *c*) propagarunt. — *Ptolemeus*, *Marcus*, *Colorbasus*, *Heracleon*, omnes *d*) coaevi. — *Lucianus et Apelles. e*) *Tatianus*, *Montanus*, *Praxeas. f*) etc. Seculo III. praecipuae Haereses erant uti; *Prodici*, qui orationem Supervacaneam statuerunt. *g*) *Noetiani* et *Sabellini* confundebant Personas SS. Trinitatis, tria esse nomina, tres appellationes, sed non tres hypostases, hinc Patrem sub filii notione natum et passum esse dicebant. *Samosateni. Manichaei* duo principia bona et mala adoptarunt. *h*) *Novatiani* vero docuerunt eos salvari non posse, qui post Baptismum peccaverunt. *i*)

*Hierarchia seu Forma regiminis Ecclesiastici. Christus* Ecclesiam a se fundatam administrandam Apostolis concredidit, etiam cum su-

---

*a*) Epiph. Haer. 27. *b*) Tertulianus. Lib. adversus Hermog. *c*) Epiph. Haer. 41. 42. Irenaeus. L. 3. c. 1. *d*) Epiph. Haer. 32. 33. 34. 35. 36. *e*) idem. Haer. 43. 44. *f*) idem. Haer. 48. Euseb. Hist. L. 5. *g*) Clem. Alexand. L. 7. stromatur. *h*) Theodoretus L. 1. c. 19. Epiph. Haer. 66. *i*) Euseb. L. 7. c. 5. et Epistolae Cyprini.

suis discipulis rite administrarunt secundum inductam disciplinam; quae disciplina spectabat vel Pastores, vel fidelium actiones, vel sacros ritus. Apostoli, et primi Christiani certos constituerunt homines qui Sacris praeessent in varias classes descriptos; quales erant *Episcopi*, *Presbyteri*, et *Diaconi*, *a*) quorum electio modo sorte, *b*) modo suffragio multitudinis, *c*) modo Apostolorum delectu, *d*) vel per eorum delegatos, *e*) fiebat; quae electiones semper inconsultis Imperatoribus erant, quamdiu ipsi idololatrae fuerunt; licet secundum verae polítices fundamenta, externum Ecclesiae regimen penes summum Magistratum sit. Tardius autem invaluerunt alii ordines, uti subdiaconi, Lectores, Ostiarii, Exorcistae, Accoliti; imo et Notarii, Confessores, Defensores etc, sequente vero aetate invaluerunt varii gradus Ecclesiasticarum Dignitatum, uti: Metropolitani, Primates, Exarchi, Patriarchae, Archidiaconi, Archipresbyteri etc. Singularum Ecclesiarum itaquae regimen fuit penes Episcopos et Presbyteros in puritate doctrinae, sanctitate morum, simplicitate rituum, ac Disciplinae ordine. *Diaconorum* autem erat ministrare pauperibus, aegrotis, aut incarceratis; item oblata a populo

---

*a*) Clem. Alex. L. 6. stomat. *b*) Actor. c. 1. v. 26. *c*) ibid. c. 6. v. 3. 5. item secundae Cor. c. 8. v. 19. *d*) Actor. c. 14. v. 22. *e*) 1. Tim. c. 22. Titum. c. 1. v. 5.

lo in mensa disponere, Eucharistiam distribuere. etc. *Diaconissae* etiam inde ab Apostolica aetate erant, quarum ministerium fuit. v. g. in baptismo foeminarum, in locis S. Conventuum, circa infirmos et captivos.

*Concilia.* Etsi unaquaeque Ecclesia ex dictis Sacrorum Ministris constans, jurisdictionem Ecclesiasticam exercuerit; tamen plurium simul junctarum Ecclesiarum regimen et consociationem nemo negare potest: nam quum error aliquis, aut controversia majoris momenti erupit, quam ut ab una Ecclesia dijudicari potuisset, mox cum vicinis Ecclesiis communicabant, vel plane conventum finitimorum Presbyterorum indicebant. Atquae haec est Origo *Conciliorum*, seu *Synodorum;* quorum aliud erat *Universale*, aliud *Provinciale* et aliud Nationale: primis tribus seculis Universalis Synodus seu Oecumenica non fuit celebrata; Apostoli tamen primam *Hierosolymis a*) celebravisse de electione *Matthiae;* pro electione septem Diaconorum. *b*) Pro missione *Petri* et *Joannis* ad Samaritanos. *c*) Pro condendo fidei Symbolo; *S. Lucas* in actis testatur. *d*) — Seculo II. *Caesareae* in Palestina propter celebrationem Paschatis, Asiatici enim more Judaeorum Pascha celebrandum statueruut die 14. Lunae mensis Martii. Romana vero Ecclesia, cum multis aliis

*a*) Actorum. c. 4. v. 15. seq. *b*) ibid. c. 6. v. 2. seq. *c*) ibid. c. 8. v. 14. *d*) idem. ibid.

aliis juxta consvetudinem ab Apostolis acceptam, in perennem memoriam resurectionis Domini celebrandum statuit die Dominica, quae post aequinoctium vernum proxime sequitur diem 14. Lunae mensis Martii. *a*) In eadem causa celebrata fuit Synodus in *Ponto*, *Corinthii*, *Romae*, *Ephesi*, et *Lugdunii* in Gallia. *b*) Seculo III. autem Carthaginense I. a. 215. de iterando Haereticorum baptismo. *c*) *Alexandrinum* a. 230. de *Origene* pellendo: qui demum in Aegyptiaca Synodo etiam dignitate Sacerdotali exutus est. *d*) *Carthaginense II.* et III. item *Romanum*, celebrabatur in causa lapsorum. Alia vero *Cartaginensia* concilia potissimum de parvulorum baptismo agebant *e*) *Antiochenum* in causa Pauli Samosateni. *Eliberitanum* pro disciplina morum reformanda; *f*) ex quibus patet: quod in primis jam Conciliis leges et constitutiones Ecclesiasticae fuerunt conditae, quibus cuncti Christiani coetus obtemperare obligabantur; quae simul dijudicabant controversias inter Christianos enatas, Haereticorum vero dogmata examinabant et condemnabant.

*Doctrina et Disciplina Ecclesiae.* Omnem Doctrinam primi Christiani ab ipso Servatore ac-

*a*) Beda. L. de Aequinoct. Verno. *b*) Euseb. L. 5. c. 23. seq. *c*) Cyprian. Epist. 71. ad Quintum. *d*) Euseb. L. 6. *e*) Cyprian. Epist. 64. Euseb. L. 7. c. 7. Daude. Concil. T. 1. p. 786. *f*) Optatus. L. 1. p. 16.

acceptam, et ab Apostolis ejusque Successoribus propagatam habuerunt in Scriptura Sacra, et Traditione, in Scriptis Symbolicis et Apologeticis: *a*) juxta quae crediderunt Deum unum, invisibilem, aeternum justum, bonum, trinum in Personis, et unum in essentia; Sacramentorum aequalem numerum ubique; nam docuerunt per originale peccatum, hominis liberum arbitrium quidem obscuratum, non tamen ademptum: ideo baptismi necessitatem comprobarunt, *b*) prout et Confirmationis Sacramentum. Reconciliandi potestatem viguisse *Cyprianus* sic testatur: *c*) *Confiteantur singuli, quaeso vos fratres; delictum suum, dum adhuc qui deliquit in Seculo est.* De Eucharistiae Sacramento nihil fuisse dubitatum docet *Justinus: d*) quod simul fuisse Sacrificium oblatum testatur *Irenaeus. e*) Extremae vero Unctionis usum *Jacobns* Apostolus *f*) probavit. — Cerimoniae initio erant simplices, celebraruntque festum diem Domini, Pentecostes, et Paschatis, in aedibus privatorum, vel ad sepulchra Martyrum, qui conventus Sacri, non ligni aut companae pulsatione, sed per ministros indicebantur, ne Christiani, Ethnicis proderentur: Ora-

*a*) Act. c. 1. item 2. ad Thess. c. 2. Justin. in Apol. et Athenagoras. Tertullianus in Apol. 22. Irenaeus L. 3. c. 4. *b*) Tertull. L. de baptis. n. 1. 5. 6. Justin. Apol. 2. ad Anton. *c*) Sermone de lapsis. *d*) In Apol. ad Anton. Imp. *e*) L. 4. c. 32. *f*) Jacob. c. 5.

Orabant autem certis jam formulis, praeorante Praeposito, populo in fine orationis *Amen* acclamante. *a*) Carmen etiam saepe Christo Deo canere consveverunt. *b*) Celebris erat et *Agaparum* celebratio, in Symbolum fraternae charitatis et communionis, utque pauperes reficerentur. *Lapsi* per Ecclesiae Praepositos corripiebantur; cui Successit publica delictorum confessio, cum externa poenitentia, uti: prostratione, lachrymis, jejunio, deprecatione; imo et excommunicatione: quibus modis sequebatur absolutio poenitentium. *Mores* Christianorum practice apparebant, uti *pietas* in Deum, *Charitas* in proximum. Se *Fratres* et *Sorores* appellabant. Pro inimicis orabant. *Verbum Dei* assidue tractabant. Pro Imperatoribus Vota fundebant. Hospitalitati, beneficentiae et candori imprimis studebant. Circa aegros pauperes et Captivos summe occupabantur, Theatrales ludos studiose vitabant. etc.

3. §. *Status Politicus et Forma regiminis.* Post pugnam Actiacam prout Summa Imperii potestas ad *Octavianum Augustum* delata est, ita mox Populi Romani status novam induit faciem, tam quo ad Jurisprudentiae, quam Regiminis formam: nam legum ferendarum potestas, quae hactenus penes majores Magistratus erat, nunc lege curiata in ipsum *Augustum* conferenda videbatur: qui ut amplius Mo-



*a*) Tertull. Apologet. c. 39. *b*) 1. ad Cor. c. 14. ad Ephes. c. 5. ad Coloss. c. 3.

narchicum imperium jam dudum meditatum tacite inducendo, firmaret, inde ab initio politicis mediis uti voluit: ideo ut umbra quaedam antiquae libertatis appareret, prudenter *Augustus* contestatus est, se Reipublicae curam non nisi in decem annos suscipere, et nec Senatus auctoritatem, nec jura populi vel in minimo diminuere velle; quare etiam Antiquae libertatis varia nominima, uti *Senatum*, *Consulatum*, *Censoriam* et *Tribunitiam* potestatem admisit: *a*) in legibus ferendis populi suffragium expetiit; quod postea *Nero* ita mutavit, *b*) ut leges solo Senatus consensu firmarentur; demum Comitia congregabantur, in quibus contra voluntatem *Augusti* *c*) nihil decernere poterant: ceterae leges a Magistratibus latae, approbatione Imperatoris suum robur retinuerunt. Haec libertatis umbra etiam post obitum *Augusti* aliquamdiu Romae relicta fuit, re ipsa vero nihil nisi sub umbra erat, quia nec Senatus, nec populus concessa sibi jura exercere ausus est prius, quam Imperatoris voluntatem exploratam habuisset. Ceterum *Augustus* finito decennio, iterum aliud et aliud quasi Senatus precibus exoratus suscepit; quibus in adjunctis, ab inconsvetis titulis (Dictatoris honore contentus,) abstinendo, Militiam variis donativis et au-

---

*a*) Tacitus. Ann. L. 1. c. 2. et 5. *b*) Xiphilinus. in Epist. Dion. L. 57. Dio. L. 55. p. 511. de Jure. Civ.

auctoritate sibi conciliando, Patricios aliosque potentiores honoribus et titulis excolendo, benignitatem erga omnes, etiam proscriptos exhibendo, Provinciis optimos quosque amicos praeponendo; Urbi Romanae securitatem militum praesentia procurando; Plebem vero alioquin ad seditiones pronam, annonae abundantia, et exquisitis spectaculis distrahendo, ac proin diversi status et conditionis homines, tantis clementiae ac benignitatis argumentis sibi devinxit, ut tamquam deamatus Princeps ab omnibus *Pater Patriae* appellaretur; imo in ejus Gratiam, cuncti mutationem formae regiminis, necessariam esse praetendebant eo a fortiori, quod non solum Militiam jam sua auctoritate tractaret, sed et provincias, molestiis et turbis maxime obnoxias solus gubernaret; relictis aliis arbitrio Senatus, quas facilius in obsequio servare poterant; signanter autem *a*) illi, qui ad provincias gubernandas a Senatu missi erant *Proconsules* vocabantur, qui vero ab *Augusto* erant missi, illi tantum *Propraetores* nuncupabantur; sed quia *Proconsulibus* jus vitae et necis in milites ademisset; *Propraetoribus* vero illud jus contulisset, patet: quod illos titulo tantum ad speciem; hos vero re et auctoritate superiores esse voluerit; unde patet et hoc, quod summa Imperii Majestas penes Imperatores resederit; et *Augusti* stirps imperium he-



---

*a*) Dio. Cass. L. 53. p. 505.

reditarium obtinuerit; a quo in Milites et Cives imperio, deinceps *Augusti* etiam *Imperatores* dicebantur, qui titulus antea Belliducis erat. Porro praeter Legiones, quae ad nutum Imperatorum, per provincias dispersas stabant, erant etiam milites *Praetoriani* seu Custodes Corporis, quos Imperatores magno numero et magno sumtu alebant Romae. *a*) Qui Praetoriani successive ipsis Imperatoribus adeo periculosi evaserunt, ut eorum benevolentiam magnis promissis, auctoque Stipendio sibi conciliare cogerentur. Quibus in circumstantiis postquam milites observassent Imperium in sua manu esse, nefanda temeritate invisos sibi Imperatores saepe trucidarunt, et alios qui plura pollicebantur, ad Imperium evexerunt; quibus factis eo res devenerunt: ut Praetoriani, Imperium venale exposuerint; sic *Didius Julianus* summam imperii potestatem publice licitari non abhorruit. Haec mali contagio a Praetorianis, ad unumquemque exercitum in limitibus etiam excubantem brevi penetravit. Unde quum in eligendo Imperatore unus exercitus alteri cedere noluisset, saepe electis pluribus Imperatoribus, gravissimae caedes eorum causa invaluerunt. Quale *Militare Imperium* sub Ethnicis Imperatoribus viguit usque ad *Constantinum M.* — Quod leges attinet: eousque Im-

---

*a*) Sveton. in August. c. 37. Lazius. Comment. Reip. Rom. L. 1. et 2.

Imperatores Senatus Consultorum ordines intactos conservaverunt, donec Romani magis servituti assvevissent; postmodum vero novis constitutionibus latis eos abrogarunt; quae *Constitutiones* aut *rescripta*, si privatorum res concernebant, *a*) vocabantur *Epistolae.* Si ad libellos provinciarum respondebant *Sanctio Pragmatica;* Si sponte ad subditorum utilitatem concesserunt *Edicta Principum*: dum vero a Principibus de cognita causa Sententia ferebatur *Interlocutiones* vel *Decreta;* si denique *Jus novum* ab Imperatoribus impositum erat, tunc *Constitutio Imperatoris*, nominabatur. Cujusmodi Constitutiones ad *Diocletianum* usque editas, in Librum redegit, Juris Consultus *Gregorius* unde *Codex Gregorianus* invaluit. Alias vero collegit usque ad *Constantinum M. Hermogenes.* *b*) De *Lege Regia* autem fuse exponit *Heineccius.* *c*) Demum ad politicum regimen strictius instituendum, *Augustus* haud praetermisit etiam *Censoriam* potestatem, ope cujus: quis sit populi, familiarum et facultatum status, rite cognovit; Urbis vias, aerarium et vectigalia tueri didicit; in omnium mores diligenter inquisivit; Cives probos praemiis, im-

---

*a*) L. 3. §. 1. de test. et de Constit. ap. Daude. L. 1. c. 1. Refl. p. 177. *b*) Gravina. de ortu et progressu. I. Civ. c. 131. *c*) In Syntagmate. Antiq. Rom. L. 1. T. 2. p. 87. seqq. Struvius. iu Hist. Jur. Rom. p. 112. seqq.

improbos ignominia notavit. *a*) Ex quibus patuit annuus reditus Imperii, qui sub *Augusto* fuit tercentorum sexaginta millionum Rfloren. et tamen brevi *Vespasianus* invenit publicum debitum fere bis mille millionum Rfloren.

§. 4. *Status Belli et memoria Principum Virorum.* Romani Imperii majestas imprimis a bellorum gloria repetenda est; nam inde ab origine Urbis, usque *Octavianum*, quingentesies bellarunt; et quadringentesies triumpharunt; quibus victoriis vim praestitit unice disciplina militaris; quare etiam continuo specialem curam delectibus militum adhibuerunt; quia nonnisi *Ingenui*, *Juvenes*, et *libertini* in militiam, (demto necessitatis casu) adoptabantur. *b*) — Belli tempore, exposito ex arce vexillo, omnes aetate idonei provocabantur, et in Capitolium vel campum Martis convocabantur; *c*) ubi conflatus exercitus Imperatori demandabatur. Tanto autem avidiori animo juvenes optimi, statum militarem amplexi sunt; quanto certiores essent inde meritorum praemia se accepturos; quoniam de lege, nulli sine militia, honoribus domi condecorarentur: quos Tribuni, fidelitatis juramento obstrictos in ordinem disposuerunt. *d*) Ex talibus igitur praestantissimis

*a*) Dio. L. 53. — 56. Sveton. in August. c. 27. Spanhemius. Dissert. 12. de praest. et usu num. §. 10. *b*) Livius. L. 32. c. 33. Lipsius. de Milit. Rom. 1. dial. 1. Gellius. L. 16. c. 10. *c*) Livius. L. 26. c. 31. Virgil. Aeneid. 8. *d*) Cantelius. Dissert. 6. c. 1.

mis civibus conflatus exercitus Romanus, tribus specialibus partibus constabat, uti *Legionibus*, *Sociis*, et *Auxiliis*. *Legiones* erant ex Civibus. *Socii* erant Itali. *Auxilia* vero ex diversis nationibus conflata sunt. *Socii* gratis (demto frumento) militabant; *Auxiliares* vero stipendia percipiebant. *Legio* ex decem cohortibus Peditum, et decem Turmis Equitum constabat. Generatim Milites alii erant Praetoriani, alii Limitanei, alii Belligerantes; et hi sicut nomine, ita aetate et armis diversi erant: uti I. *Velites* adolescentes, velitationibus potius quam ferris hostes lacessebant; quibus *Funditores* et *Ferendarii* adnumerabantur; et hi Ferendarii lapides pro fundis adferebant. II. *Hastati* ab hastis dicti, adultiores ad frontem stabant. III. *Principes* quod a principio gladiis uterentur nominati, aliis virium robore majores. IV. *Triarii* qui in tertio ordine, scuto, hasta et ense pugnabant. Denique huc pertinebant et *Evocati a*) qui exactis suis stipendiis, sponte in gratiam Imperii et Ducum militabant. — Duces erant tripplicis ordinis, nempe: I. *Centuriones* et *Tribuni* penes Pedites milites, Centurio erat primus *hastatus*, qui apud *Triarios* vocabatur *Primipilus*. *b*) *Tribuni* vero in omni Legione pedestri tres erant, quorum dignitas post Senatores prima fuit, gaudebantque jure an-

---

*a*) Cantelius. Dissert. 6. c. 1. *b*) Veget. L. 2. c. 5. Livius. L. 28. c. 24.

anuli aurei; ubi aliis ferrei erant admissi. Tribunorum officium erat militiam in castris continere, portarum claves accipere, et delicta militum juxta leges castigare. *a*) — Duces Equitum *Praefecti* et *Decuriones* dicebantur. *Imperator* vero is nominabatur, cui jus belli gerendi concessum erat. *b*) — *Arma* quibus hi milites utebantur, diversae formae erant: sic *Velites* scutum rotundum ex ligno sed corio inductum habebant; *Galeam* ex pelle animantis; gladium vero utrinque acutum, item hastulas missiles septenas. — *Hastati* et *Triarii* graviora arma portabant, uti scuta imbricata, quae toti corpori tegendo erant apta, galeae aereae, et loricae potissimum hamatae ex anulis. *Equites* erant instructi gladio longo, galea et lorica leviore. In oppugnatione autem alicujus Urbis diversa machinarum genera erant suppeditata, uti testudines, arietes, Catapultae etc. Relatae victoriae, triumphali pompa honorabantur; quas quia Imperatoris ductu reportassent, ideo Imperatori triumphus decernebatur speciali ritu, nempe Imperatori Laureato et ramum dextera tenenti, extra Urbem Senatus obviam ibat, ubi habita oratione de laude militum, triumphans per vias floribus respersas, in Urbem ducebatur; ante quem imagines devictarum Urbium aut provinciarum, item insi-

---

*a*) Svetonius. in August. c. 21. *b*) Veget. L. 2. c. 12. Lipsius. de re Milit. Rom. L. 3. c. 7.

signiora spolia ferebantur, nec non Reges et Duces captivi praeibant; quos sequebatur Victor Imperator *a*) triumphali veste indutus, qui in sella ex ebore, sex, vel quatuor equis albis vehebatur; post quem Cognati et Victor exercitus inter Cantus ibat. Ut tamen triumphantis ambitio temperetur, a tergo Imperatoris haerebat unus servus publicus; *b*) qui coronam tenuit, et haec dixit: *memento te hominem.* Porro sicut Ducibus, ita et Militibus erant victoriae praemia, seu dona, uti: *hasta pura*, *Armillae*, *torques*, *Coronae variae.* etc. *c*) Interim ad bella natos milites Romanos summa disciplina oportebat gubernari, sic furtum inprimis prohibebatur, Vallum transire capitale fuit, ne hosti viam patefaceret. Mulieres in castris esse non poterant. Non nisi dato signo comedere licebat; et tunc cibi erant vilissimi, uti panis bis coctus, et salitum laridum: pro potu potissimum aqua aceto mixta: etiam tempore pacis milites in armorum tractatione exercebantur; singulis enim mensibus ter decurrere debebant decem millia passuum sub pondere armorum, insuper cibaria dierum trium: praeterea fossas transaltare, flumina tranatare, et se praelio lacessere solebant. etc. Atque ita ordinata cum militia, facile celebres victorias reportare

---

*a*) Cicero pro Rege Dejot. Ovid. Trist. 4. Eleg. 11. *b*) Sveton. in Julio c. 50. *c*) Dionys. Halicar. L. 6. c. 13. Plin. Hist. Nat. L. 22. c. 3.

re poterant Romani Imperatores, qui inde ab *Augusto* usque *Constantium Chlorum* erant, uti:

1. *Octavianus Augustus*, qui a *Julio Caesare* avunculo suo adoptatus, ut princeps prudens, eruditus, blandus, et fundandae Monarchiae aptissimus, *a*) anno post triumviratum XII. rerum potitus est; brevique ob praestantiam, aut auctum imperium, primus a Senatu *Augustus* appellatus; Augusto mensi nomen dedit, qui antea Sextilis dicebatur. Aegyptum in provinciam redegit. Dalmatiam, Pannoniam, Illyricum, Rhoetiam, et Vindelicos per *Drusum* et *Tiberium* Romanorum imperio adjecit. Armeniam a Parthis recepit, Scythas et Indos, antea tantum fama cognitos, ad suam, et populi Romani amicitiam sponte per Legatos petendam allexit. Pacifice regnavit si clades in Germania acceptas, *b*) Lollianam et Varrianam excipias; ubi *Quintilius Varus* cum tribus legionibus et sex cohortibus a Germanis trucidabatur. Sub hoc pacifico Imperatore verus ille pacis Princeps *Jesus Christus* aeternus Dei filius ex *Maria* Virgine natus est Magister ac vindex generis humani: a cujus nativitate *Aerae Christianae* initium sumunt Chronologi. Ceterum *Octavianus* in media felicitate publica,

---

*a*) Vellej. Pater. L. 2. Sveton in Vita August. Tacitus. ann. L. 1. Flor. L. 4. *b*) Sveton. in August. c. 23. Dio. Cass. L. 56. Tacitus. ann. L. 1. c. 55.

ca, domesticis malis infelix fuit, nam stirpem Virilem cui imperium tantum legaret, non habuit: praeterea filiam *Juliam a*) neptem, et *Agrippam* nepotem flagitiis infamem in exilium misit, demum *Cajum* et *Lucium* nepotes, *b*) praematura morte amisit, in quorum locum dein *Tiberium* privignum adoptavit. *c*) Tandem postquam 57. fere annos *Augustus* regnavisset, Nolae in Campania ex ventris profluvio obiit; cui mortuo Divini honores decreti sunt: *d*) quum Romam e lateritia, marmoream reliquisset.

2. *Tiberius* Augusti privignus, inter simulatas lachrymas imperium nactus, *e*) *Germanici* Caesaris metu, principia ejus imperii moderata erant; Consulibus enim assurgere solitus est; Praesidibus provinciarum svadentibus ut tributa augeret, rescripsit: *Boni pastoris esse, tondere pecus, non deglubere.* Nihil solus egit, nec superbus titulos a Senatu acceptavit, nec templa aut aras a Civitatibus sibi statui facile admisit. Verum brevi rejectis his virtutibus, in omne voluptatis et crudelitatis *f*) genus ruit: mox enim *Augusti* filiam *Juliam* et nepotem *Agrippam* trucidavit. *g*) Seditionem Pannonica-

*a*) Sveton. in Aug. c. 65. Tacit. L. 4. ann. c. 71. Dio. Cass. L. 55. *b*) Vellej. Pater. L. 2. Sveton. c. 65. *c*) Sveton. in Tiber. c. 15. Dio. Cass. L. 55. *d*) Circumstantias exponit Sveton. c. 98.—100. Dio. Cass. L. 56. *e*) Sveton. in Tiber. c. 23.—25. *f*) Idem. ibid. c. 41. Tacitus. ann. L. 4. Dio. L. 57. *g*) Tacitus. ann. L. 1. c. 6. Sveton. c. 22.

carum et Germanicarum Legionum severitate Praefectorum exscitatam, per *Drusum* et *Germanicum* sedavit: imo hujus *Germanici* virtute, *Arminium* Germanorum ducem cruentissimo dupplici proelio vicit. *a*) De *Cheruscis* et *Chattis* triumphavit. *b*) Qui postea Graeciam, Asiam, et Aegyptum magno populorum applausu peragrans, quum Cappadociam et Comagenam in provinciam redegisset, a *Pisone* Syriae Praeside, instinctu *Tiberii* veneno sublatus est. Inter haec *Tiberius* Matre *Livia* demortua, *Drusum* Caesarem ex se genitum, affectati regni suspectum veneno sustulit; *Germanici* filios fame necavit. *Sejani* Praefecti praetorii svasu Romam primorum virorum caedibus polluit, denique in dies vitiosior redditus, artificibus et omnibus bonis gravis evasit: *c*) et *Sejano* cuncta permittens, tandem ejusdem svasu a. Ch. 26. in insulam Capream secedens, eam quoque sua nequitia et luxu infamem reddidit: *d*) dumque sic imperii oblitus, veneri intemperanter indulgeret, Armenia a Parthis, Moesia a Dacis, Pannonia a Sarmatis, Gallia a Germanis, dire depopulata est. Domi vero *Sejanus* Praefectus administrator Imperii relictus nihil intentatum reliquit ut sibi ad imperium viam sterneret; imo quum jam seipsum pro Imperatore, *Tibe-*

---

*a*) Tacit. L. 1. c. 55. seqq. et L. 2. c. 5. — 26. *b*) Idem. L. 2. c. 41. *c*) Tacit. L. 3. c. 49. seqq. et L. 4. c. 34. Dion. Cass. L. 57. *d*) Tacit. L. 4. c. 39. seq. Sveton. c. 39.

*berium* vero pro insulae Rectore habuisset, summa temeritate eo existimationis provehi voluit; ut ipsi tamquam Deorum alicui Sacra fierent, deferreturque ei Consulatus cum prorogatione quinquennii; item ut in literis publicis, sicut *Tiberii*, ita et *Sejani* nomen deinceps a Senatu inscriberetur; ac demum sicut Imperator aureo curru in Theatrum veheretur, jurarentque omnes in ejus fortunam. Hic igitur tanta ambitione inflatus, senatum convocavit, ut literae Imperatoris perlegerentur, quibus ei Tribunitia potestas collata credebatur; interim exspectanti contrarium et rerum humanarum inconstantiae admirandum exemplum apparuit! iisdem enim literis plecti jussus est a *Tiberio*, cui jam metuendus evaserat: moxque in vincula conjectus et capite mulctatus est; ac dein in gemonias unco tractus per triduum a populo ludibrio habitus, tandem in Tiberim projectus, filii etiam omnes necati, filia vero prius Carnifici violanda immaniter demum trucidata, *a*) parique crudelitate etiam in ejus amicos actum est. Ceterum Tiberius deinceps etiam horribili crudelitate in omnes saeviens, in maxima licentia et delitiis confectus, *b*) ad Misenum a. Ch. 37. aeger, injectis ori multis vestibus, jussu *Macronis* Praet. Praefecti suffocatur aetatis an-

---

*a*) Dio. Cass. L. 58. Tacit. L. 5. c. 9. Sveton. c. 65. Pierre Matthieu, in Tract. Gallico, de Sejano singulari. *b*) Tacit. L. 6. Sveton c. 60. seq.

anno 78. *a*) Sub hoc Imperatore *Christus* Salvator noster crucifixus fuit anno aetatis 33. et Mensibus tribus. *b*) Cujus mortem et resurrectionem tanta miracula confirmarunt, *c*) ut *Tiberius* ob veritatem suae Divinitatis permotus, suo suffragio apud Senatum egit, ut inter Deos recenseretur, *d*) sed Senatus restitit.

3. *Cajus Caligula*, a castrensi calceamento sic dictus, optimi parentis *Germanici*, pessimus filius, et monstrum potius quam homo, nam *Tiberio* immanior Tyrannus exstitit: *e*) hic enim statim histrionibus magis quam imperii curis deditus, *f*) ad eam stultitiam devenit, ut divinam sibi majestatem arrogando, *Jovis* titulo salutari voluerit, *g*) temploque sibi condito, Sacerdotem se dignum, incitatum equum suum constituit. Postea Galliam et Hispaniam caedibus et rapinis exhausit, a. Ch. 39. *h*) Ex Britannica expeditione domum rediens, tanta crudelitate saeviit, ut exclamaret: *Utinam Populus Romanus unam cervicem haberet?* quam uno ipso ictu abscinderet, unde jactando dicere

---

*a*) Tacit. L. 6. c. 50. Sveton. c. 73. seq. seq. Dio. Cass. L. 58. *b*) Baron. ad a. 34. n. 46. *c*) Lucae. c. 23. v. 44. Marci. c. 15. v. 33. Matth. c. 27. v. 15. *d*) Tertull. Apolog. c. 5. et 21. Euseb. Hist. L. 2. Orosius. L. 7. c. 4. Sveton. in Tib. c. 61. *e*) Tacit. L. 1. c. 41. Sveton. in Calig. c. 9. seq. Dio. Cass. L. 59. *f*) Sveton. c. 18.—25. Dio. Cass. L. 59. *g*) Equum nomine incitatum; meminit Svetonius. c. 55. Dio. Cass. L. 59. *h*) Idem.

re consvevit: *a*) *Oderint, dum metuant.* Praeterea tantae erat prodigalitatis, ut ex vicies ter millies sestertiis, hoc est ultra centum Millionibus floren. quos a *Tiberio* acceperat, nulla ejus pars secundo imperii anno super esset; *b*) eoque brevi pervenit ut ad colligendam pecuniam lupanar in palatio instituerit: unde *Seneca* *c*) non immerito declaravit: illum a rerum natura editum, ut ostenderet, quid summa vitia, in summa fortuna possent. Tandem *Cajus* in palatio a conjuratis Tribunis *Cassio* et *Sabino.* 24. Januarii. anno imperii 4. trucidatur a. Ch. 41. *d*)

4. *Claudius*, *Drusi Germanici* filius, quinquagenarius ad imperium vocatus, *e*) timidus et vecors, ad regendumque ineptus, *Messalinae* uxori sceleratae, Ministrisque pessimis *f*) omnia crudelitatis et nequitiae genera permisit: ipse profusissimae libidinis, sex habuit conjuges, quarum *Messalina* tantae erat impudicitiae, ut vivo marito, palam cum filio cuncta tractaret. Ultima uxor fuit *Agrippina*, cujus filium *Neronem* adoptavit, excluso *Britanico* ex *Messalina* suscepto. Ceterum *Claudius* a. 43. Britannicam expeditionem non infeliciter suscepit

*a*) Dio. Cass. Sveton. c. 27. seq. *b*) Dio. Cass. L. 59. Tacit. L. 6. c. 50. *c*) Sermone de Consolat. ad Alb. *d*) Joseph. Antiq. L. 19. c. 1. Dio. Cass. L. 59. Sveton. c. 56.—58. *e*) Tacit. L. 11. Cassius. L. 60. Sveton. in Claudio. c. 10. *f*) Sveton. c. 26. Dio. Cass. L. 60. Tacit L. 11. et 12.

pit *a*) unde cum triumpho rediens, Urbem publicis operibus auxit; Ludos seculares celebravit. *b*) Britanniam subegit, utque annonae caritatem sublevaret, Tiberim navigabilem, immisso in eum Fuccino lacu effecit, ubi 3o. millia hominum, undecim annis laborarunt. Tandem postquam Mathematicos et Judaeos *c*) Orbe ejecisset; Veneno, ab *Agrippina* uxore, in delectabili ipsi cibo oblato, *d*) necatus est, a. 54. Cujus Praeceptor erat *Titus Livius.*

5. *Nero*, *Domitii*, *Ahenobarbi* de *Agrippina* filius, donec *Senecae* Magistri principia sequebatur, cunctis optimus princeps videbatur; eo autem sublato in omnia probra et dedecora ruit, horrendisque sceleribus *e*) contaminabatur; nam Magistros suos, *Barrhum* et *Senecam*, (quorum militari peritia, et doctrinae Sapientia ad virtutem accensus adeo clementer imperabat, ut quum mortis Sententiam dictaret, continuo exclamaret: *vellem me nescire literas*) occidit; imo et Matrem *Agrippinam*, conjugem *Octaviam*, amitam *Antoniam*, aliosque cognatione proximos crudeliter necavit; *f*) unde Nero-

---

*a*) Sveton. c. 17. Dio. Cass. L. 60. *b*) de aqua Claudia, et aliis operibns. Sveton. c. 20. seq. Tacit. L. 11. c. 11. *c*) Tacit. L. 12. c. 52. de Mathematicis. Svoton. c. 25. de Judaeis Orosius. L. 7. c. 6. *d*) Tacit. L. 12. c. 66. seq. Sveton. c. 44. Dio. Cass. L. 60. *e*) Tacit. L. 14. c. 53. seq. Dio. Cass. L. 61. *f*) Tacit. L. 14. c. 1. — 9. Sveton. c. 34. Dio. Cass. L. 61.

roniana crudelitas etiam proverbio celebrari coepit. Praeterea magnam Urbis Romanae partem, aedibus informem, per ludum succendit, ut Trojae incendium sibi repraesentaret; *a*) cujus incendii causam in Christianos conjiciens, primum nascentis Ecclesiae persecutionem atrocissimam inchoavit; *b*) demum expeditionem Graecam stolidissime suscepit, in qua post turpissima quaeque facta, a. 67. Isthmum Corinthiacum *c*) perfodere frustra laboravit. Parthicum quoque bellum per *Corbulonem* aliquot annis strenue gestum est, *d*) dum *Nero* per Italiam tumultuaretur; qui Majestatis immemor, incredibilem luxum exercuit; nullam vestem bis induit, rete aureo piscabatur, dicendo: *Hoc agamus, ne quis quidquam habeat.* Tandem Deo et hominibus ob immanem crudelitatem invisus, dum a Senatu et populo ad necem quaereretur, defectioneque multorum territus, *e*) se ipsum interfecit, anno scelerati regiminis 14. hoc dicto: *turpiter vixi, turpius moriar.* Cujus morte exstincta est etiam *Augusti* progenies: quare ab ejus ducibus multum de principatu disceptatum erat.

h 6.

---

*a*) Tacitus. L. 15. c. 60—65. Sveton. c. 35. Dio. Cass. L. 62. *b*) Tacit. L. 16. c. 6. seq. *c*) Dio. Cass. L. 63. Sveton. c. 19. *d*) Tacit. L. 13. c. 34. Dio. Cass. L. 62. *e*) Sveton. c. 48. seq. Dion. L. 63.

6. *Galba* post necem *Neronis* ab exercitu Hispaniensi, ut septvagenarius, Imperator salutatus, *a*) a. 68. alias vir justitiae et disciplinae militaris amans, dum in Urbem veniret, mox VII. milibus Praetorianorum occisis, aliis vero decimatis, crudelis evasit; ob quam nimiam in milites severitatem, *b*) brevi *Sylvius Otho* concitata conjuratione, in medio foro per immissos Equites *Galbam*, imperii mense septimo, trucidavit.

7. *Otho* imperium invasum nonnisi tribus mensibus tenuit, *c*) nam a *Vitellio* qui a Germanicis legionibus Imperator constitutus erat, post felices quasdam velitationes, *d*) ad *Veronam* levi proelio victus, sua se manu interemit, incubando in proprium pugionem erectum et utraque manu suffultum.

8. *Vitellius* in Germania Imperator electus, vir ad ebrietatem et commessationem, et hinc consecutam saevitiem natus, *e*) qua propter quum exercitus ubique tumultuaretur, et in *Vespasiani* verba jurarent Legiones Syriacae, nonnisi octo mensium spatio imperium tenere potuit; nam a militibus *Vespasiani* parti-

---

*a*) Tacit. Hist. L. 1. c. 4. *b*) Sveton. et Plutarch. in vita Galbae. Tacit. L. 4. c. 41. Dio. Cass. L. 64. *c*) Tacit. L. 1. et 2. Hist. Sveton. et Plutarch. in Othone. Xiphilinus ex Dione L. 64. *d*) Tacit. L. 2. e. 46. Hist. Sveton. c. 11. Dio. Cass. L. 65. *e*) Tacit. c. 5. Sveton. in Vitello. c. 11. — 13. Dio. Cass. L. 65.

tibus faventibus, intra ipsam Urbem ter repetito praelio victus, *a*) captus, religatisque post tergum manibus, cum dedecore per Urbem seminudus tractus, tandem jugulatus et in Tiberim praecipitatus fuit. *b*) — Pro morali doctrina! vix aliqua aetas magis ostendit in summo Orbis terrarum imperio fragilitatem felicitatis humanae: quatuor enim Imperatores intra biennium per ludibrium perierunt.

9. *Vespasianus Flavius.* Exstincta in *Nerone* Caesarum stirpe, sublatisque, ut vidimus, tribus violentis Principibus, imperium ad Familiam *Flaviam* devolutum est *c*) in *Vespasiano*, qui jam sub *Nerone* a bellicis factis clarus, ad pacandos Judaeae motus cum valido exercitu missus, multa praeclara armis et consilio egit; quare etiam *Nerone* mortuo, Imperator ab exercitu suo creatus, *d*) mox exercitum cum bello, filio suo *Tito* consignans, Romam ad suméndam coronam properavit; Vir quidem haud splendido stemmate natus, sed mitis et affabilis, virtutumque *Augusti* imitator, tantae clementiae erat, ut justis etiam suppliciis ingemuerit. Ea tamen miraculosa acta, quae *Tacitus* *e*) commemorat, imprimis *Apollonii*

 *Ty-*

*a*) Tacit. Hist. L. 2. c. 6. et L. 3. Sveton. c. 15. *b*) Tacit. L. 3. Hist. c. 85. Xiphilin. ex Dione. L. 65. *c*) Sveton. in Vespas. c. 1. Tacit. Hist. L. 3. 4. 5. *d*) Idem. L. 3. c. 4. Sveton. c. 6. Xiphil. ex Dione. L. 66. *e*) Tacit. Hist. L. 1. Sveton. in Vespas. c. 7. Voss. de Hist. Graeca fol. 168.

*Tyanaei* Magorum omnium celeberrimi, tum praesentis, et sui amici arte facta fuisse non vane suspicatur *Baronius.* *a*) Ceterum ejus imperii anno secundo, *Titus* filius Urbem Hierosolymorum obsessam oppugnare coepit, a. 60. qui ut obsessis omnem exitum occluderet, eosque fame citius necaret, aggeribus quinque contra Urbem exstructis, sed a Judaeis dissipatis, murum circa civitatem, celeritate humanum captum superante aedificavit, nam triduo opus constructum fuit: in cujus oppugnatione, *b*) ut *Josephus* oculatus refert, fame et gladio undecies centena millia hominum perierunt, centum millia vero vendita sunt: imo exitiali hac calamitate, quingenos captivorum Judaeorum quotidie crucibus affixos ab Romanis, ut jam spatium crucibus deesset, corporibus vero cruces; atque ita capta Urbs deleta est adeo, ut lapis super lapidem non maneret, prout a *Christo* praedictum erat; quo tempore tota Judaea, item Achaja, Thracia, Lycia, Samus, Rhodus, quae regiones antea liberae, vel amicis regibus subjectae erant, in ditionem populi Romani redactae sunt; unde *Titus* cum Patre gloriosissimum triumphum egit, et quidquid decorum apud Judaeos inveniri potuit, uti Vasa Sacra, una cum ipsa lege *Mosis*, Romam attulit. *c*)

Si-

---

*a*) Ad an. Ch. 71. n. 5. *b*) Joseph. Flav. de bello. Judaico. L. 6. c. 13—16. et L. 7. toto. *c*) Idem. ibid. L. 7. c. 24.

Similiter eodem anno 71. Germania tumultuans, *a*) per *Petilium* pacata est; quo facto *Vespasianus* pace parta templum pacis condidit, sequentibus vero annis Urbem et Imperium ingenti industria restauravit, non tamen absque avaritiae nota, *b*) nam etiam Urinae vectigal imposuit, dicens: *Bonus lucri odor e re qualibet.* Eruditis tamen primus Salaria publica instituit; tandem post laudabile decem annorum imperium, filium *Titum* haeredem constituens, gravi morbo implicitus, dum maxima facilitate adeuntes cubans audiret, repente alvo soluto, consurgens dixit: *Imperatorem stantem mori oportet:* quo dicto animam exspiravit a. Ch. 79.

10. *Titus* filius *Vespasiani*, ob singularem clementiam *Amor et Deliciae generis humani* dictus: *c*) Nemini enim petenti quidquam negare solebat dicens: *neminem a Principe tristem oportet discedere*, cumque vesperi recordaretur, se illa die nihil praestitisse, ad caenam exclamavit: *Amici diem perdidi: d*) quare etiam optimis Imperatoribus numeratur. Hujus sub Imperio a. 79. ex *Vesuvio* monte magna vis flammarum erupit, qua tempestate duo oppida, *Pompejanum* et *Herculanum* cineribus et lavis consepulta sunt. *e*) Sequente vero anno Ro-

*a*) Tacit. L. 4. c. 54. seq. et L. 5. c. 14. seq. *b*) Dio. Cass. L. 66. Sveton. c. 16. 23. *c*) Sveton. Tito. c. 1. seq. Dio. Cass. L. 66. p. 753. *d*) Sveton. Tito. c. 8. *e*) Dio. L. 66. p. 755. Plinius Epist. L. 6. Ep. 16.

Romam *a*) triduano incendio foede vastatam magnifice restituit. *Dio* refert: neminem prorsus sub ejus imperio morte fuisse affectum. Sed brevitas ejus vitae, tantum bonum mortalibus surripuit, anno enim imperii tertio decessit, cunctis sui desiderium relinquens.

11. *Domitianus* frater *Titi*, Vir crudelis et impius, qui quotidie muscas interficiendo, crudelitatem in homines exillo exercitio didicit: qui brevi simulatam humanitatem deponens, gravissime Christianos et Eruditos *b*) persequebatur, ipsosque Romanos sumptuosis spectaculis et crudelibus ludis, aliis item malitiae generibus vexavit. *c*) In Britannia per *Jul. Agricolam* ad an. 87. magnas res gessit. De Dacis autem, licet triumphum reportaverat, tamen cum magna Romanorum clade bellum usque ad *Trajani* tempora protractum est. *d*) Interim Magistratus Urbanos, et Praesides provinciarum adeo in officio continuit, ut amplius nec modestiores, nec justiores exstiterint. Calumniatores maximis poenis affecit; Senatores saltandi studio addictos, Senatu removit. Ad ultimum humano honore non contentus, se *Dominum et Deum* compellari jussit; imo in edictis suis perscribi voluit. *Dominus et Deus noster*,

*a*) Sveton. Tito. c. 8. *b*) Sveton. in Domitiano. c. 9. 10. Plin. juni. L. 7. Ep. 19. *c*) Sveton. c. 11. Xiphil. e Dione. L. 67. *d*) Tacit. in vita Agricolae. c. 18. seq. Sveton. c. 6. Xiphil. e Dione L. 67.

*ster, sic fieri jubet: a*) hinc in rabiem versus, complures Senatores levissimis de causis interemit. Ob quam saevitiam cunctis invisus, anno 15. principatus, a suis satellitibus trucidatur, humanisquae honoribus carens, ignominiose sepelitur, corpus enim ejus per vespillones *b*) cum magno dedecore exportatum fuit a. Ch. 96.

12. *Nerva Coccejus.* a. 97. aetate provectus, prudens et moderatus, ab interfectoribus *Domitiani* imperium accepit: clementia et liberalitate clarus, *c*) mox rescissis *Domitiani* actis, adempta per injuriam bona omnibus restituit, qui impietatis in Deos rei erant, absolvit, exules in patriam reduxit, Ecclesiae pacem revexit, verbo tanta fiducia ab integritate vitae fuit, ut palam diceret: se ita imperasse, ut abrogato imperio, privatam vitam securus esset acturus; qui tamen utilissimus *d*) reipublicae princeps, postquam *Trajanum* alienigenam, ob eximiam virtutem, proximis praeferens, adoptavisset, altero principatus anno mortuus est, aetatis a. 66.

13. *Vlpius Trajanus*, primus ex advenis, natione Hispanus, adoptione *Nervae* imperium optinuit a. 99. Vir bellicae rei peritus, multos populos Romano imperio adjecit. Bellum in Dacia contra *Decembalum* rebellantem suscipiens,

*a*)

---

*a*) Martialis. L. 8. Statius. L. 4. *b*) Sveton. c. 17. Dio. L. 67. *c*) Xiphilin. ex Dione Cass. L. 68. Eutrop. L. 8. *d*) Ibid. et Aurelius Vict. in Epit.

*a*) pontem sumptuosissimum Danubio imposuit, Daciamque ingressus, *Decembalum* victum regno et vita exuit. *b*) Imperium Parthorum quod hactenus invictum steterat, *c*) destruxit: qua expeditione durante, Antiochia terrae motu corruit, cujus ruinae spectator *Trajanus* aegrae periculum evasit. *d*) Porro arma victricia per orientem circumferendo, Armeniam quoque et Persidem, Seleuciam, Babyloniam, maximamque Asiae partem imperio suo *e*) adjecit: qua in felicitate, tanta erat tamen ejus justitia, ut quum gladium pro more Praefecto Praetorii traderet, continuo adjecerit: *Hoc pro me, si juste imperavero; si perperam contra me utere.* Ceterum hic prudens Princeps bellicae gloriae, etiam politicum regimen addidit, qui moderatione et libertate omnes superans, dicere solebat: talem se velle praebere Imperatorem privatis, qualem 'erga se esse Imperatorem privatus optasset. Unde invaluit consvetudo, ut in Senatu non aliter postea Principibus inclamarent, quam *Felicior Augusto, melior Trajano.* Doctorum Virorum familiaritate delectabatur, nam *Cornelium Tacitum*, *Florum*, *Solinum*, item *Plinium juniorem* Bithyniae Procon-

---

*a*) Dio. Cass. ap. Xiphil. L. 68. Eutrop. L. 3. Steph. Zamoscius. Anual· Antiq. Dacicar. c. 4. et 5. *b*) Ibid. de Sarmizegethusa, in Vlpiam Trajanam mutata. *c*) Xiphil. fuse. L. 68. *d*) Idem. ibid. Orosius. L. 7. c. 12. *e*) Xiphil. loc. cit. Baronius ad. ann. 107. seqq.

consulem complexus, a quo de Christianorum probatis moribus, rituumque Sanctitate edoctus, mox rescripsit *Trajanus: a*) Christianos conquirendos non esse, si tamen deferrentur, ac in Sententia persisterent, puniendos: quod rescriptum redargüit *Tertullianus: b*) quod neget inquirendos Christianos ut innocentes, et tamen mandet puniri ut nocentes. Tandem maxima rerum gestarum fama in Cilicia princeps utilissimus anno imperii 20. alvi profluvio mortuus est, Cui uni mortuo triumphus, et sepulchrum intra Urbem concessum erat. Ejus enim cineres Romam triumphali pompa invecti, ac in foro *Trajani* conditi sunt: ubi columna 140. pedum alta monumento est.

14. *Aelius Hadrianus*, natione Hispanus, et *Trajani* propinquus, praestanti memoria, ac optimarum artium etiam minutissimarum bene gnarus, ingenio tamen mobili, ad virtutes aeque ac ad vitia factus, *c*) doctorum virorum irrisor et fautor, *Plutarchum* familiarem, *Svetonium* vero ab Epistolis habuit: erga omnes adeo familiaris, ut et aegrotantes inviseret: et benignitate sua, preces anteverteret; admonitionem aliorum hominum aequo ferebat animo. Disciplinam militarem ut sedulo curaret, ipse eis

*a*) Plinius secund. L. 10. Epist. 97. 98. *b*) Apolog. 2. Lucian. Tom. 1. fol. 540. et Tom. 1. fol. 277. et 457. Voss. L. 1. c. 10. *c*) Spartianus c. 7. Dio. Cass. L. 69.

eis exemplum praebuit et duriter *a*) vixit; pacis tamen adeo avidus erat, ut Parthis tres provincias, uti Armeniam, Assyriam et Mesopotamiam lubens cederet. *b*) Bellum nullum movit, nisi quod Judaeos tumultuantes duce *Barchocheba*, qui pro liberatore et promisso *Messia* haberi velebat, horribili *c*) bello domuit a. Ch. 134—136. voluitque ut a patrio solo excluderentur; imo Hierosolymam e ruinis instauratam, a suo nomine *Aeliam* appellavit; Calvariae montem moenibus inclusit, cujus non modo accessum, sed et prospectum Judaeis prohibuit, unde et Christianis favisse videretur, nisi eorum complures maximo affecisset supplicio. Ceterum ingenti labore et sumtu peregrinationem suscepit, *d*) per Galliam, Germaniam, Graeciam, Mysiam, Aegyptum aliasque provincias, nunquam tamen patriam revisit. Justitiae administrationis formam mutavit, adhibendo in judicandis controversiis celeberrimos viros; cujus jussu *Julianus Salvius* perpetuum composuit *Edictum*. *e*) Tandem gravi implicitus morbo, illud proverbium usurpavit: *Multi Me-*

---

*a*) Idem. ibid. Parem in eo non habuit. *b*) Spartian. c. 5. Eutrop. c. 8. c. 34. *c*) Xiphil. e Dione Cass. L. 69. Justin. Martyr. Apol. 2. Euseb. Hist. Eccl. L. 4. c. 6. Baronius ad ann. 129. n. 4. et ann. 137. *d*) Spartian. c. 11 – 13. Dio. Cass. L. 69. ob quae itinera casi numi exstant, variarum provinciarum Simulachra sistentes. *e*) Gutber. L. 1. c. 14.

*Medici Regem perdidere* qui etiam anno imperii 21. mortuus et ad Tiberim sepultus est, aetatis 62. et a. Ch. 138.

15. *Antonius Pius* ab *Hadriano* adoptatus, ob eximias virtutes et morum svavitatem nomen *Pii* meruit: qui optimos viros in reip. administrationem deligere, bonis honorem, improbis castigationem exhibere solebat. Reges exteros, et populos, humanitate et Literis in officio continuit; qua justitiae fama, *a*) plurimae remotissimae gentes barbarae, uti Bactriani, Hyrcani, Indi, depositis armis, ejus se subdiderunt voluntati, amore enim Literatorum *b*) et omni genere virtutum se amabilem reddidit. Christianis quidem minus aequus fuit, donec *Justinianus* Philosophus Christianorum apologiam ei scripsisset, cujus oratione, aut magnis Imperatorum cladibus permotus; legem tulit; ut siquis hoc solo nomine, quod Christianus esset accusaretur, mox supplicium in accusatorem verteretur. Tandem placidissima morte in villa Lorina, Imperii 25. vitae 75. et anno Ch. 161. exspiravit.

16. *Marcus Aurelius* a *Pio* adoptatus, Philosophiae Stoicae adeo erat deditus, ut *Philosophi* nomine honoraretur; qui etiam raro ad posteros moderationis exemplo, numquam vultum

---

*a*) Julius. Capitolinus. c. 1 — 12. Dio. Cass. L. 70.
*b*) Idem. ibid. Eutropius. L. 8. Neander. in Gnomologia. fol. 130.

tum gaudio aut moerore mutavit; item cum *Aurelio Vero* usque ad ejus interitum aequali jure, summa tamen concordia imperavit, *a*) unde post mortem *Divi fratres* dicebantur. Communibus Consiliis bellum Parthicum] feliciter gesserunt; *Verus* relato de Parthis triumpho, subito mortuus est anno principatus 11. Cujus loco ipse *Marcus* bellum cum Vandalis, Sarmatis, Svevis, aliisque barbaris nationibus perdomitis feliciter confecit; prout et cum Marcomannis *b*) et Quadis, quo in bello quum Romanus exercitus siti premeretur, et plane ad desperationem adigeretur, Legionis Melitenae milites Christiani id praecibus a Deo impetrarunt, ut fulmine hostibus concussis, et imbre de coelo effuso exercitus reficeretur, ex quo casu, Legioni ei, *fulminatricis* nomen Imperator dedit. Posthaec Imperator filium suum *Commodum* collegam assummens, expeditionem Scythicam non improspere suscepit, ubi a Medicis, filii jussu Veneno sublatus est, *c*) anno imperii 19. aetatis 58. et Ch. 181. Princeps eruditionis et omnium virtutum laude celebratissimus, qui semper illud *Platonis* in ore habuit: *Beatam esse eam Rempublicam, ubi Philosophi imperant, et Reges philosophantur.*

17.

*a*) Julius. Capitolin. totam vitam Marci Aur. descripsit. Xiphil. ex Dione. L. 74. Eutrop. L. 8. *b*) Xiphil. L. 71. Capitolin. in Marco. c. 14.—24. et in *Vero*. c. 9. 10. Euseb. Hist. Eccl. L. 5. c. 5. *c*) Xiphil. ex Dione. L. 71. Capitolin. L. 27. Eutrop. L. 8.

17. *Lucius Commodus*, optimo patri, filius pessimus successit. a. 181. nam in aetate sua immatura, ab assentatoribus corruptus, *a*) crudelitate, libidine, et indignis factis *Neroni* similis, in Amphitheatro palam cum gladiatoribus et bestiis depugnare non erubuit, et sui principatus annum seculum aureum appellari jussit, *b*) etsi optimi quique crudeliter interficerentur. Licet autem curam reipublicae negligeret, tamen per legatos, Mauri, Daci, Pannonii, Germani et Britanni per vigilantissimum ducem *Ulpium Marcellum* victi erant. Contra Christianos quidem parum attentavit, ideo Romae Ecclesia ipsis etiam Magnatibus florere coepit. *c*) Tandem suis ob crudelitatem invisus, quum ferales illi codicilli, quibus nomina proscriptorum complectebantur, casu proditi essent, ab iis quos interficere volebat, dum venenum a *Marcia* concubina porrectum nihil valeret, *d*) laqueo suffocatus est, anno pessimi regiminis 13. Quem Senatus ob saevitiem, hostem Deorum et hominum declaravit.

18. *Helvius*, *Pertinax* dictus, quod invitus imperium acceperit, antea optimus senex, Grammaticus Professor, demum per singulos militiae gradus ascendens, summa modestia imper-

---

*a*) Herodian. L. 1. c. 1.—24. Xiphil. L. 72. Lamprid. c. 1. *b*) Idem. c. 8.—14. Xiphil. L. 72. *c*) Idem. ibid. Euseb. L. 5. c. 19. Iremaeus. L. 5. c. 4. *d*) Herodiau. L. 1. c. 54. seq. Xiphil. L. 72. Lamprid. c. 17. seq.

perare coepit. *a*) Cujus tamen modestia dum a corruptissimis praetorianorum militum moribus non probaretur, eorum furore, tertio imperii mense, imprimis *Juliani* Jurisperiti fraude interfectus est. Post cujus caedem *Didius Julianus* per varias nefandas licitationes, *b*) imperium usurpans, post 66. dies Senatus jussu trucidatus est.

19. *Septimius Severus* ex Africa ortus, initio statim imperii anno, nomine et re suam severitatem ostendit, Praetorianos milites ob indignam *Pertinacis* caedem exauctorando; moxque bellum civile gessit cum *Pescennio Nigro* *c*) qui Syriam, et cum *Clodio Albino* qui Gallias *d*) ad defectionem solicitabant. *Nigrum* dificilli bello tripplici victum Antiochia fugientem occidit, et *Byzantium* quod in ejus fide perstaret, longa obsidione Muris et libertate spoliavit. *e*) *Clodium* vero a. Ch. 197 ad Lugdunum ingenti praelio superatum trucidavit, et in ejus amicos acerbissime saeviit: qua ratione ab Imperii competitoribus liber, subactis etiam infestis Britanniae gentibus, ut secu-

*a*) Herodian. L. 2. Xiphil. L. 73. Eutrop. L. 8. Capitolinus, et alii. *b*) Heród. L. 2. c. 23. Xiphil. L. 73. Spartiam. in ejus vita. *c*) Herod. L. 2. c. 27. seq. Xiphil. L. 73. Spartiam. in ejus vita. *d*) Herod. L. 2. c. 16. seq. Xiphil. L. 74. 75. Capitplinus. in vita ejus. *e*) Herodian. L. 3. c. 1. 2. 6. Dio. L. 75. p. 850. seq. Herodian. L. 3. c. 5. seq. Spartian. de Severo. c. 10. seqq.

curitati provinciae amplius consuleret, incursionibusque Caledoniorum seu Scotorum obicem poneret, vallum per mediam insulam a mari ad mare posuit. Felici armorum successu etiam Arabes, Adiabenos, aliosque Barbaros debellans, de iis triumphum egit. Tandem filium *Antoninum* imperii socium constituens, moerore magis scelerum filii *Antonini*, quam morbo consumptus, Eboraci mortuus est, *a*) a. Ch. 211. imperti 18. aetatis 66. qui dum extremum duceret spiritum, tamquam testis et contemptor felicitatis humanae, exclamavit: *Cuncta fui, sed nihil prodest. b*) Post cujus mortem Senatus de eo ita judicavit: illum aut nasci non debuisse, aut non mori; quod et nimis crudelis, et nimis utilis Reipublicae videretur.

20. *Antoninus*, *Caracalla* a vestitus genere dictus, *c*) cum fratre suo *Geta* simul imperium suscepit, quorum continua dissidia, morte *Getae* in sinu Matris *Juliae*, a fratre trucidati terminabantur. *d*) Cujus postea imperium in continuis caedibus consistebat, *e*) patre enim asperior, Senatorum principes et alios fortunis et vita exuit. Interim Germanos ad *Moenum* a. 215. felicitor superans, *f*) mox in orientem arma vertit, ubi *Artabanum* Parthum,

*a*) Herodian. L. 3. c. 15. Xiphilni. L. 75. Spartian. c. 18. seq. *b*) Aurel. Vict. in Epit. *c*) Baronius, ad ann. Ch. 213. *d*) Herod. L. 4. c. 8. Xiphil. L. 77. *e*) Herod. L. 4. c. 11. Spartian. c. 4. *f*) Herodian. L. 4. c. 12.

thum, filiae ejus nuptias petens, *a*) infami calliditate circumvenit. Alexandrinos ob quaedam liberae dicta, magna strage mulctavit; quare omnibus invisus, opera *Macrini* successoris. a *Martiale* Centurione, pugione confossus, in Mesopotamia occubuit anno imperii 6. aetatis vero 29. et a. Chr. 217. *b*) — Nihil memoria dignum, praeter Thermas Antoninianas dictas reliquit. Item documentum dedit, quam infida sit regni societas. Hoc tempore *Zephyrinus* Pontifex, publico decreto, de anniversaria Sacro-Sanctae Eucharistiae communione circa Pascha, Christianam pietatem accendit.

21. *Macrinus Opelius*, interfector *Caracallae*, fraudulenter a militibus ad imperium pervenit ut *Maurus*; qui licet ad spem imperii firmandam etiam filium *Diadumenum* puerum in Collegam assumserit, *c*) tamen milites severius tractando, non adeo felicem pugnam cum *Artabano* inivit, *d*) qui etiam a militibus rebellantibus una cum filio suo, postquam uno anno, et duobus mensibus regnavisset occisus est factione *Eliogabali* et *Eutichiani*. *e*)

22. *Varius Anitus Heliogabalus*, antea in Urbe *Elgabal* Solis Sacerdos, *f*) quem caeso *Ma-*

*a*) Idem. ibid. c. 18. seq. Xiphil. L. 78. *b*) Herodian. L. 4. c. 24. seq. Spartian. c. 7. *c*) Lampridius, qui vitam Diadumeni scripsit. item. Dio. Cass. et Xipbilinus. L. 78. Eutropius. L, 8. *d*) Herodian. L. 4. c. 18.—20. Xiphilin. L. 78. *e*) Lampridius et Xiphil. loc. cit. *f*) Heliogabali vitam scripsit, Ael. Lampridius, et Herodianus L. 5.

*Macrino*, *Eutichius*, militibus ut *Caracallae* filium commendabat; qui Romam veniens, mox omnium spem vita sceleratissima impie fefellit, ea enim egit, et agere permisit, quae pudor commemorare prohibet. Ob quas nefandas turpitudines brevi Senatui, populo, imo et militibus execrabilis evadens, quum *Alexandro* ab eo adoptato insidias strueret, a Praetorianis una cum Matre occisus an. imperii 4. et aetatis 18. cujus corpus ne sepeliri possit, in Tiberim abjectum est. *a*)

23. *Alexander Severus Mammaeae* filius, juvenis admodum 16. annos natus, communi voto a. Ch. 222. Imperator acclamatus, inter optimos Imperii principes adnumerandus, *b*) domi parcus, sed non sordidus, foris splendidus absque profusione fuit: ut autem ipse doctus, ita Literas et Literatos amplexus, Officia publica venalia esse prohibuit, neve provinciarum Rectores populo oneri essent, Salaria ex aerario constituit; Jura Romanorum et justitiae administrationem renovavit, in quo administrando usus est *Vlpiano* celeberrimi nominis Jurisconsulto, *c*) *Dionem Cassium* Historicum in Consulatu aliquando Collegam sumpsit; *Vl-*



---

*a*) Idem. ibid. c. 12. seq. Lamprid. c. 13. — 17. Xiphil. L. 79. *b*) Vitam Alexandri scripsit Lamprid. qui c. 43. refert: quod Christo templum condere voluerit. Xiphil. L. 80. *c*) Lamprid. c. 27. Quid. Panciroll. de Jur. Cons. L. 1. c. 57. Forster. in in Hist. Jur. Civ. L. 2. c. 77.

*pianus* vero Praetorii Praefectus, militari seditione trucidatus est. *a*) Post optime ordinatam rempublicam, *Alexander* egregia disciplina militari instaurata, expeditionem contra *Artaxerxem* Persarum regem adornavit; *b*) de quo insignem victoriam reportans, etiam Mesopotamiam ab *Heliogabalo* perditam recupueravit. Sed versis in Germaniam armis, per seditionem Gallicarum Legionum, severam disciplinam aspernantium, *Maximinus* Imperator nominatur, qui mortalium ingratissimus, *Alexandrum* cum matre trucidavit, anno Imperii 13. seu Ch. 235. *c*) Sub hoc Imperatore vixit celebris *Origenes*, qui Bibliam concinnavit in tribus voluminibus, I. Volumen in quator columnis complectebatur versionem 70. Interpretum, translationem *Aquilae*, *Symmachi*, et *Theodotionis*. II. Volumen fuit in sex columnis, et vocabatur Biblia hexapla: ubi prioribus accessit textus Hebraicis et Graecis literis scriptus. III. Volumen erat octo columnarum, et vocabatur Octapla, ubi prioribus adjunxit versionem, quae in Hiericho, altera quae Nicopoli in Graecia fuit inventa. *d*) Ceterum adversus *Origenem* gravis tempestas concitata fuit, ob vulgata ab eo scripta, vel (ut se excusabat) ejus nomine edita, qua-

---

*a*) Lamprid. c. 51. *b*) Herod. L. 6. c. 6. — 13. Lamprid. c. 55. seq. Eutrop. L. 8. *c*) Herodian. L. 6. c. 18. Lamprid. c. 60. *d*) Euseb. L. 6. Hist. c. 15.

quasi multis haeresibus abundaret, excommunicatus est. *a*)

24. *Julius Maximinus Thrax*, humili loco natus, sed tanta corporis mole, ac virium robore erat praeditus, ut arbores manibus radicitus evellere, lapides trophicos fricare, ac una die 40. carnis libras comedere, vinique amphoram bibere potuerit. *b*) Hic igitur primus sine Senatus auctoritate, e corpore militari *Augustus* a militibus appellatus an. Ch. 235. mox scelere quaesitum imperium saevitia tueri statuit; in omnes enim Senatores et Christianos ignobilitatis suae conscios crudeliter saeviebat; *c*) dein totis viribus in Germaniam profectus, eam multorum millium caede funestavit: *d*) qua pacata, Syrmium veniens, et Sarmatis bellum inferre cogitans, militibus etiam suis ob crudelitatem exosus evasit; ideo etiam a Senatu hostis populi Romani judicatus, e) et ejus loco *Gordianus* summae rei praefectus est. Quod factum *Maximinus* vindicaturus, babita ad exercitum concione, Romam contendit; quo scito mox Senatus adversus eum *Pupienum* et *Balbinum* Imperatores creavit. *f*) Ceterum inter



*a*) Longus. in Coriolan. fol. 44. et Vincent. Lirinen. c. 33. *b*) Capitolinus. vitam Maximi scripsit. item Herodian. L. 7. 8. *c*) Herod. L. 7. c. 1. Capitol. in Miximinis. c. 8. 9. Euseb. L. 6. c. 91. *d*) Herod. L. 8. c. 4. 5. Capitol. c. 11. seq. *e*) Idem. c. 8. Herodian. L. 7. c. 7. *f*) Capitol. loc. cit. Herodian. fuse. L. 7. c. 24. seq.

maximas caedes *Maximinus* ipse contra Imperatores Romae electos furens, *a*) in obsidione Aquilejae una cum filio a suis militibus interfectus est nondum triennio tyrannidis suae exacto; cujus caput per Italiam circumlatum, documento fuit, quid timendum sit Principi, qui ob crudelitatem timeri cupit. Eodem fere tempore etiam duo praenominati Imperatores a militibus erant occisi. *b*) Quare summa rerum ad *Gordianum* pervenit.

25. *Gordianus. Jun.* a. Ch. 238. in locum duorum occisorum Imperatorum, agente *Misitheo* socero, egregiis animi et corporis dotibus ut puer electus est; qui donec Soceri consilio uti potuit, optime imperium administravit. *c*) Gothos, Sarmatas et Germanos Thraciam incursantes acie delevit, contra Persas *d*) non infeliciter pugnavit. Inter quae mortuo socero, ipse a *Philippo* *e*) quem Collegam assumpserat, impie trucidatus est an. Imperii 6. seu a. Ch. 244.

26. *Philippus Arabs*, Patre Latronum duce ortus, sed a *Gordiano* ad eos honores est evectus, ut eo mortuo imperii dignitatem anhelaret; interim Senatus Romae audita *Gordiani* caede, mox *Marcium* quemdam Imperatorem dixit,

*a*) Idem L. 8. c. 1. – 16. *b*) Idem. ibid. Capitol. in Maxim. et Balbo. c. 14. seq. Orosius. L. 7. c. 19. *c*) Herodian. fuse. electionem refert. L. 7. c. 25. seq. *d*) Idem. ibid. c. 26. seq. *e*) Capitol. in Gordian. c. 30. Eutrop L. 9i

xit, sed eo subito mortuo, *Severum Hostilianum*, hoc quoque similiter defuncto, tandem *Philippum* Augustum appellavit. *a*) Hunc primum ex Imperatoribus Christianum fuisse statuunt Scriptores post *Eusebium*. Sed quia hic suam cognitionem ex *Origenis* Epistolis, quae fictae censentur, hausit, *b*) ideo de religione *Philippi* nihil certi pronunciari potest. Ceterum *Baronius* *c*) ex tabulis Ecclessiasticis pro bat illum Christianum fuisse. Hic Imperator sibi in Collegam filium *Philippum* assumens, milesimum Urbis conditae annum, maxima pompa per *Ludos seculares*, *d*) celebravit a. Ch. 248. qui demum anno imperii 6. una cum filio Veronae dolo *Decii* occisus est. a. Ch. 249.

27. *Decius Messius* ex Pannonia ortus, vir excellenti animi virtute praeditus, bellicaeque rei peritus, primo ab Illyricis Legionibus Imperator acclamatus, *e*) postea assentiente et ipso Senatu *Augustus* nominatus; ut primum Galliae motus composuerat, mox expeditionem de Senatus voluntate in Gothos una cum filio suscepit, ea ex causa: quod Gothi ex Scythia egressi, Thraciam aliaque imperii loca vastave-

---

*a*) Eutrop. L. 9. Zosimus. L. 1. *b*) Euseb. Hist. Eccl. L. 6. c. 34. Epistolae Origenis ad Philippum ejusque Conjugem Severam, fictae habentur. Vide Sethum Calvisium. In Chronol. fol. 311. *c*) ad ann. Ch. 246. n. 2. an. Ch. 249. n. 3. et an. Ch. 253. n. 1. *d*) Capitol. in Gordian. c. 33. *e*) Zosimus. L. 1. Eutrop. L. 9.

verint; *a*) de quibus plenam victoriam reportaturus erat, nisi *Gallus* extremae Moesiae Praefectus, ejus consilium hosti manifestavisset; quo facto Imperator mature circumventus, fuga vitam salvare volens, obvia palude mersus interiit anno imperii secundo. Qui licet optimi principis specimen edidisse visus sit, Christianorum tamen, ex aemulatione *Philippi b*) acerrimus hostis, gravissimam commovit VII. persecutionem, qua plurimi patria relicta, solitudines montium, desertasque regiones petierunt: ex quibus fuit celebris ille *Paulus* Anachoretarum Princeps: *c*) multi enim ad speciem religionem abnegarunt, unde Sacrificati, Thurificati, vel idololatrae dicebantur, uti et Libellatici: ideo gravissimae enatae sunt controversiae de lapsis recipiendis. *d*)

28. *Gallus* post *Decium* creatus est imperator militari suffragio, qui filio suo *Volusiano* Caesare constituto; mox pacem cum Gothis, sed populo Romano ignominiosam fecit: nam hic Imperator est primus, qui Barbarorum stipendiarius evasit, *e*) promittens eis ducenta Drachmarum millia; quo facto Gothi aliis multis Romanorum hostibus ferociores facti, etiam Ita-

---

*a*) Idem. ibid. *b*) Euseb. Hist. Eccl. L. 6. c. 32. Orosius. L. 7. c. 21. Baronius.. ud an. Ch. 254. n. 4. *c*) Cujus res refert. S. Hieronym. ap. Baronium. ad an. Ch. 253. n. 16. *d*) Idem· ibid. n. 5. Uberius ex operibus S. Cypriani. *e*) Zosim. L. 4. c. 24. seq. Victor. de Caesar. c. 30.

Italiae minabantur; et certo magna etiam perfecturi erant, nisi *Aemilianus* Moesiae Praefectus eos viriliter fudisset; ob quam virtutem Milites *Aemilianum* Imperatorem salutarunt; quod *Gallus* inaudiens, mox ad obsistendum una cum filio *Volusiano* eo profectus, immaniter trucidatus est: *a*) an. Ch. 253. ante quem annum tanta pestilentia vastavit orbem, quanta antea numquam. Interim *Aemilianus* electus Imperator, etsi datis ad Senatum literis promisisset, se multa recuperaturum, tamen quum ab Alpensibus Legionibus *Valerianum* Caesarem creatum, ejus exercitus inaudivisset, mox *Aemiliani* milites, ne novis turbis denuo involverentur, Caesarem suum interficientes, ad partes *Valeriani* transiverunt. *b*)

29. *Valerianus* a Senatu Augustus appellatus, tanta jam prius morum puritate inclaruit, ut quum Censor esset, cuncti testarentur totam *Valeriani* vitam esse Censuram. Verum brevi maxima Sangvinis Christianorum effusione suum imperium foedavit, nam nefario suo edicto octavae persecutionis autor evasit. Interim filium *Gallienum* *c*) in socium imperii assumens, ipse in bellum Persicum profectus est, *d*) a. Ch. 260. ubi culpa cujusdam ducis, a *Sa-*

*po-*

---

*a*) Zosin. L. 1 c. 28. Entrop. L. 9. *b*) Orosius. L. 7. c. 21. Zosim. L. 1. c. 29. Victor. de Caes. c. 31. *c*) Vitam Valeriani scripsit Trebellus Pollio Zosim. L. 1. Aurel. Victor. *d*) Trebell. Pollio. in Valer. c. 3. Zosim. L. 1.

*pore* Persarum rege captus, maximisque contumeliis affectus, in misera servitute vitam duxit: nam Persarum rex nimia fortuna elatus, quum equum conscendere vellet, *Valeriani* cervice incurvata pro scabello uti solitus est: (adeoque nulla majestas est ab ultimo etiam ludibrio tuta,) cumque nullis precibus libertatem recuperare valuisset, ad extremum excoriatus, saleque conspersus, miserrime vitam finivit. *a*)

30. *Gallienus* filius Valeriani, post cujus captivitatem mox a Senatu Imperator creatus, de restituendo patre nihil cogitans, licet paterno exemplo doctus pacem Christianis reddiderit, tamen in luxuriam effusus, *b*) pessima reip. administratione effecit, ut a Barbaris et Tyrannis probrosa ignavia Romanum imperium laceraretur; unde luctuosa evasit imperii facies, nam Illyricum, Aegyptum, Africam Tyranni occuparunt; Germani Hispaniam; Alemanni devastata prius Gallia, Italiam invaserunt, Dacia in perpetuum fuit amissa. Graecia, Macedonia, Pontus, Asia a Gothis; Pannonia a Sarmatis et Quadis populata; Mesopotamia a Parthis subacta; Syria depopulata; verbo contra eum triginta hinc inde in Imperio electi consurexerunt Imperatores; ab Historicis *Triginta Tyranni* dicti, qui imperium occupaverunt. In-

---

*a*) Idem. ibid. Eutrop L. 9. Agathia. L. 1. Euseb. Hist. L. 7. c. 9. *b*) Baronius. ad ann. Ch. 262. n. 3. Trebell. Pollio. Libro singulari pertractat.

Inter quos imprimis claruit *Zenobia*, *Odenati* Palmyrenorum principis Uxor, quae virilis animi Mulier, victricia sua arma, mire per orientem circumtulit. Quae quidem luxu sopitum *Gallienum* tantisper excitare poterant; qui dum *Aureolum* Tyrannum bello persequeretur, ejus dolo ad Mediolanum interfectus est, an. Ch. 268. dum regnasset solus 8. annos, et cum patre septem. *a*)

31. *Claudius II.* Vir moderatus ab Senatu *Augustus* appellatus, mox Barbaros prius quam Tyrannos opprimendos statuit, censens illos reip. hos Principis esse adversarios; quare Gothos Macedoniam et Illyriam vastantes, *b*) ad 320. millia variis pugnis delevit, duo item millia navium depressit. Provincias, quae sub *Gallieno* desciverant, plerasque debellavit. Contra 300. millia Alemannorum ad lacum *Benacum* pugnans, magna ex parte fudit; *c*) qua fortuna omnia restituturus erat, nisi peste sublatus fuisset, an. Ch. 270.

32. *Aurelius*, obscuris parentibus natus, sed laudatissimus princeps, imperium favore militum obtinens, bellicis vitutibus clarissimus, ut Literae ejus, de continentia et disciplina militum, missae ad Vicarium suum indicant his:

*a*) Trebell. in Gellien. c. 14. Euseb. Hist. L. 7. c. 28. Victor. Epit. c. 33. *b*) Claudii vitam scripsit Trebellius Pollio. et Eutrop. L. 9. *c*) Trebell. c. 7. — 12. Zosimus. L. 1. c. 46. Euseb. Hist. L. 7. c. 28.

his: si vis Tribunus esse, imo si vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, vinum nullus auferat, segetem nemo detrahat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit. De praeda hostis, non de lachrymis provincialium habeat: Arma tersa sint, calceamenta fortia, vestis nova vestem veterem excludat. Stipendium in baltheo, non in popina habeat, torquem brachialem et annulum apponat. Equum saginarium suum defricet, captum animal non vendat, mulum centuriatum comiter curet, alter alteri, quasi servus obsequatur; a Medicis gratis curentur, haruspicinibus nihil dent; in hospitiis caste se agant: qui litem fecerit, vapulet. *a*) Atque tali disciplina instructam habens militiam, facile hostes propulsare, imperiumque restaurare poterat; sic tripplici decretorio praelio ad *Placentiam*, ad *Fanum* et ad *Ticinum* profligatis Gothis, Italiam a barbarorum furore servavit. *b*) In Gallia *Tetricum* ad deditionem coegit; *Zenobiam* vero celeberrimam illam orientis Dominam, quae *Odenato* viro suo occiso, orientem occupans, invicta haecusque fuerat, captam in triumphum *c*) duxit. Urbem campo Martio incluso, moenibus novis sepsit. Sub eo Sericum in Asiam et alia loca

---

*a*) Vopiscus. in Aurelian. c. 3.—41. *b*) Aureliani vitam scripsit Vopiscus. Unde Zosimus. L. 1. Eutrop. L. 9. *c*) Vopiscus. c. 32. seqq.

ca ex India exportabatur, et auro aequiparabatur adeo, ut singulae librae singulis libris auri venderentur. Item Haeresis Manichaeorum innotuit. Ceterum allata belli decora, luxus et crudelitas nimis deformarunt, quare anno imperii V. Persis bellum illaturus, in itinere servi sui fraude a familiaribus interemptus est. *a*) Anno Ch. 275. A cujus interitu sex mensium interregnum fuit.

53. *Aurelius Tacitus.* Mortuo *Aureliano* post sex mensium interregnum tandem a Senatu Imperator appellatus, deinceps a moderatione commendatissimus, qui genus suum ad *Cornelium Tacitum* Historicum referebat; ideo etiam imaginem ejus in omnibus Bibliothaecis collocari jussit. Pro communi vestitu tunicis privatis usus, etiam uxori gemmas, aurum, aliasque ornatas vestes interdixit; imo ne quidem filios, orante Senatu, in imperii socium assummere voluit, sciens maximam esse gloriam principis, magis amare remp. quam suos. *b*) Qui tamen optime moratus princeps, dum sexto imperii mense Scythas in Cilicia compescuisset, *c*) febri, vel potius militari seditione periit. a. Ch. 276.

54. *Aurelius Probus*, per *Tacitum* commendatus, ac a militibus et Senatu electus, multum decertandum habuit cum *Floriano Taciti* fra-

---

*a*) Vopiscus. c. 35. seqq. Zosim. L. 1. Eutrop. L. 9. *b*) Vopisc. in Tacito. c. 10. seq. *c*) Idem. ibid. c. 13. Zosim. L. 1. c. 63. Zonaras. L. 12. c. 23.

fratre, qui imperium, veluti sibi hereditario jure debitum invadens, *a*) post duos menses apud Tarsum a militibus occisus erat. *Probus* vero morum integritate et bellica virtute clarus, in Galliam profectus, res magnas, felicesque victorias *b*) contra Germanos gessit; demum an. ch. 281. contra Tyrannos arma vertens, *c*) brevi in Syria *Saturminum*, dein *Aelium Proculum* in Gallia superavit; quo anno, postquam Gallis, Hispanis, et Pannoniis vitem serere permisisset, praeclaraque opera militaria fecisset, bellum contra Persas parans *d*) in Sirmio seditione militari occisus est a. Ch. 282. imperii vero septimo.

35. Cui *Aurelius Carus* iu Illyria natus strenuus princeps successit, qui mox duos filios *Carinum* et *Numerianum* Caesares creando, Sarmatas *e*) in Pannonia magna clade affecit; nam caesis 16. millibus, desuper XX. millia utriusque Sexus intercepit; cumque Persas tumultuantes compesceret, mox valido cum apparatu, et filio *Numeriano* in Persiam abiit, ubi fusis hostibus, Seleucia et Mesopotamia subjugata, ad Ctesiphontem usque progressus, exorta repente tempestate, ipse cum multis fulmine interiisse putatur. Cui mox in oriente prae-

*a*) Vopisc. in Floria. c. 1. Zosim. L. 4. c. 64. *b*) Vopisc. in Probo. c. 13. seqq. Zosim c. 67. seq. *c*) Vopiscus. c. 18. Zosim. c. 66. *d*) Vopiscus. c. 20. seq. Anrel. Victor. de Caesar. Epit. c. 37. *e*) Vopiscus. in Caro. c. 8. Eutrop. L. 9.

praesens filius *Numerianus* optimis moribus praeditus princeps successit; qui paterni obitus moerore, imprimis morbis oculorum aegrotans, lectica gestatus, factione *Arrii Apri* soceri sui regnare cupientis occisus est; *a*) qua re comperta a. 284, ab exercitu Imperator salutatus est *Diocletianus.* Interim in occidente imperium summa saevitia et libidine *Carinus* tenuit, qui Illyricum, Galliam, et Italiam maximis sceleribus jam in absentia patris foedaverat; ideo etiam Tribuni sui manu, cujus conjugem violaverat, periit anno principatus 3. et a. Ch. 284.

36. *Diocletianus* Dalmata, postquam etiam *Aprum* interfectorem *Numeriani* occidisset, rempublicam sapienter gubernare coepit: utque turbas et seditiones in variis locis excitatas facilius sopire posset, *Maximianum* sibi Collegam sumpsit, *b*) per quem etiam Galliam et Africam pacavit, inde exercitum in Germanos vertens, eos quoque magna clade *c*) affecit. Ipse autem *Diocletianus* a. Ch. 287. Sarmatarum *d*) et Persarum impetum magna laude fregit: quo felici secundarum rerum cursu, mortalitatis oblitus, eo insolentiae processit, ut se Deum adorari voluerit. Christianis toto terra-

---

*a*) Vopisc. in Numeriano. c. 12. Victor. de Caes. c. 38. *b*) idem. ibid. c. 39. n. 17. seq. Orosius. L. 7. c. 25. Eutrop. L. 9. *c*) Mamertinus. in Paneg. Maximiano Hercul. dicto. c. 4. seq. Victor. de Caes. *d*) Orosius. L. 7. c. 25.

rarum orbe internecinum bellum indixit, unde decima erupit persecutio, *a*) omnibus diuturnior et immanior; decreto enim publico Christiani urgebantur, additis tormentis, ad libros suos tradendos et comburendos; sed multi potius acerbissima tormenta subire, quam libros prodere maluerunt; quorum memoriam Ecclesia Romana secunda Januarii celebrat hoc praeconio: *Romae commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui spreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi sacri codices jubebantur, potius corpora carnificinibus, quam Sancta dare canibus maluerunt.* Tandem dum *Diocletianus* Gothos e Thracia ejiceret, complures hostes attentatis irruptionibus imperium lacerare coeperunt; contra quos *Constantium Chlorum* et *Galerium Maximianum* Caesares fecit; praeclarisque aliis factis, plures triumphos meritus, una cum collega *Miximiano*, imperio abdicavit, et Salonis Dalmatiae Urbe privatam vitam ducens consenuit; quum tamen *Maxentio* favisse compereretur, minacibus *Constantini* literis territus, veneno hausto ipse mortem sibi conscivit. *b*)

37. *Constantius Chlorus* et *Galerius Maximianus*, a. Ch. 305. Augusti renunciati, Romanum imperium ita inter se diviserunt: ut Galliam, Italiam, et Africam *Constantius*; Illyricum

---

*a*) Baronius. ad an. Ch. 301. seqq. *b*) Orosius. L. 7. c. 25. Eutrop. L. 9. Cassiodor. in Chron.

cum vero Asiam, et orientem Galerius obtineret: sed quum *Constantius* brevi collegae Italiam et Africam remitteret, ideo *Galerius* mox Italiae *Severum*, Orienti vero *Maximinum* praeposuit, *a*) Caesaresque nominavit. Ceterum *Constantius Chlorus*, fuit princeps publicae salutis *b*) studiosus, et Christianorum patronus. Pannoniam superiorem antea ob exundationes fluviorum, vastasque Silvas, locum fere inacessibilem, amplissimum et fertilissimum Romanorum agrum effecit, derivatis in Danubium, Rabam, et Rabczam fluviis: quam regionem, sua deinceps amoenitate omnino habitabilem, in perennem tanti laboris memoriam, ab uxoris suae *Valeriae* nomine, *Valeriam* nominari jussit. (Quae etiam hodie, amoenissima pars modernae Hungariae est.) Inter tantas reipublicae firmandae curas *Constantius* ab eximia benignitate cunctis acceptus, in maxima moderationis fama anno imperii 15. in Britannia Eboraci decessit, *c*) quum filium suum *Constantinum* successorem Augustum nominasset. Interea Romae Milites *Maxentium* Caesarem salutant, qui imperium invadens *d*) mox *Severum* occidit; in cujus locum *Galerius* a. Ch. 310. *Licinium* sibi Collegam constituit; quum interea

---

*a*) Eutrop. L. 10. c. 1. Zosim. L. 2. c. 8. Euseb. Hist. Eccl. L. 8. c. 13. *b*) idem. ibid. *c*) Euseb. in vita Constantini. L. 1. 15. Eutrop. L. 10. *d*) idem. ibid. Zosim. L. 2.

rea *Constantinus* socero suo *Maximiano* caeso, magnas in Germania res ageret: etiam *Galerius* *a*) nefando mortis genere, a. Ch. 311. perivit: cujus mors maximis mutationibus in orbe causam praebuit.

§. V. *Status Literarum et Artium.* Temporibus *Augusti* foecundam excellentium Scriptorum Romanorum messem fuisse, probant ii, qui eloquentiam Romanam ad summum fastigium post *Ciceronem* et *Salustium* evexerunt: at non multo post obitum *Augusti* inclinari coepit; unde quatuor aetates Auctorum Romanorum imprimis observantur uti: *Aurea*, *Argentea*, *Aenea*, et *Ferrea.* Ante et sub *Augusto* erat *Aurea*; dein seculo I. *Argentea*, qui vero dein sequebantur ad *aeneam* vel *ferream* aetatem referuntur. Itaque paulo ante natum Christum obierunt *Publius Virgilius Maro.* Mantuanus. *Quintus Horatius Flaccus.* Poetae celebres. Post quos ordine Chronologico seculo I. celebriores erant: *Phoedrus* Thracus, reliquit 5. Lib. de Fabulis. *Strabo* Ponticus Lib. 17. de Geographia. *Valerius Maximus* Historicus Latinus. Lib. 9. de dictis et factis memorabilibus. *Ovidius Naso* Sulmonensis, Elegiacus celeberrimus. *Titus Livius* Patavinus, Historicus, scripsit Annales ab Urbe Roma condita usque ad *Drusum*, Libris. 140. ex quibus

45.

*a*) Eutrop. L. 10. Euseb. Hist. L. 8. c. 17. seqq. Orosius. L. 7. c. 28.

45. supersunt, Dialogi, et libri Philosophici perierunt. *Cornelius Celsus* Philosophus et Medicus; ejus libri de re medica exstant. *Vellejus Paterculus* Historicus Legatus *Tiberii. Thrasyllus* Astrologus, *Fenestella* Historicus; et *Verrius Flaccus* Grammaticus. *Pomponius Meta* Hispanus a. Ch. 48. scripsit L. 3. de situ orbis. *Philo* Judaeus legatus ad *Cajum. Quintus Curtius Rufus.* Lib. 10. de gestis *Alexandri M. Columella* Hispanus. L. 12. de re rustica. *Seneca* Cordubensis Philosophus. Lib. 7. de beneficiis. 3. de ira. 2. de clementia ad *Neronem.* Epistolas tragoedicas, item de vita beata, et de brevitate vitae. *Lucanus* Cordubensis, versibus. Lib. 10. bellum Civile *Julii* et *Pompeji*, qui dicuntur *Pharsalia.* — *Fabius Rusticus.* Historiam temporum *Neronis.* — *Servilius.* Historiam Romanam. *Persius Flaccus.* Poeta satyricus. *Cajus Silius* Italus, bellum II. Punicum. 12. Lib. versibus. *Plinius II.* senior, Lib. 37. Historiae naturalis. *Fabius Quintilianus* Hispanus. Lib. 12. Institutiones oratarias. *Valerius Martialis* Hispan. Lib. 14. Epigrammatum. *Papinus Statius*, Nepolitanus. L. 12. Thebaidos, et Lib. 2. Achilleidos. Poemata Dramatica perierunt. *Juvenalis* Aquinas edidit Satyras. *Josephus Flavius* Judaeus Sacerdos. Lib. belli Judaici. et Lib. 20. Antiquitatum Judaicarum. Lib. 2. contra *Appionem* Judaeorum hostem. Item Dissert. de Martyrio Machabaeorum; De *Christi* veritate Testis dignissimus. — Seculo II.

 flo-

floruerunt: *Cornelius Tacitus*, Historicus, scripsit Librum de moribus Germanorum: ejus *Annales* sunt mutili. *Plinius Junior* Novocomensis, anno 100. dixit Panegyrin: et scripsit Epistolas de moribus Christianorum ad *Trajanum* Imp. *Phlegon* Trallensis L. 16. Historiam Olympiadum. Libri vero de Fastis Romanorum perierunt. *Epictetus* Phrix, Professor Philosophiae Romae, auctor Enchiridii. *Arrianus* Philosophus L. 4. de Epicteti Dissertationibus, et Historiam Bithyniae patriae suae, usque ad *Nicomedis* tempora. *Plutarchus* Cheronensis, Historicus, Philosophus et orator, Romae docuit, et scripsit vitas virorum apud Romanos et Graecos illustrium. *Svetonius Tranquillus*, edidit vitas 12. primorum Caesarum, item libros de Grammaticis illustribus ac Poetis, de Ludis Graecorum. *Annaeus Florus*, Libris 4. Epitomen rerum Romanarum. *Aristides* orator, orationes reliquit. *Libros Sybillarum* menimit *Baronius* ab an. Ch. 138 — 161. *Justinus* Historicus, collegit *Trogi Pompeji* scripta in Epitomen. *Appianus* Alexandrinus Historicus Graecus, habet Lib. 24. Historiam Romanam, ab *Aenea* ad Romulum, inde ad *Augustum*. *Claudius Ptolomaeus* Aegyptius. Lib. 8. de Geographia. Libros. 13. Almagesti. Libros 4. de Judiciis Astrologicis. *Crescens* Philosophus Atheus. *Hermogenes* Tarsensis, Rhetoricam et librum de Ideis edidit. *Maximus* Tyrius. *Lucius Apulejus* Afer, Libros metamor-

morphoseos, de Asino, de mundo commentatus est, Item Lib. 5. de habitudine Doctrinarum, et nativitate *Platonis*, de Deo Socratis et Floridae. *Claudius Galenus* Medicus celebris 10. epera edidit. *Lucianus* Samosatensis nulli religioni addictus, habet dialogos Satyricos. *Pausanias* Caesariensis Historicus Libros 10. de rebus Graeciae. *Aulus Gellius* Romanus, auctor noctium Atticarum. *Julius Pollux* Aegyptius, scripsit Historiam a Creatione mundi ad tempora *Valentis:* fuitque Christianus.

Seculo III. floruerunt: uti *Philostratus* orator, scripsit vitam *Apollonii Tyanei*. *Alexander Aphrodisiensis*, praeter alia opera scripsit commentarium in Aristotelis Libros. *Oppianus* edidit Poemata de venatu et piscatione, de aucupio perierunt. *Serenus Samonicus* scripsit praecepta de medicina parvo pretio parabili. *Aemilius Papinianus*. Juris consultus, occisus a *Caracalla*, quod caedem ejus fratris *Getae* excusare noluisset, reliquit Lib. 37. quaestionum. Libros 19. responsorum. L. 2. definitionum, Lib. 2. de adulteriis, et librum de jure aedilitio. *Dio Cassius* Nicenus. scripsit Historiam Romanam Lib. 80. in 8. decades divisis, ab *Aenea* usque Alexandrum. *Aelianus Martianus*, habet Lib. 16. Institutionum, Lib. 5. regularum, Lib. 2. de appellationibus. L. 2. de publicis judiciis, de delatoribus ad Senatus consultum Turpilianum etc. *Claudius Aelianus* Italus Graece scripsit Lib. 17. Historiam ani-

malium, et Lib 14. Historiam variorum. *Domitius Ulpianus.* Lib. 83. ad edictum. 51. Lib. ad Sabinum. Lib. 20. ad leges. Lib. 10. Disputationum. etc. *Julius Paulus* Jurisconsultus 70. volumina Juris reliquit: Lib. item 5. Sententiarum exstant. *Sextus Pomponius Alexandri Severi* Consiliarius, edidit Lib. 39. Lectionum. Lib. 39. ad Sabinum. Lib. 20. Epistolarum. Lib. 15. variarum Lectionum. L. 5. Senatus consultorum. etc. *Herennius Modestinus* Lib. 15. responsorum. L. 10. regularum. Lib. 12 Pandectarum. L. 9. differentiarum. L. 6. excusationum. L. 4. de paenis. *Herodianus* Graecus scripsit Lib. 8. Historiarum, ab excessu M. *Aurelii Antonini*, usque ad mortem *Maximi Balbini. Censorinus* Grammaticus Romae edidit Librum *de die natali* ad Chronologiam elucidandam. *Asinius Quadratus* scripsit Historiam Parthorum et Germanorum. Item Libros 5. Historiae Romanae, a condita Roma, usque ad tempora *Philippi* Imperatoris. *Aurelianus* Imperator ipse suorum bellorum historiam scripsit. *Herenius Dexippus* edidit Historiam Romanam ab *Alexandro Severo* usque *Claudium II.* item Chronicon Regum Macedoniae, a *Cranao*, ad *Alexandrum M.* dein acta Macedoniae, et de bellis Scytharum. *Dionysius Cassius Longinus* scripsit de sublimi dicendi genere. *Amelius* librum contra Magos et Gnosticos, et Lib. 40. contra *Zostrianum* haereticum. *Aelius Spartianus* Historiam Romanam a *Julio* Caes. usque *Adri-*

*Adrianum* Imp. *Aelius Lampridius* Historicus, vitas Commodi, Antonini, Heliogabali, et Alexandri Severi scripsit. *Julius Capitolinus* Historiam de Antonino Pio, et Vero, Albino, Macrino, duorum Maximinorum, Gordianorum, item Maximi et Balbini scripsit. *Vulcatius Gallicanus*, Historiam omnium Augustorum. *Trebellius Pollio*, vitas Caesarum a Philippo usque Claudium. *Flavius Vopiscus.* Syracusanus, vitam Aureliani, Taciti, Floriani, Probi, Cari, Numeriani, et Carini: hic scriptor omnibus aliis praeferendus est. *Porphyrius*, hostis Christianorum, librum de contrarietate et contradictionibus Sacrae scripturae edidit, et alia; cujus scripta *Theodosius* Imp. ad ignem damnavit. *Titus Julius Calpurnius* Siculus Poeta, scripsit Eclogas etc. *a*)

---

*a*) De scriptoribus enumeratis vide fusius, ap. P. Daude. Hist. Universalis et Pragmaticae Romani Imperii etc. T. I. p. 197. seq. item. p. 400. seqq. item. p. 561. seq. Iteni Grebner. Compend. Hist. Univ. Rom. Imp. T. I. p. 15. seq. p. 47. et p. 94. ibid. scriptores Sacri. p. 64. seqq.

# Caput III.

*Exhibens Historiam Monarchiae Romanae sub Imperatoribus Christianis; signanter omne illud tempus, quo uno solo Imperatore orbis Romanus regebatur, nempe a Constantino M. usque ad obitum Theodosii M. seu Imperii divisionem, ab anno Ch.* 306. *usque a.* 395.

§. 1. *Geographico Statistica notio Imperii.* Vastissimum Romanum Imperium sua in potestate complectebatur totam Italiam, Hispaniam, Galliam, Britanniam, Germaniam, Pannoniam, Africam, item Asiam minorem, sive Natoliam, Arabiam, Syriam, Aegyptum, Lybiam, varias item in Europa Regiones ad Danubium sitas. Quia vero *Constantinus M.* sedem Romani Imperii, Romana ex Urbe, Byzantium Romaniae Provinciae Urbem transposuit; quae initio *Nova Roma*, tardius tamen a restauratoris, aut amplificatoris nomine Constantinopolis vocari coepit; a quo tempore etiam Aquila Insigne Romani Imperii biceps pingitur, designans Imperii sedem Occidentalem et Orientalem: ideo haec

haec Urbs amplius frequentari et percoli coepit: potissimum autem idem Imperator ex Urbe Romana Italiae accolas prius astu permovens detinuit, nempe quosdam viros, Magistratus, et Patricios cum exercitu contra Persas mittens, dum ibi diutius commorarentur; interim Imperator Opifices Romam mittendo id effecit, ut absentium domos ad amussim delinearent, similesque illis domos Constantinopoli exstruerent, quas ut amplius ornarent, etiam absentium uxores, proles, totamque familiam eorsum transportavit. Sic reversi ex Perside Romani primores, quum domos suas totamque familiam Constantinopoli esse perspexissent, dehinc lubenter cum appertinentiis ibidem manserunt. Quae Urbs demum Metropolis imperii evadens, brevi splendore et amplitudine omnes alias superavit: cujus vetustatis monumenta multa admodum hodiedum supersunt, partim primum illuc posita, partim Roma allata; qualia praecipua sunt: Templum *Sophiae* a *Justino* Imp. aedificatum; Palatium *Constantini;* Columna serpentina; Templum *S. Lucae.* Castrum novum; Colossus, Gynaeceum, obelisci. Item duo fluvii alluunt uti: *Cydnus* seu Machlevam, item *Bardyses* seu Chartaricon. Incolarum numerus hodie etiam ultra octingenta millia ascendit, unde commercium ob maris vicinitatem amplissimum est: huc pertinent et vicinae insulae atque Civitates, quae hodie Turcarum Impera-

to-

tori parent: de cujus potentia, in Turcicis uberius agemus. *a*)

§. 2. *Status Religionis, et Consvetudinis.* Initio seculi quarti per cruentam decennalem *Diocletiani* persecutionem, de Christiano nomine quasi actum jam videbatur, dum *Deus* ex tenebris lucem educens, *Constantinus M.* Imperator Romanorum primus palam *Christum* ut Imperator profiteretur, qui templa aedificando, Sacerdotes venerando, religionem Christianam mire promovit adeo, ut Ecclesia, quae hactenus vexationibus perpetuo fuerat exposita, nunc non modo respirare, sed ingenti hominum multitudine exemplum Imperaratoris secuta, etiam caput extollere coepit, imprimis Edictis et Constitutionibus pro libertate Christianae religionis in Romano Imperio primo per *Constantinum M. b*) publicatis; uti de inhibendis persecutionibus; de exulibus revocandis; de restituendis domibus, fundis, coemeteriis, bonisque Ecclesiarum et privatorum; de asserenda hereditate proximis agnatis martyrum; de templis exstruendis, immunitatibus item Clericorum ab oneribus; de dotandis Ecclesiis, et faciendis erogationibus in pios usus; etc. Per eadem Edicta fuerunt Templa Gentilium clausa; accessus sub paena gladii omnibus in-

---

*a* Gerardi Mercatoris atlas minor. p. 552. *b*) Euseb. Hist. L. 10. c. 5. de vita Const. L. 11. c. 20. 24. seq.

interdictus, et quidem primo in Urbibus; nam aliquamdiu in *pagis* adhuc templa Gentilium patuerunt; unde *Paganorum* nomen est enatum. *a*) Admittebatur insuper Christianismus in Aulas etiam Imperatorum, cum Templorum ornatu et splendore, item redituum Ecclesiasticorum concessione. Utque Gentiles facilius ad Christianismum transirent, non pauci ritus e Paganismo in Ecclesiam traducti sunt; imprimis postquam a *Juliano Apostata* Gentilismus fuisset restitutus, etiam ejus successores similibus superstitionibus conniverent, usque ad *Theodosium M.* Quibus mediis *Indii*, *Aethiopes*, opera duorum Adolescentum; *Iberiae* populi opera captivae mulieris Christianae; in Europa *Marcomanni* tardius dicti Moravi et Bohemi. Item *Gothi* trans Istrum ab Hunnis pulsi, sed a *Constantio* in Thracia habitare permissi, fidem Christianam *b*) amplexi dicuntur. Quorum Christianorum vera Doctrina colligitnr I. ex Scriptis *Symbolicis* quasi tessera Catholicorum; cujusmodi erant: Symbolum *Apostolicum* Romanum, Nicaenum, Constantinopolitanum etc. II. Ex Couciliorum actis et Canonibus. *c*) III. Ex genuinis Patrum et Scriptorum hujus aevi monumentis; uti *Basilii*, *Am-*

---

*a*) Oratio Libanii de Templis ad Theodosium. M. ap. Jacob. Gothofredum. *b*) Sozomenus. L. 6. c. 37. *c*) Constitutiones in Codice Theodosiano imprimis Titulis de Fide Catholica, et de Haereticis. L. 16.

*Ambrosii*, *Hieronymi*, *Chrysostomi*, *Eusebii* etc. ex quibus abunde patet, quae capita pro fide *Catholica*, et quae pro Haeretica habita fuerunt. — *Rituum* et *Cerimoniarum* apparatum mire fuisse adauctum *S. Augustinus* *a*) testatur. Unde crescente Romanornm Pontificum auctoritate et dominatu, iidem novas in dies constitutiones circa disciplinam et ritus ediderunt; atque hinc gradus dignitatum, Festorum sacrae solemnitates, Templorum ornatus, in iis imagines, Cerei, suffitus; Clericorum distinctio Cancellis, vestibus. etc. *Psalmi Davidici* publice in Ecclesiam occidentalem tempore *Damasi* Pont. introducti, unde *Cantores*, item *Lectio Scripturae Cononicae*, unde *Lectores* invaluere. Lectioni Homiliae successerunt; tum preces publicae fusae, oratio Poenitentium, benedictio populi, etc. Ante quae omnia datum erat signum sacri conventus, *ligni pulsatione*, vel *praeconum voce*, non vero campanis. Praeter jejunia feriae quartae et sextae, maxime solenne fuit *Jejunium ante Paschale*, quod successive in plures septimanas excrevit *b*) a jejunio tamen excipiebantur dies Dominicae et Sabbathi, licet *Sabbathum* mox a Latinis jejunio fuit destinatum invitis Orientalibus. — *Cano-*

---

*a*) Epistola 19. *b*) Ex Canone Laodic. 49. seq. nam Ecclesia Romana, teste Socrate Historico. L. 5. c. 22. tres hebdomadas observavit, ut Haloixius, et Vasius observant, contra Baron. Ann. T. I. ad an. Ch. 57.

*nones Poenitentiales*, etiam IV. seculo mansit forma disciplinae circa lapsos et delinquentes: cujus publicae poenitentiae, quatuor gradus erant: primus nempe praeparatorius seu *Lugentium* extra porticum, ad unum vel plures annos injunctus. Alter gradus *Audientium*, seu admittebantur ad aliquam verbi Dei auditionem, non tamen ad preces. Tertius Gradus fuit *Prostratorum*, ubi ad communionem certarum precum admittebantur. Quartus Gradus fuit *Consistentium*, ubi admittebantur ad omnes preces cum fidelibus, non tamen ad Sacramentum. Injuncta autem fuit publica poenitentia hoc tempore praeter lapsos, Apostatas, Homicidas, Adulteros, etiam fornicatoribus, Concubinariis abortum procurantibus, Virginibus devotis, aut Diaconissis ad conjugium transeuntibus, Trigamis, Bigamis, repudiantibus, Usurariis, Sacrilegis, Divinatoribus, Idolothytis, etc. exempti erant autem Clerici, qui depositionem aut communionem Laicam poenae loco obtinuerunt. *Absolutio* poenitentibus nunquam fuit denegata, minus autem morientibus. De hoc rigore multum a Concilii Nicenii temporibus remitti coeptum est; quoniam Episcopi libertatem accepissent gradus minuendi aut tollendi, seu indulgentias concedendi. Porro variae consvetudines hoc tempore sua viderunt primordia, uti usus cereorum etiam extra Vigiliarum tempora, ut in deductione funerum. Scrupulosa abstinentia; Coelibatus nimia admiratio:

Re-

Reliquiarum conquisitio; Peregrinationes ad sepulchra Martyrum, Imaginum in templa introductio, Institutio Religiosorum ordinum; in Armenia enim, Scythia et Thebaide a *S. Antonio* Monasteria condita sunt. *S. Pachomius* in Aegypto, *S. Hilarion* in Palestina et Cypro; *SS. Basilius* et *Athanasius* in Graecia Coenobia aperuerunt; quo tempore tria erant Monachorum genera, uti *Anachoretae*, *Coenobitae*, et *Remaboth* bini, vel terni sine praeside viventes, *a*) omnes tamen manuum labore vitam tolerantes. — Quod *Regimen Ecclesiasticum* attinet, Clerus distinctus erat in Episcopos, Presbyteros, et Diaconos, quibus adjuncti fuere Acoluthi, Exorcistae, Lectores, Cantores, Ostiarii; seu ordines majores, et minores. Ordo vero Monachorum nondum in Clericali ordine censitus fuit. *b*) Episcoporum jura erant praesidendi, consecrandi, ordinandi, reconciliandi poenitentes, etc. Ut primum vero sub *Constantino M.* dominari coepit religio, mox formam politici regiminis imitata est forma Ecclesiastica, unde novae ac splendidae emerserunt dignitates: tunc enim constituti sunt: *Archiepiscopi*, *Metropolitani*, *Exarchi*, *Primates*, *Archidiaconi*; etc. ad quos sensim etiam sententiae ferendae in Causis civilibus potestas per-

---

*a*) S. Hieronym. in Epist. ad Eustochium. Item Canon. Laodic. 21. 22. etc. Vestium Sacrarum forma, distinctio. *b*) Canon. Laodic. 24.

pervenit; quae, et alia similia facta, Schismati Donatistarum, aliisque Haeresibus occasionem praebuerunt: *a*) signanter *Donatistae* in Africa tantum veram fidem mansisse somniarunt; contra quos varia concilia convocata sunt, *b*) et *S. Augustinus* illos praeceteris impugnavit.— *Meletiani* a Meletio Lycopolitano in Aegypto Episcopo sic dicti, et in *c*) Synodo Nicena damnati. — *Photiniani* Christum merum esse hominem docuerunt, *d*) qui initium ex Maria Virgine sumsit, sed a Deo Patre adoptatus, et divinitatis honore donatus fuit: — *Eustachiani* Conjugatis omnem aetarnae beatudinis spem ademerunt. — *Collyridiani* B. Virginem ut Deum colebant et adorabant. *Priscilianistae* Manichaeorum et Gnosticorum progenies erat. Praecipui tamen hujus seculi Haeretici erant I. *Ariani* ab auctore *Ario* sic dicti, a. Ch. 317. qui Consubstantialitatem filii impugnabant; occasionem sectae praebuit *Alexander* Episcopus Alexandrinus, qui dum ambitiose de Trinitate et unitate disputaret, *Arius* ejus Ecclesiae Presbyter metuens, ne *Sabellii* doctrinam *Alexander* renovaret, ejus sententiae se opponens, in contrarium errorem incidens docuit: *e*) Deum Patrem sine principio esse, Filium ve-

---

*a*) Optatus de Schism. c. 16. *b*) Optatus L. d. Euseb. Hist. Eccl. L. 10. c. 5. p. 485. *c*) Sozom. L. 1. c. 24. *d*) Athanas. de Synod. T. I. P. II. p. 747. seq. sulpit. sever. L. 2. c. 60. Augustin. Haeres 70. Harduinus Concil. T. I. p. 993. *e*)

vero principium habere, utpote quem Deus unigenitum filium ante omnia saecula genuerit; cujus Doctrina quum Ecclesiam vehementer turbaret, *Constantinus M.* Concilium *Nicaenum* Generale I. in Urbe *Nicaea* a. Ch. 325. indixit. *a*) ubi aderant 318. Episcopi, quibus Imperator primas sedes reliquit, in infimo loco se collocans ex respectu erga sacerdotium. Hic *Arii* error de Filio Dei damnatus, *Meletii* Schisma compositum; et Decretum fuit editum, ut Pascha posthac die Dominica celebraretur, *b*) dein XX. Canones circa ordinem et disciplinam Ecclesiae sunt lati, inter quos XIII. morientibus viaticum conceditur. *Arius* in exilium missus, postquam in Nicaenam fidem ficte jurasset, revocatus, jamque in communionem recipiendus, repente exoneratis intestinis periit. *c*) Hac vice *Constantinus M.* supplicium Crucis, quo sceleratissimi hactenus affici solebant, sustulit: ex reverentia, cum hoc genere Christus obierit. Ceterum continui tumultus ex factionum studiis orti, Ecclesiam imperante *Constantio* Arianis favente infestam habuerunt; quibus maxime fatigatus fuit *Athanasius*, rei Catholicae per id tempus columen. Ariani autem favore principis superiores, dum saepius in Synodos coeunt, novas fidei formulas ediderunt, qua-

*a*) Euseb. in vita Constant. L. 3. c. 6. Sozom. L. 1. c. 17. Socrat. L. 1. c. 8. *b*) Idem L. 1. c. 9. *c*) Athanas. in Epist. ad Serapion. T. I. p. 341. Socrat. L. 1. c. 37. seq.

quales intra 20. annos, undecim publicatas, *Athanasius a*) exhibet: contra quas frequentissimae erant Episcoporum Synodi, Celeberrimae autem erant *Ariminensis*, et *Seleuciensis* a. 359. in quibus Arianorum fraude, et principis favore recepta fuit fidei formula, interim *Nicaeae Thraciae* ab Arianis concepta, quae externa specie satis orthodoxa erat; unde teste *Hieronymo b*) totus ingemuerit orbis, et se Arianum factum esse miratus fuerit. Inter haec Arianorum factio in plures abivit sectas; alii enim *Anomoei* dicti sunt, qui unam Dei substantiam in tribus personis distinctam negabant, et filium genitum esse contendebant; alii *Semi Ariani*, qui Filium Patri substantia similem esse agnoscebant; alii autem *Acaciani* mediam viam tenentes, dixerunt Filium esse Patri similem, non tamen substantia, sed tantum voluntate. Alterius generis graves Heretici erant *Macedoniani* a *Macedonio* Constantinopolitano Patriarcha nominati, negantes *Deum esse Spiritum Sanctum*, *c*) quorum doctrina in Concilio Constantinopolitano I. sub *Theodosio M.* an. 381. fuit damnata, quam acerrime impugnavit *S. Athanasius.* Porro non minus Hereses, quam saevissimae persecutiones ab ipsis Prin-

---

*a*) De Synn. T. I. P. II. p. 736. seq. *b*) Hieron. adv. Luciferiam. T. 4. P. 2. c, 7. *c*) Socrat. L. 2. c. 46. 1. Sozom. L. 4. c. 27. Ap. Canisium. T. I. ad an. Ch. 342.

Principibus excitatae, omnem Ecclesiae statum interturbaverunt; vix enim laeta tranquillitas per *Constantinum M.* inducta, jam per *Licinium* Imperantis affinem turbari coepit, imprimis per iniquissimas ejus constitutiones in Episcopos, Synodos, et Christianos, *a*) cujus furore praeter alios, 40. SS. Martyres, *Sebasteni* frigore enecti sunt: quo tempore etiam *Sapor* Persarum rex in Christianos saeviit. Fraudibus Arianorum circumventus *Constantius* Imp. exilio et probris Orthodoxos vexavit. *b*) Callidissime vero afflixit Christianos *Julianus Apostata*, primum malis artibus, uti praemiis, cavillis, subtilitate, demum minis, exiliis, depositionibus; tum Templa et Scholae Christianorum clausae, delubra aperta, Libri in Christianos scripti, blasphemiae in Christum ut *Galilaeum* injectae; his demum carceres, flagra, tormenta et attrocissima supplicia successerunt. *c*) Huc referenda est etiam *Valentis* Imp. persecutio ad a. 364. in Fidei Nicaenae professores, praecipue Monachos. *d*)

§. 3. *Status Politicus et Forma Regiminis.* Postquam legibus tam civilibus, quam Ecclesiasticis stabilita fuit religio Christi, mox etiam

---

*a*) Eusebius. L. 10. c. 8. et de vita Constant. L. 1. c. 49. seq. usque an. Ch. 324. *b*) Nazianzenus. Oratione. 3. et 4. contra Julianum. *c*) Vide apud Theodoretum. L. 3. c. 20. Ammian. Marcell. L. 25. *d*) Sozomen. L. 4. c, 10. Theodoret. L. 4. c. 33. et 34.

etiam civilis suprema potestas sanctior et securior effecta est adeo, ut cum Gentilium idololatria, etiam Imperatorum caedes et violentae mortes cessaverint. Verum ex adverso respectu hostium externorum adeo debilitatum est imperium, ut aegre admodum se contra finitimos defendere valeret; Principes enim non jam adeo furiosi, quam imbecilles, rempublicam per Belliduces gerere monstraverant, quas partes utcunque *Constantinus M.* dissipare videbatur; interim tamen sub eo jam non obscure, sub successoribus vero salutaria rei militaris instituta plane interciderant; nam sicut exercitus ducibus et disciplina, ita Imperatorum aulae ministris carebant; quae officia sensim exteri iique barbari obtinentes, nunquam de hinc Romanis locum cesserunt; quales erant populi ad Rhenum et Danubium excubantes, qui jam a tertio inde seculo sub nominibus Saxonum, Francorum, Alemannorum, Burgundionum, Vandalorum et Gothorum comparuerunt; ex quibus licet ut hostibus, tamen Imperatores Romani, duces et copias, imo et aulae moderatores legebant non abs pudore: nam ipse *Constantinus M.* Vandalos ad Danubium considere, Gothos vero Stipendiarios habere non abhorruit: qui brevi regnum ultra Danubium excitarunt. Amplius adhuc nervos Imperii succidit *Constantinus*, sedem Imperatoriam Byzantium transferendo, item legiones veteranas, antea ad Rhenum et Danubium Imperii fines de-

fendentes, nunc in orientem traducendo; unde necessario evenire debuit, ut provinciae occidentales praesidiis militum nudatae, deinceps hostilitatibus borealium Gentium relinquerentur. Multum desuper nocuerunt Imperatores tot Collegarum adoptione, per quam Imperium in factiones divisum, bellis intestinis et externis, item perpetuae divisioni occassionem praebuit: sic *Constantinus II. Constans*, et *Constantius*, *Constantini M.* filii ex praescripto patris imperium partiti sunt; *Constantino* cesserunt Galliae, et quidquid terrarum ultra Alpes jacet: *Constanti* cum Illyrico et Africa etiam Italia: *Constantio* Graecia, Thracia, Asia et Aegyptus. *a*) Ceterum *Constantinus M.* ex eo tempore, quo solus cum filiis imperebat, primus Principum Romanorum, teste *Lactantio b*) Christum palam colens, summum Ecclesiae regimen quoad externa in se assumsit, Synodos convocavit, de sacris leges scripsit, de litibus Clericorum, et aliorum Civium juste *c*) cognovit: a quo etiam forma administrandi imperium non parum fuit mutata, Praefectos enim Praetorii, qui immodica sua auctoritate crebro abusi erant, pro duobus quatuor constituit, nempe Orientis, Illyrici, Italiae, et Galliarum, quos omni in

---

*a*) Eutrobius. L. 10. Aurel. Victor. item. Orosius. L. 7. c. 19. *b*) Lactant. Mort. et Pers. c. 21. 23. 36. Euseb. Hist. Eccl. L. 10. c. 5. *c*) Optatus. de Schysm. Donat. c. 22. seqq. August. Epist. 162.

in milites potestate privavit, ea in Equitum et Peditum Magistros translata, deinceps Praefectis tantummodo civilem jurisdictionem permisit. Quae gubernandi ratio licet per successores etiam fuerit observata, factiones tamen ex mala imperii dividendi consvetudine oriri solitas, impedire non poterat; donec Roma a *Theodosio M.* partiretur, Orbisque imperium amitteret in perpetuum.

§. 4. *Status Belli et Memoria Principum Virorum.* Imperatores Romani ante divisionem erant sequentes: I. *Constantinus Magnus* patre *Constantio Chloro*, matre *Helena*, *Cali* regis Angliae filia natus; (Atque haec est *S. Helena*, quae devotionis causa saepe Hierosolymam profecta, Crucem *Christi Salvatoris* sub terram defossam, una cum clavis, quibus *Christus* cruci affixus erat, invenit, pluresque in locis sacris Ecclesias exstruxit, tandem Constantinopoli a. 329. octvagenaria mortua, et ad Aram SS. Apostolorum sepulta est.) *Constantinus* ob rerum gestarum gloriam *Magnus* dictus, fuit enim Ecclesiae pius custos, patronus, ac pater, et bonae politiae caput; a patre agonizante Augustus nominatus an. Ch. 306. imperare coepit; *a*) duas uxores habuit, ex quarum prima *Minervina* suscepit filium *Crispum.* Ex secunda *Fausta* tres habuit filios uti: *Constantinum*, *Constantem*, et *Constantium*, item fi-



*a*) Zosim. L. 2. Euseb. vita Const. L. 1. c. 14. — 16.

lias *Constantiam* et *Helenam.* — *Constantinus M.* initia imperii habuit turbulentissima, quoniam eotum ad semel sex Caesares, uti *Herculius*, *Galerius*, *Constantinus*, *Maxentius*, *Maximinus* et *Licinius*, *a*) Augusti titulo mutuis viribus de imperio contenderent; quos tamen omnes *Constautinus* feliciter exegit: signanter autem *Maxentium* in occidente, et *Maximinum* in oriente Christianismum exstirpare molientes aggressus, ampliusque ex coelesti crucis ostenso, inter profectionem animatus, *b*) (teste enim *Eusebio*, vidit, antequam cum Maxentianis pugna congrederetur, in ipso sereno coelo fulgentem crucem cum expressis circa eam literis: *Ἐν Τἔτῳ Νικα.* id est *in hoc signo vinces:* unde juxta speciem crucis, quae ei apparuit, mox ex auro confici curavit signum cum duabus literis graecis *XP.* quae nomen Christi exprimerent, illudque militaribus vexillis inseruit) saepius victor, tandem a. 312. ad pontem Milvium feliciter debellans, fugientem *Maxentium* Tyberis aquae hauserunt. Quo tempore et *Maximinus* ab *Licinio*, quem lacessebat, magno praelio in Thracia superatus, sumto veneno periit. *c*) Post haec brevi an. 314. *Licinium* inter

---

*a*) Lactantius. de Mortibus Persecutorum. 5. 32. Zosim. L. 2. 11. Victor. de Caesar. c. 40. *b*) Euseb. de vita Constanti. M. L. 1. c. 28. seqq. Socrates. L. 1. c. 1. et Sozom. L. 1. 1. c. 3. *c*) Lactant. de mort. Perter. c. 45. seq. Zosim. L. 2. c. 17.

inser et *Constantinum*, quamquam affinitate junctos, gravia bella ob provinciarum iniquam divisionem, et Christianorum persecutionem enata sunt; *a*) quibus tamen *Constantinus* superior, tandem *Licinium* hostem an. 323, Nicomediae in deditionem accepit, et Thessalonicam relegatum interfecit, finemque civilium armorum procuravit. *b*) Interim ut in bellis civilibus, ita et adversus hostes prospera fortuna usus erat: ex quibus Francos et Alemannos *c*) in Gallia, Sarmatas vero et Gothos ad Danubium in Pannonia *d*) magna clade affecit; imo domitos Sarmatas amplius 300. millia in Romanas terras recepit: Sicque superatis hostibus, sublatisque Tyrannis, solus imperio potitus, religionem Christianam amplius stabiliendam statuit. Demum in Persas, qui bellum movebant, contendens, in morbum incidit, quo post baptisma ab *Eusebio* Nicomedensi Episcopo susceptum, ipso Pentecostes die ad Nicomediam a. 337. obiit, aetatis 65. imperii vero 31. *e*) *Animadversio.* — Sunt qui credant, non bene ab hoc Imperatore consultum fuisse imperio, eo: quod Roma Constantinopolim transtulisset

---

*a*) Zosim. L. 3. c. 18. Eutrop. L. 10. *b*) Euseb. in vita Const. M. L. 2. 18. Socrates. Hist. Eccl. L. 1. c. 4. Zosim. L. 2. c. 28. *c*) Nazaius, in Paneg. Const. dicto. c. 28. seqq. *d*) Valesius. et Zosimus L. 2. — Euseb. L. 4. c. 6. *e*) Euseb. vita Const. L. 4. c. 61. seq. Socrates L. 4. c. 39. seq. Theodoret. L. 1. c. 31. seqq. Evagrius. L. 3. c. 41. seq.

lisset sedem, et distributis per Urbes militibus, limites praesidiis suis nudasset. Verum Roma, quum jam a multis superiorum Imperatorum vix unquam adiretur, dudum robur imperii praecipuum suapte in ea esse desierat: neque ea situs et commercii oportunitate constantinopolim aequabat. Limes vero imperii quanta diligentia ab eo fuit custoditus, repressi undique et pacati sub eo barbari argumento sunt. Alii item volunt eum ut adhuc in fide novitium, inter haeresim *Arii*, et Orthodoxam *Anastasii* fidem, dubium haesisse: quam opinionem satis refellit ejusdem Decretorum Concilii Niceni mascula defensio. Justius reprehenditur *Constantinus* de praecipiti *Crispi* filii Caesaris nece, cujus tamen calumniatricem *Faustam* novercam, cum dein in adulterio deprehendisset, balnei calore occidi jussit. *a*)

2. *Constantinus*, *Constantius* et *Constans* tres *Constantini M.* filii ex testamento patris *Augusti* renunciati, mox *Delmatium Hannibaliani* filium, quem *Constantinus M.* Caesarem nominaverat, militari factione e medio sufferentes, imperium inter se ita diviserunt: ut *Constantino* transalpinae provinciae cum parte Africae; *Constantio* Thracia, Moesia cum Oriente, Aegypto et Cyrenis; reliqua vero *Constanti* obvenirent, *b*) uti Italia cum Africae par-

*a*) Victor. Epit. c. 41. Philoetorg. L. 2. c. 4. *b*) Zosim. L. 2. c. 39. Zonaras. L. 13. c. 5. Aur. Victor. paulo aliter.

parte, item Illyricum, Graecia, Macedonia, et loca Ponto finitima. Sed a. 340. *Constantinus* ea divisione non contentus, in Pannoniam irruens, *a*) inde in Italiam fugatus, a militibus *Constantis* ad Aquileiam ignotus occisus est. Cujus provinciis *Constans* praeter spem auctus, victis in Gallia Alemannis et Francis, sensim in segnitiem et vitia lapsus, suisque invisus, a *Magnentio* Tyranno, a. 350. vita privatur. *b*) Hunc *Magnentium* brevi *Constantius* cruenta ad *Mursam* pugna fractum, repetitis in Italia et Gallia certaminibus ad tantam adduxit despersationem, ut sibi cum fratre vim inferret, omnesque orientis provincias a. 353. victori relinqueret. *c*) *Constantius* igitur *Magnentio* devicto, ut dehinc solus securiusque imperaret, *Gallum* Caesarem patruelem *d*) interemit. Cujus parricidii furiis agitatus, mox eo amentiae devenit, ut sectae Arrianae deditus, immanis Catholicorum insectator evaderet: cujus vires *Sylvanus* qui in Germania imperium sumserat, utcunque frangere videbatur, *e*) quo tamen oppresso, mox de Gallia, quam Franci et Alemanni devastabant solicitus, *Juliano*, *Galli* caesi fratri, Caesaris honorem et utros-

---

*a*) Eutrop. L. 10. Orosius. L. 7. c. 29. Socrates. L. 2. c. 3. Zosim. L. 2. c. 39. *b*) Zosim. L. 2. Eutrop. L. 10. Orosius. L. 7. c. 29. *c*) Eutrop. L. 10. Socrat. L. 2. c. 27. Sozom. L. 4. c. 6. *d*) Ammian. Marcel. L. 14. c. 10. Zosim. L. 2. *e*) Ammian. Marcell. L. 15. c. 5. Eutrop. L. 10.

utrosque barbaros reprimendi concessit potestatem; qui brevi tempore omnia loca recipiens, Francis inde pulsis aut in deditionem acceptis, Alemannorum quoque regulos memorabili praelio a. 357. ad *Argentoratum* superans, tertio Rhenum populandi causa transgressus, ad pacem orandam coegit. Interim *Constantius* post expetitas a Quadis et Sarmatis Pannoniae praedatoribus poenas, *a*) in orientem contra Persas discesserat; quo, obtentis belli Persici necessitatibus, robur militum *Juliani* ex Gallia transire jubebat; sed milites ne ab *Juliano* abstrahi possent, eundem *Julianum* a. 360. Lutetiae Parisiorum Augustum renunciarunt, *b*) quod gravissime ferens *Constantius*, dum omissis Persis, ad bellum civile contra *Julianum* inferendum contenderet, *c*) in Cilicia morbo absumtus est an. Ch. 361. imperii 25. *d*)

3. *Julianus*, *Apostata* dictus est, quia Philosophorum (quibus operam Athenis navabat) svasu, fidem Christianam deseruit. *e*) Imperator hic mortuo *Constantio* ab omnibus exercitibus receptus, ut primum se in imperio fir-

---

*a*) Zosim. L. 3. Ammian. L. 15. — 17. c. 13. Eutrop. L. 10. *b*) Ammian. Marcell. L. 15. c. 7. seq. item. L. 16. — 25. Orosius. L. 7. c. 29. seq. Socrat. L. 3. c. 1. Sozom. L. 5. c. 1. seq. *c*) Ammian. L. 20. c. 4. seq. Zosim. L. 3. Eutrop. L. 10. *d*) Ammian. Marcel, L. 21. c. 12. seq. Socrat. L. 3. c. ult. Zosim. L. 3. *e*) Ammian. L. 22. c, 5.

firmum vidit, deserta Christi religione, cui jam dudum simulate *a*) tantum adhaeserat, templa Deorum reseravit, iisque victimas veteri more immolari jussit; a sangvine quidem Christianorum abstinuit, sed ab aliis impune fundi permisit; imo Christianos, quos nefarie *Galilaeos* vocabat, non tantum Scriptis propriis *b*) oppugnavit, sed etiam variis artibus et magnitudine tributorum exhaurire studuit: dissidia inter eos fovendo, juventutem literis erudiri vetando, scholas claudendo, Templa destruendo, opes et fortunas eis adimendo, Episcopos variis sectis addictos et antea in exilium missos revocando; *c*) insuper autem quoties Chistiani de injuria questi erant, callide his Christi verbis illis illusit: *beati sunt pauperes.* Dein Judaeis, templi sui Hierosolymis restaurandi auctor fuit, quorum tamen labor, tarrae motibus et igne prope fundamenta erumpente, quo operarii, ut *Ammianus Marcellianus* scriptor gentilis testatur, *d*) aliquoties sunt exusti, in irritum cecidit; ex quibus moliminibus patet: nunquam

---

*a*) Idem. L. 21. c. 2. vide juventutem ejus ap. Socratem. Hist. Eccl. L. 3. c. 1. et de Sacrificiis Juliani, item templo Daphnensi combusto. Ammian. L. 22. c. 12. seq. Socrat. L. 3. c. 16. *b*) Epistolae Juliani de VII. libris petulantissime contra Christum scriptis. ap. Pet. Crinitum. de honore discipl. L. 5. c. 10. *c*) Socrat. L. 3. c. 1. 9. seq. Theodoret. L. 3. c. 1. seq. Sozom. L. 5. c. 1. seqq. *d*) L. 23. c. 1. Socrat. L. 3. c. 17. Sozom. L. 5.

quam in majus discrimen adduci potuisse Ecclesiam, quam sub hoc callido Imperatore, qui continuo religionis fundamenta subruere conabatur. Quibus actis, dum *Sapori* II. Persarum regi, qui *Constantium* jam antea magnis detrimentis affecerat, bellum inferret, compluraque Mesopotamiae loca expugnaret, *a*) ultra Tigrim progressus, quum deficiente annona reditum pararet, in altera cum hostibus pugna, qui iter ejus morabantur, ignoto jaculo percussus interiit hoc dicto: *vicisti Galilaee* an. Ch. 363. sine haerede. *b*) Imperator hic quantum a Christianis vituperatur, tantum ab Ethnicis Scriptoribus laudatur ob praestantiam ingenii, fortitudinem, moderationem, aliasque animi dotes.

4. *Jovianus*, militari suffragio Imperator renunciatus, *c*) prout sub *Juliano* egregius fidei Christianae confessor erat, ita nunc imperium prius suscipere noluit, quam duces, omnesque milites se Christianos fore profiterentur, adeoque praeclaris virtutibus praeditus imperium summa laude administravit, Ecclesiae desideratam pacem restituit, proscriptos antea Chri-

---

*a*) Ammian. Marcell. L. 23. 24. Eutropius. qui expeditioni interfuit. L. 10. Socrat. L. 3. c. 18. Sozom. L. 6. c. 1. *b*) Mortem ejus describit, Ammian. Marcell. L. 25. c. 4. Zosim. L. 3. Eutrop. L. 10. aliter Christiani referunt, uti Socrat. et Sozom L. cit. *c*) Ammian. L. 25. c. 7. Socrat. L. 3. e. 19. Sozom. L. 6. c. 3.

Christianos revocavit; bona, quae antea Ecclesiis ablata erant restituit; utque pacem et Romanas copias servaret, pacem cum *Sapore* Persarum rege necessariam magis *a*) quam honestam inivit; nam Mesopotamiae magna pars hosti concessa, et Legiones Romanae sub jugum missae erant: post quae Constantinopolim petens, in Bithyniae limite a. 364, octavo imperii mense pius hic Imperator seu cruditate, seu gravi prunorum vapore, mane exanimatus inventus est, imperio clarior, quam gesto: *b*) reliquit filium impuberem *Varronianum.*

5. *Valentinianus.* I. patre *Gratiano* Funario, *Cibali* in Pannonia natus, ut primum a. 364. exstincto *Joviano* imperium a militibus accepit, mox ad turbatum undique et a barbaris afflictum imperium *c*) felicius gubernandum, *Valentem* fratrem suum Augustum et imperii socium assumens Orienti praeposuit, *Gratianum* vero filium egregia indole praeditum Caesarem nominavit. Imperator hic ipse occidentem haud impigre a barbarorum iucursionibus defendens, princeps non solum pace, sed et bello clarus evasit, cujus summa laus, amor justitiae est; qui in Magistratus injuriae convictos graviter animadvertebat dicens: primam Principi justitiae

---

*a*) Ammian. circumstantias refert. L. 25. c. 10. Zosim. L. 3. Eutrop. L. 10. *b*) Ammian. ibid. Eutropius. qui in ejus morte desinit. Sozomen. L. 6. c. 6. Orosius. L. 7. c. 31. *c*) Ammian. L. 26. c. 4. seq. Victor. in Epit. c. 45.

tiae curam esse oportere. Contra Germanos, *a*) Pictos, Scotos, Saxones, *b*) item *Firmum* in Africa tyrannidem affectantem *c*) feliciter bellavit. Sed quia nimio limites muniendi studio, castella et praesidia in Qvadorum terris poni jussisset, regemque illorum ne id faceret deprecantem, *Maximus* operi praefectus nefarie occidisset, exasperati ii barbari, Pannoniam cum Sarmatis immanem in modum devastarunt; quibus imperator brevi vicem reddens, quum legati ab iis pacis orandae causa advenissent, *d*) in eos pro iracundia sua vehementius invectus, a. 375. ruptis vitalibus, seu apoplexia correptus, Bregetione in Pannonia anno aetatis 55. decessit, *e*) princeps pius et in religione constans. Quo mortuo alter filius *Valentinianus* a militibus Imperator factus, cum *Gratiano* occidentale imperium divisit, *f*) et cum matre *Justina* Mediolanum concessit. — Inter haec *Valens* in oriente blandimentis uxoris suae haeresi Arianae addictus, ab orthodoxa fide deficiens, perpetuus Arianorum protector fuit: qui licet bella contra *Procopium*, Persas et Gothos saepius prospera gessisset, a Gothis tamen,

*a*) Ammian. L. 27. c. 9. Zosim. L. 4. *b*) Ammian. L. 27. c. 8. et L. 28. c. 3. — 5. Orosius. L. 7. c. 32. *c*) Ammian. L. 29. c. 5. Orosius. L. 7. c. 33. Zosim. L. 4. e. 16. *d*) Ammian. L. 29. 30. c. 5. seq. Zosim. L. 4. c. 17. *e*) Ammian. L. 30. c. 9. Zosim. L. 4. Socrat. L. 4. c. 31. *f*) Ammian. L. 30. c. ult. Socrat. L. 4. c. 26. Theodoret. L. 5. c. 12. Sozomen. L. 6. c. 10.

men, quos sedibus suis ab Hunnis pulsos exceperat, brevi acie victus, dum saucius praelio in desertam casam se reciperet, a barbaris deprehensus, cum tugurio igne injecto vivus exustus est. *a*) a. Ch. 378.

6. *Gratianus* Syrmii natus, inde a pueris laudatissimus princeps et Orthodoxae Fidei constanter addictus, patre mortuo mox occidentis imperium adeptus, Fratrem suum *Valentinianum* II. quadrimulum puerum, militum etiam suffragio, imperii et Augustae dignitatis consortem fecit, qui post *Valentis* interitum, etiam in oriente rerum potitus, majorem curarum molem subiit, cumque Gothi Hadrianopolim et Constantinopolim frustra obsessas, vicinas provincias ferro et igne vastarent, *b*) anxiis hisce temporum adjunctis, *Theodosium* genere Hispanum, a rebus bellicis clarissimum Ducem, per quem Thraciam, debellatis jam Hunnis et Alanis pacaverat, in Collegam assumens Orientis Augustum constituit, a. 379. qui mox Gothos *c*) in ordinem redigendo, sibi Constantinopoli Aulam splendidissimam, ipsi etiam *Athanarico* Gothorum regi admirabilem con-

---

*a*) Ammian. de bello Gothico. L. 31. Theodoret. L. 4. c. 36. seqq. Sozomen. L. 6. c. ult. Socrat. L. 4. *b*) Ammian. Marcell. L. 31. c. nlt. qui etiam hic desinit. Zosim. L. 4. *c*) Idem. ibid. Theodoret. L. 5. c. 5. seq. Socsat. L. 5. c. 2. seq. Sozom. L. 7. e. 2. seq. felicitatem hujus temporis vide ap. Claudianum. L. 1. in Rufinum.

constituit. Interim in occidente *Magnus Maximus*, *Gratiani* dux, *a*) post relatam de Scotis celebrem victoriam, in Galliam tendens imperium affectare coepit, imo brevi ipsum *Gratianum* suis ob negligentiam, *b*) aliasque causas exosum, post 16. annorum imperium dolo occidens, Galliam, Hispaniam, Africam, et Britanniam occupavit, filiumque suum *Victorem* collegam constituens, *Valentinianum* quoque Italia pepulit, *c*) qui demum ad Aquileiam a. 388. a *Theodosio* victus et occisus est; prout et *Valentinianus* a. 392. ab *Arbogasto* rebelli strangulatus fuit. *d*)

7. *Theodosius* a rebus praeclare gestis *Magni* nomen consecutus, Christianis parentibus natus, duas habuit uxores, *Eliam Flaccillam*, ex qua suscepit *Arcadium* et *Honorium*, alteram habuit *Gallam Valentiniani* I. filiam, quae mater erat *Gallae Placidiae*. *e*) *Theodosius* hic omnibus Imperatore Christiano dignis virtutibus ornatus, a *Gratiano* collega assumtus, jam a. 379. summa rerum potitus est, cujus fortitudine Gothorum pars cum sociis trans Danubium repulsa, ceteri autem, qui Visigothi vo-

---

*a*) Socrat. L. 5. c. 11. Sozomen. L. 7. c. 13. Paul. Diacon. L. 11. seq. ult. *b*) Idem. ibid. et Zosim. L. 4. *c*) Idem. ibid. Rufinus. Hist. Eccl. L. 2. c. 45. seq. Socrat. L. 5. c. 12. *d*) Zosim. L. 1. Socrat. L. 5. c. 24. Sozom. L. 7. c. 22. Orosius. L. 7. c. 35. *e*) Du Fresne in Fam. Byzant. p. 69. seqq.

vocabantur, a praedationibus inhibiti, instar foederatorum in Thracia collocati sunt. *a*) *Valentinianum* II. *Gratiani* fratrem a *Maximo* Tyranno ejectum, non modo honorifice excepit, sed insuper in occidentis imperium restituit. *Athanaricum* Gothorum regem, a. 381. magna sepultura *b*) honoravit. Gothos sub foedus redegit: Persis petentibus pacem concessit. *c*) *Andragatium* prae desperatione praecipitem in undas egit. Multa alia instituta in statu tam Eclessiastico quam Politico in Italia reformavit, *d*) signanter leges adversus luxuriam sanxit, et ab aula sua executionem inchoavit. Romae poenam flagitiosam adulterii usitatam, eversis lupanaribus abrogavit. Sed prout haec pie, ita crudeliter *Thessalonicae* septem millia e plebe interfecit, ob occisum praesidem *Botericha* et alios Magistratus, *e*) quare a S. *Ambrosio* Mediolanensi Episcopo excommunicatus, octo mensium censuram patienter ferens, non prius absolutus et in sacram aedem admissus est, quam lege sanxisset, ejusdem Episcopi consilio; *ne deinceps Capitales sententiae ante XXX. dies ratae haberentur*, ut ita iracundo Principi facultas esset eas revocandi. Quae lex dein Antiochiae

---

*a*) Orosius. L. 7. c. 34. Paul. Diacònus. in Continuat. Eutropii. L. 11. Zosim. L. 4. *b*) Zosim. L. 4. Paul. Diacon. L. 11. *c*) Jornand. c. 28. Orosius. L. 7. c. 20. seq. *d*) Socrat. L. 5. c. 14. et 48. *e*) Sozom. L. 7. c. 24. Theodoret. L. 5. c. 16.

tiochiae saluti fuit, *a*) cujus cives ob dejectas statuas suas, et conjugis *Placidiae*, male mulctasset; nisi *Flavianus* Episcopus, intra trigessimum diem iram ejus placasset dicens: ne propter mulieris imaginem, tot homines imagines Dei perderet. Inter haec in occidente *Valentinianus* ab *Abrogaste* duce, qui *Eugenium* scribam Imperatorem creare contendebat, *b*) strangulatus est; quare *Theodosius* contra eos indictis supplicationibus bellum orsus; brevi *Eugenius* captus capite mulctatus, *Abrogastes* vero rebus desperatis sui carnifex evasit; ita victor *Theodosius* Mediolanum regressus, relictis filiis *Arcadio* et *Honorio*, quos adhuc pueros *Arsenio* Praeceptori commendans, eos non ut Caesares, sed ut discipulos tractari, et si quid deliquissent, etiam verberibus excipi jussit. Qui demum annos natus 60. exspiravit dicens: *magis se gaudere, quod membrum Ecclesiae Dei esset, quam quod in terris regnaret;* quare etiam filiis non aliud legavit quam *pietatem* inquiens: *c*) *hac enim et pax conservatur, et bella conficiuntur, et hostes dantur in fugam, et trophaea excitantur, et conciliatur victoria.* Filios itaque occidentis et orientis haeredes reliquens *d*) Tutoribus concredidit, quorum

---

*a*) Idem. c. 19. Sozom. L. 8. c. 23. *b*) Orosius. L. 7. c. 21. seq. Rufin. L. 3. c. 23. et 33. Theodoret. L. 5. c. 24. *c*) Theodoret. L. 5. c. 25. *d*) Zosim. L. 4. et 5. Socrat. L. 6. Sozom. L. 8. c. 25. Orosius. L. 7. c. 37. Paul. Diacon.

rum imperium mox ingentes turbae exceperunt, quoniam Hunni Asiam, *a*) Gothi a *Rufino* invitati *b*) Graeciam foede vastarent, *Rufinus* vero et *Eutropius* factionibus initium darent.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Sicut priori aetate, ita et nunc inter Christianos quam plurimi in scientiis eminuerunt; nam a Christianis Scholarum publicarum erectiones jam palam fiebant, in quibus Artes et disciplinae traderentur. Et quidem praeterquam sub *Juliano* Apostata, hujusmodi Scholae prae ceteris erant in oriente Constantinopoli, in Aegypto Alexandriae, in Italia Romae, in Galliis Treviri, Massiliae etc. Nam *Constantini* M. Imperatoris Principatus mox doctis et Sanctis viris coepit esse insignis; per ea enim tempora *Arnobius*, *Lactantius*, *Firmianus*, *Crispi* Caesaris Magister, *Juvencus* Poeta, et *Eusebius* Caesariensis Ariana labe infectus, *c*) *Donatus* Grammaticus, *Victorinus* Rhetor S. *Hieronymi* Praeceptor, item S. *Paulus* Eremita, et S. *Antonius* M. cujus precibus *Constantinus* se, ac filios impense per Literas commendavit, prout et S. *Athanasius* floruerunt. *d*) *Constantius* Imperator ad artium perennem memoriam, Obeliscum omnium maximum Alexandria Romam

m de-

---

*a*) Ammian. Marc. L. 31. *b*) Zosim. L. 5. Socrat. L. 6. c. 5. Sozom. L. 8. c. 1. *c*) Baronius. ad an. 340. num. 12. seq. *d*) Vossius. de Graecis. fol. 200.

deferens in maximo circo erexit, quem demum pro memoria *Sixtus* V. Pont. e ruderibus eruens, ante Lateranensem Basilicam, SS. Crucis signo dedicavit. *a*) Sub *Juliano* Apostata floruit magni nominis Rhetor *Ecebolius b*) ante Christianus, dein ob gentilitatem Imperatori charus, quo mortuo rediens ad Christianos, paenitens ad portam Ecclesiae clamavit: *me quasi sal infatuatum pedibus conculcate. Libanius* celeberrimus ejus temporis orator Gentilis. Ea aetate S. *Basilius* Caesareae in Cappadocia Episcopus monasticam instituit vitam. *c*) *Zosimus* pro *Juliano* contra *Canstantinum* scripsit. *Ausonius* Gallus, Gratiani Caesaris Magister. E Graecis eminuerunt post *Basilium* M. duo *Gregorii* nempe *Nazianzenus* Theologus et orator, patri in Episcopatu successor, sub *Theodosio M.* sedi Constantinopolitanae praeficiendus, sed sponte abdicavit, mortuus a. 389. Alter *Gregorius Nyssenus*, *Basilii* M. frater, et sectator *Origenis* ut magnus Philosophus. *Cyrillus* Hierosolymitanus, sede non semel motus, sub *Theodosio* mortuus. *Epiphanius* Palaestinus, Constantiae in Cypro Ep. a multa lectione clarus, *Origenis* adversarius, reliquit utilissima scripta, uti de vita et morte Prophetarum, de Ima-

*a*) Longus. fol. 85. *b*) Socrat. L. 3. c. 11. *c*) in Epist. 79. ad Eustachium. et Gregorius Nazian. de laudibus Basilii. Orat. 20. T. 1. Vossius. de Graecis. Histor. fol. 203.

Imaginibus B. Virginis et Sanctorum, de voto Coelibatus, Sacrificio Missae, Purgatorio etc., mortuus sub *Arcadio*; *Johan. Chrysostomus* Patrum facundissimus, Archi Ep. Constantinopolitanus, tandem ab *Arcadio* in regionem Ponticam an. 403. in exilium missus, cujus scripta genuina et dubia, non est hujus compedii, *a*) ut referantur: *Macarius*, *Ephraemus* Diaconus, *Amphilochius Ep. Didymus* a pueritia coecus. *Asterius* Ep. et *Apollinarius*. — In occidente Latini praeceteris claruerunt praeter *Lactantium*, *Hilarius* Pictaviensis Ep. flagellum Arianorum, scripsit. 13. Libros de Trinitate; ex exilio revocatus, sub *Valentiniano* seniore mortuus an. 367. *Optatus* Milevitanus Ep. Danatistarum adversarius. *S. Ambrosius* Mediolanensis Ep. a Civili Praefectura ad Ecclesiasticam translatus, animo magnus, dictione mellifluuus, mortuus an. 397. *Philastrius* Brixiensis Ep. Scriptor de Haeresibus. *Paulinus* Nolae Ep. cujus Epistolae et Poemata exstant. *S. Hieronymus* Stridoniensis Presbyter, eruditione seculari, et Literarum Hebraicarum peritia clarus, primus inter Patres (si *Origenem* exceperis) lingvam Hebraicam excoluit, ac secundum Codicem Hebraeum, latinam nobis Veteris Testamenti dedit versionem, quae *vulgata* dicitur: demum mortuus an. 420. *S. Augustinus* Hipponenstis in Africa Ep. sacra eruditione, docendi



*a*) Natalis Alexand. T. 7. p. 647.

vi, in disputando promtitudine, et in Haeresibus profligandis, cumprimis de gratia asserenda, felicitate, virtute item moderationis ac prudentiae major et ornamentum Ecclesiae fuit; qui dum primo Manichaeus esset, precibus et lachrymis *Monicae* Matris, ac opera *S. Ambrosii* conversus, Collegia doctorum hominum instituit, quibus successere Monachi, nam iis temporibus, his in Urbe habitare non licuit: prout testatur *S. Hieronymus* ad *Paulinum* his: *si cupis esse quod diceris Monachus, id est solus, quid facis in Urbibus, quae utique non sunt solorum habitacula sed multorum.* Tandem. S. *Augustinus* denatus est an. 430. Ceterum quantopere sub *Theodosio M.* viri docti et Literae cultae erant, exemlpum *Theodosii* aperte probat: *a*) qui *Arcadio* filio Praeceptorem constituens *Arsenium* Romanae Ecclesiae Diaconum, eidem, Constantinopolim secedenti, filium sum moribus et Literis imbuendum sic consignavit: *Post hac tu eris magis Pater ejus, quam ego*, (quod praeclarum et semper consectandum Parentibus exemplum! utinam nostris quoque temporibus nancisceretur Patronos.) Interim plus adhuc bonus hic Imperator posteris consignavit pietatis erga Magistros Scientiarum exemplum; quum, continuo consectando Imperatoribus vestigio! quadam vice Scholas publicas pro more suo (haud aliis commisso)

---

*a*) Baronius. ad an. Ch. 383.

so) ingressus, vidisset *Arsenium* stantem, *Arcadium* vero filium sedentem; mox *Arsenium*, quod Magisterii gradum haud decore servasset, juste increpuit; qui semet excusare volens reposuit: minime decere se sedentem docere Imperatorem! cujus rei indignitate motus Imperans, mox Magistro auctoritatem tribuere palam volens, *Arcadio* omne Imperatoris insigne auferens, *Arsenium* in Throno sedere compulit, filium vero detecto capite auditorem profiteri, illud inculcando: tunc fore prolem suam vere dignam Imperio, si cum Scientia, aeque et pietate imbuta esset. Ceterum quum postea contigisset, ut *Arcadio* verbera juxta patris voluntatem inflixisset, mox *Neronis* instar Magistro mortem inferre meditabatur, qua mature detecta, ipse *Arsenius* monitu quodam ab aula clam secedens, in Aegypti eremum se contulit, ubi probata Sanctitate, toto orbe conspicuus deinceps vixit. *a*)

---

C A-

*a*) De Doctis Viris, sub Theodosio M. vide Vossium. in Graecis. fol. 200. — 305. Item Prosper. Aquitanum. fol. 519.

# Caput IV.

*Exhibens Historiam Occidentalis Monarchiae Romanae post divisionem, usque ad occasum Imperii occidentalis. Seu ab an. Ch.* 395. *usque an. Ch.* 476.

§. 1. Geographico statistica notio Imperii occidentalis. Imperium Romanum occidentale, praecipua regna et provincias complectebatur sequentes: uti totam Italiam, Hispaniam, Galliam, Britanniam, Germaniam, Pannoniam seu modernam Hungariam, et Africam, quae hodie Barbaria est; item Illyricum (Slavoniam, Dalmatiam etc.) in quibus regnis tamquam Imperii occidentalis fragmentis enata sunt successive varia Gentium regna, videlicet *Visigothicum* in Hispania, *Saxonicum* in Britannia, *Ostrogothicum* in Italia, *Francicum* in Gallia, *Vandalicum* in Africa, imo procedente tempore non nulla alia; de quibus singillatim tractandum erit, ubi Historiam Romanorum specifice absolverimus.

§. 2. *Status Religionis et consvetudinis Imperii Romani divisi.* Seculo hocce V. licet Doctrina Catholica talis esset, qualem Symbolum Concilii Generalis II. Constantinopolitani exhibe-

bebat, ritus tamen et disciplinae variae inductae sunt; insuper crescebat in dies Monachatus et coelibatus; afflixerunt item statum externum Ecclesiae, externa bella in oriente et occidente, ambitione *Rufini* et aemulatione *Stiliconis* exscitata, *a*) quorum machinationibus gentes septemtrionales pleraeque haeresi Ariana infectae, Imperium occidentale inundantes, provincias Romanas inter se partitae sunt, sub quibus in Ecclesia oppressa, orthodoxi vivere debebant; quo tempore intestino etiam bello laborabat Ecclesia in causa *Origenis* Adamantini, unde oppressio Ecclesiae Christianae sequi debebat; sic in Britanniam paganismus per Scotos et Pictos reductus est; *b*) imo per *Anglo-Saxones* in auxilium vocatos, (qui Angliae nomen dederunt) Britanni Christiani erant pulsi. *Burgundiones* quoque Germaniae populi in Galliam effusi, Arianam fidem professi sunt. — Sed ex opposito haud parum propagata fuit Ecclesia, quoniam hac aetate integrarum etiam nationum ad fidem Christianam conversiones fierent, sic insula Hiberniae, seu *Scotia* est conversa. *Franci* cum rege suo *Clodovaeo*, cujus uxor erat *Clotildis* Christiana, nomen Christo dederunt. Innumerae praeterea conversiones erant privatorum, opera SS. *Chrysostomi*, *Pau-*

---

*a*) Orosius. L. 7. c. 24. Sozom. L. 8. c. 1. — 4. Theodoret. L. 5. c. 32. Socrat. L. 6. c. 6. seq. *b*) Usserius. Antiquit. Britannicarum. p. 800. — 826.

*Paulini*, *Augustini* aliorumque Antistitum, auspiciis imprimis Imperatorum *Arcadii*, *Honorii*, *Theodosii Junioris*, ex Gentilismo, *a*) Judaismo et Arianismo, quod ipsum *Sozomenus* *b*) sic confirmat: *Subditi ad hos Imperatores respicientes, Pagani quidem ad Christianismum facilius convertebantur: haeretici autem Ecclesiae Catholicae accedebant.* Qui omnes in primariis articulis Catholicam fidem priorum seculorum, ex publicis formulis, ex actis et Canonibus Conciliorum universalium, et particularium, et ex scriptis Patrum palam profitebantur: uti eundem scripturae Canonem, eandem sententiam de Trinitate, de Christi persona, de officiis, de hominis corruptione, de Gratia, Justificatione, Carnis resurectione et Eucharistia. Ceterum non pauci ritus seu incursionibus Barbarorum, seu institutis hominum invaluerunt; nam praeter additos nonnullos libros apocryphos, *c*) etiam publicus in templis imaginum usus, Sanctorum invocatio, Crucis adoratio, reliquiarum veneratio *d*) crevit; item Clericorum coelibatus lege sancitus, *e*) et exorcismi ad pellendum malum spiritum adhibiti. *f*) Quoad *Disciplinam* sub *Leone* I. Confessio publica in privatam mutata, leges latae

---

*a*) Socrat. L. 7. c. 38. *b*) L. 8. c. 1. *c*) Concil. Carth. III. a. 397. can. 57. ap. Harduin T. I. p. 968. et 1005. *d*) S. August. de Civit. Dei L. 1. c. 13. *e*) Syricius. Popa Epist. 1. ap. Harduin. T. I. p. 849. *f*) Optatus. L. 4. c. 6.

tae de jejunio Sabbathi, Quatuor temporum, Vigiliarum, Rogationum; Litaniarum usus inductus; creverunt sensim et *Cerimoniae* circa Sacra, vestes sacerdotum et Diaconorum, benedictiones cereorum, etc. *a*) *Regimen Ecclesiasticum* fuit penes Synodos Universales, Nationales, Provinciales, imo et Principales, inquantum in gravioribus negotiis Imperatores Synodos convocarent, confirmarent, Judices constituerent, leges sancirent, dignitates disponerent. *b*) Magnum tamen fuit jam hoc aevo Romani Pontificis Judicium, in causis potissimum Haereticorum expetitum; unde caput attollere, et sedis Apostolicae appellationum jura sibi vindicare coeperunt; imo et *Vicarios* sedis Romanae aliis provinciis constituerunt summa potestate. Celebriores Pontifices Romani erant; *Athanasius* qui Haereticorum pertinaciam celebratis conciliis fregit, corruptos cleri mores emendavit, Evangelii lectionem stando audiri, neminemque mutilatum ad Presbyteratum admitti jussit. *S. Zosimus* hospitia Presbyteris interdixit, et cereum Paschalem instituit. *Bonifacius* Romanus mancipia et debitores ab ordinibus exclusit. S. *Coelestinus* I. Antiphonas et Psalmos ante Missam cantari praecepit. *S. Leo I. Magnus.* solis

*a*) De Ecclesiae ritibus fuse S. Augustin. in Epist. 119. ad Januarium. *b*) Unde Socrates in Proemio L. V. sic refert: ex quo Imperatores Christiani esse coeperunt, ex illis res Ecclesiae dependerunt.

solis 40. annorum virginibus, *Sacrum Velum* permisit; doctissimisque scriptis conspicuus, 20. annis sedem Pontificiam tenuit. *S. Hilarius*, Episcopos successores constituere prohibuit. *S. Simplius*, Ecclesiastica beneficia a laicis conferri vetuit. etc. Hoc aevo tres prae reliquis insigniores surexerunt Haereses. I. *Pelagiani* dicti ab auctore *Pelagio* Monacho Britanno, an. Chr. 405. in Italia primum pululare coepit ejus haeresis, quam mox in Africa ejus discipulus et fautor *Celestinus* Campanus, et *Julianus* Apulius propagavit; boni operis initium in natura posuit, et originale peccatum negavit; statuit liberum arbitrium, et unumquemque suis operibus salutem posse assequi, Adamum sibi soli obfuisse lapsu *a*) tres salutis vias fuisse admisit, nempe per legem Naturae, per Legem *Mosis*, et per Legem *Christi*, evertit autem *Gratiam*. Huic *Pelagio* acerrime se opposuit inter alios *S. Augustinus*. Condemnata fuit autem ejus haeresis primo in Synodo *Milevitana*, demum in Concilio *Carthaginensi*. Ex hac haeresi enati sunt *Semi-Pelegiani* inter Orthodoxos et Pelagium medii, alias *Massilienses* dicti, in Galliis exorti circa an. 430. *b*) II. Haeresis fuit *Nestoriana*, cujus autor erat *Nestorius* Episcopus Constantinopolitanus, an. 428. homo fastuosus, negabat unionem per-

*a*) S. Augustin. de Haeresibus. *b*) Histor. Pelagianae. L. 2. c. 11.

personalem duarum Naturarum in Christo, item docuit *Mariam* esse *Christiparam*, non vero *Deiparam*: *a*) cujus errores damnati sunt an. 431. a Patribus in Concilio Ephesino, ipse vero a *Theodosio* II. in Aegyptum relegatus *b*) misere periit. III. Longe majores turbas dedit Haeresis *Eutychiana*, cujus auctor fuit an. Ch. 448. *Eutyches* Archimandrita Constantinopolitanus, qui nuper contra *Nestorium* in Concilio mascule disputaverat, nunc vero docuit *in Christo non nisi unam scilicet divinam naturam esse*: qui de errore frustra admonitus, tandem a. 451. in Concilio Chalcedonensi damnatus est; ex cujus haeresi, et furore fautorum ejus, ingentia mala, toti Ecclesiae funesta sequebantur in hunc usque diem, in Aegypto, Palaestina, Armenia, Syria, Aethiopia, ect. unde inter varias sectas enatas, celeberrima evasit *Acephalorum* seu nulli capiti subjecti, sed pro lubitu suo sentientes, post *Henoticon Zenonis*, adeoque post an. 480. Huc referenda est secta *Fullonianorum* vel *Theopaschitarum* auctore *Petro Fullone* Antiocheno Episcopo, qui asseruit *unam de Trinitate personam esse passam, et cruci affixam*. Huc spectat et secta *Armeniorum*, nullas imagines collendas permittens. — Haeresis imputatur etiam *Vigilantio* Gal-

*a*) Socrat. L. 7. c. 7. et 34. seq. Acta. Conc. Ephes. ap. Harduin. T. I. p. 4351. seq. Baluz. p. 453. seq. *b*) Evagrius. L. 1. c. 7.

Gallo, Praesuli Hispano doctissimo, qui damnabat coelibatum; reliquias Martyrum non esse adorandas, dicens: *quid necesse est te tanto honore, non solum honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis.* etc. Cereos quoque frustra in templis clara luce accendi monebat: *prope ritum gentilium videmus, sub praetextu religionis introductum in Ecclesias, sole adhuc fulgente moles cereorum accendi.* Denique Monachorum in solitudine fugam vituperabat, inquiens: *si omnes se clauserint, et fuerint in solitudine, quis celebrabit Ecclesias? qnis seculares homines lucrifaciet? quis peccantes ad virtutes poterit cohortari?* etc. Ob quae eum *S. Hieronymus* reprehendit. *a*) Praeter Haereses, persecutienes etiam graves passa est Ecclesia, quales *Romae* et in *Italia* excitatae erant per Gothos Italiam vastantes. In *Hispania* per Alanos, Gothos, Vandalos, saevitum est; prout in *Gallia* per Vandalos, Gothos et Hunnos. *b*) In *Africa* per furores *Donatistarum* et *Circumcellionum*, item per Vandalos Arianismo addictos duce *Gensericho.* *c*) In *Britannia* per Pictos, Scotos, et Anglo-Saxones. Porro hoc aevo,

---

*a*) S. Hieron. adver. Vigilantium. et Joan. Laeti. Comp. Hist. Univ. Period. Graec. p. 130. seq. *b*) Gregor. Taronensis. et Hist. Erancor. *c*) Victor Uticensis. et Frid. Spanheimius. Cong. Introd. ad Hist. Eccl. p. 168. seq.

aevo et *Canonicorum Collegia* sunt instituta, ad Ecclesiae ministeria, quod nomen primitus officii et regulae, tardius beneficii et dignitatis est.

§. 3. *Status Politicus et Forma regiminis.* Mortuo *Theodosio M.* totum Romanum imperium vi testamenti ejus divisum fuit inter duos filios ita: ut *Honorius* Occidentis, *Arcadius* vero Orientis Imperator esset; a quo tempore ita fuit Romanum Imperium divisum, ut nunquam amplius coaluerit. Ceterum *Theodosius M.* moriturus, quum videret filios ob teneram aetatem tanto imperio moderando haud esse pares, ideo Imperii Tutores ordinavit, *Honorio Stiliconem*, *Arcadio* vero *Rufinum*, qui eorum aetatem supplentes, imperii curam gererent. Verum brevi horum Tutorum immanis ambitio omnem Romanam rem pessumdedit; quoniam non abscure *Stilico* filio suo *Eucherio*, *Rufinus* vero sibi imperium quaereret: *a*) imo hic *Stiliconis* ambitionem veritus, non modo *Alaricum* Gothorum regem in Graeciam, sed etiam Hunnos in Asiam immisit, quo facto imperii debilitatio necessario sequi debebat: *b*) quam ipsa ruina demum comitabatur, licet haereditaria continuo observaretur successio. Ultimus Occidentalium Imperator fuit *Romulus* *Mo-*

---

*a*) Zosim. L. 5. 4. Orosius. L. 7. c. 37. Socrat. L. 6. c. 1. *b*) Zosim. L. 5. c. 4. seqq. Sozom. L. 8. c. 1. Socrat. L. 6. c. 1.

*Momyllus Augustulus*, sub quo *Odoacer* Herulorum rex captis pluribus Italiae urbibus, ipsam quoque Romam expugnans, Italiam subjugando, an. 476. penitus occidentale Romanum Imperium delevit; *a*) et nomen ac majestas Imperatoris in occidente concidit, Barbaris peregrinis Italiam secura possessione tenentibus.

*Causa* occasus Imperii occidentis, passim refertur ad ipsum *Constantinum M.* a quo sedes Imperatoria ad orientem fuit translata. Nam quoniam Italia, aliaeque occidentales provinciae feroces bellicosissimosque totius orbis populos haberent vicinos, politicum erat, ut ad earum provinciarum securam conservationem tota Imperii cura verteretur, praesertim iis criticis temporibus, quibus propter commercium cum populo Romano, disciplina militaris apud gentes introducta fuit; quae insuper gentes viribus et fortitudine Romanis dudum superiores, sed hactenus unice arte, et ei juncta fortuna victae erant. Quae demum gentes post divisionem Imperii sub *Theodosio*, ut primum expertae fuissent debilitatem imperii, imo quum iis una aliave expeditio feliciter successisset, mox tanta Septemtrionis multitudo ad Romanas delicias confluxerat, ut nulla vi amplius sisti potuerit; eo a fortiori quod etiam Magistra-

*a*) Procopius. L. 1. de bello. Goth. Jornand. de Regnor. Successione. Evagrius. L. 2. c. 16. Paul. Diacon. fuse L. 46.

stratus praecipui in manibus alienigenarum non minus strenuium, quam proditioni paratissimorum et inter se de summa potestate disceptantium versaretur. Cujus proin Imperii vires, non tantum partitio Theodosiana, sed vel maximae intestinae molitiones atque perfidiae minuerunt, praecipitaruntque. Praeterea jam in ipso Imperii sinu, praeter Vandalos, etiam indomiti Gothi resederant; ad limites vero Alemanni, Franci, et Hunni praestolabantur, vindictae et praedarum desiderio frementes, dudum oxoptabilem ansam exspectantes. Per quos et alios Imperii eversores multa alia nova regna sunt condita e fragmentis Imperii occidentalis; unde temporis hocce spatium ab an. Ch. 395. fere usque ad 600. *Gentium migrationis* nomine inscribitur; quoniam populi peragratores et bellatores acerrimi, potissimum ex incultis Germaniae plagis ingruentes, Romanorum terras omni copia et apparatu locupletes expugnant, sibi vindicant, et ut proprias insident, donec ab aliis supervenientibus pugnatoribus ipsi demum depellerentur. Ex his igitur causis, miram rerum in occidente Romano vicissitudinem, non tam mirari, quam contemplari debemus, quanta fortunae varietate regimen Imperii ad diversas gentes pervenerat. Ex quibus gentibus eversoribus, brevi tamen regnantibus, imprimis memorari merentur. —

*Heru-*

*Heruli* qui totam Italiam uno impetu subjugarunt, quorum Princeps *Odoacer* a) an. 476. ex Pannoniae finibus Italiam agressus, mox ejus Rex proclamatus, b) contemta Roma, sedem Regiam *Ravennae*, constituit. Sed Heruli post 13. annos Italia ab Ostrogothis expulsi sunt: c) quorum rex *Theodoricus* in Herulorum ruinis novum erexit in Italia regnum, quod duravit ab anno Ch. 493. usque annum 553. Regiam sedem sibi et posteris *Veronae* constituens; cujus successorum ultimus *Tejas* cum *Narsete* pro gloria gentis pugnans d) ad *Cumas* occubuit. Post cujus necem denuo aliud in Italia constitutum est a *Longobardis* regnum, qui sub *Albvino* rege feliciter arma circumferentes Italiam sibi asseruerunt, cujus pars et hodie Longobardia dicitur, hi regiam sedem *Ticini* sive *Paviae* posuerunt, e) quorum regnum *Longobardicum* florens inde ab anno 568. usque annum 774. exstitit; quo anno *Carolus M.* Rex Franciae, ultimum eorum regem *Desiderium* praelio ad Ticinum superatum in Galliam abstraxit, f) et finem regno fecit. — Inte-

a) Eugippus. de Odoacre. in Hist. S. Severini. et Paul. Diacon. L. 16. Procopius. L. 1. de bell. Goth. b) Idem. ibid. c) Procop. L. 1. Jornand. c. 57. Paul. Diac. L. 16. d) Procop. L. 3. de bell. Goth, Leonhard. Aretinus. L. 4. uterque scriptor hic desinit. e) Paul Warnefrid. de gestis Longobardorum. L. 6. c. 49. f) Eginhard. in vita Caroli M. Aimoin. L. 4. c. 59. seqq.

terim hoc temporis intervallo, quo Longobardi in Italia dominabantur, magnam adhuc Italiae partem Graeci tenuerunt, quam per Praefectos seu *Exarchos* (quos Imperatores Constantinopoli eo mittere solebant,) gubernarunt, *a*) sedemque Ravennae fixerunt, qui Longobardis strenue resistentes, Imperii fines continuo ibi tutabantur inde ab anno Ch. 568. usque annum 752. ac proin *Exarchatus Ravennatensis* fere 185. annis celebrem existentiam habuit: cui finem fecit *Aistulphus* Longobardorum rex, Ravennam armis occupando, *b*) sed demum et Longobardico regno everso, tandem tota Italia, quae hactenus sub Exarchatus, et Longobardici regni nomine veniebat, in potestatem Regum Francorum coaluit: *c*) quorum rex *Carolus M.* primum a Romano populo Patricius, dein Occidentis Imperator est salutatus; *d*) cumque talismodi restauratio Imperii occidentalis

n agen-

*a*) Primus Exarchus in Italiam a Justino II. missus est Longinus, teste Paul. Diacon. L. 18. et Constant. Porphyrogen. de Adm. Imp. c. 27. *b*) Anastasius in Stephano III. quum Eutychius ultimus Exarchus Constantinopolim esset fugatus. Sigonius. L. 3. de reg. Italia. *c*) Aimoinus. L. 4. c. 69. 70. Eginhard. in vita Caroli M. *d*) Idem. ibid. refert. in festo Nativitatis Christi. a. 800. in templo S. Petri Leone III. Pontifice Coronam imponente, et acclamante Senatu ac Populo: Carola Augusto a Deo Coronato, Magno et Pacifico Imperatori Romanorum vita et victoria, Item Aimoinus L. 4. c. 90. Ann. Fuldens. ad a. 801.

agente potissimum Romano Pontifice facta esset, in signum gratitudinis *Carolus M.* validam Exarchatus partem, aliasque possessiones eidem Pontifici, ejusque successoribus Romanis contulit: *a*) atque hac donatione nititur Romanorum Pontificum *Patrimonium*. Donatio enim *Constantini M.* tamquam fabulosa, dudum ab eruditis explosa habetur. Quomodo autem a Francis, Imperii Occidentis dignitas ad Germanos translata est, suo loco in Francicis et Germanicis rebus percensebimus. — Quales autem gentes, praeter enumeratas, in ruinis Romani Imperii, regna nova temporanea condiderint, sequenti capite brevibus exponemus.

§. 4. *Status Belli, et memoria Principum Virorum.* Facta Imperii Romani divisione, mox occidens horribilibus turbis usque ad internecionem afflictus est, tum internis malis domesticis ex defectione ducum purpuram sumere meditantium coortis, tum incursionibus barbarorum. Signanter autem primus Occidentalis Imperator *Honorius* undecim annos natus, ignavus aut infelix adeo suum Tutorem *Stilliconem* origine Vandalum coluit, *b*) ut duas ejus filias *Mariam* et *Ermantiam* successive sibi desponsaret, quae tamen ambae ante copulam extinctae erant: tam arctae affinitati non con-

---

*a*) Anastasius. in Stephano. Marsilius Patavinus. de translat. Imperii. c. 7. et 8. *b*) Orosius. L. 7. c. 24.

conquiescens *Stillico*, quum jam antea praedis intentos Visigothos et Herulos ad Veronam ducentorum millium clade fudisset, Augustos honores in filium suum *Eucherium* transferre statuit, in hunc finem *Godgesillum* Vandalorum regem variis gentibus cinctum *a*) in Germaniam et Galliam immisit; sed mox detecta machimatione, ex mandato Imperatoris, una cum filio *Eucherio* ut perfidus *b*) trucidatus est: quo facto *Honorius* adeo exercitum concitavit, ut 30. millia militum mox ad *Alarici* Visigothorum regis castra transiverint. Interim Vandalorum impetu territi Britanni milites seditiosi, primo *Marcum*, dein *Gratianum*, tandem *Constantinum* militem, quem et *Honorius* in societatem receperat, Imperatorem crearunt. *c*) Franci Trevirim, a Senatore evocati, cujus uxorem *Lucius* rapuerat, occupantes, inde in Celticam et Belgicam progressi, regnum Francicum in Gallia condiderunt, Regemque *Varamundum* constituerunt. Post quae Italiae ruina secuta est, nam *Alaricus* copiis auctus Romam capit, ipsumque *Honorium* Ravennae, ubi residebat, obsedit, cui pace composita concessit, ut ultra Alpes Hispaniam et Galliam, alioquin a Vandalis, Svevis, et Alanis dudum infestas

n 2 occu-

*a*) Isidor. in Chron. Vandal. Zosim. L. 6. *b*) Orosius. L. 7. c. 38. Olympiodorus. ap. Photium. Cod. 80. Zosim. L. 5. *c*) Nicephor. L. 14. c. 5. et 6. Zosim. L. 6. Paul. Diacon. L. 13.

occuparet. *a*) qui demum a Caesareanis profligatus, dum Siciliam adire vellet, prope *Cosenzam* mortuus est; cui *Ataulphus* succedens, in Hispania Vest-Gothicum regnum condidit. Interim et *Radagisius* 200. millia Scytharum in Italiam eo adduxerat voto, ut omnem Romani generis sangvinem Diis suis consecraret; qui tamen auxiliantibus Hunnis et Gothis in eas angustias redactus est, ut captus occideretur, magna pars ejus exercitus periret, alia vero in captivitatem redacta, vilissimarum pecudum more, singulis aureis greges hominum venderentur. *b*) Similiter *Heraclianus* in Africa imperium invadens, an. 413. a *Marino* duce *c*) oppressus est. Atque tali hostili invasione vastum Romanum Imperium barbarorum praeda factum est, et undique dilaceratum in dies minuebatur. Quibus in adjunctis *Honorius* post diuturnum, sed infelix regimen, fatis concessit, an. 423. cujus Symbolum: *male partum, male disperit.*

II. *Valentinianus III.* e *Placidia Honorii* sorore natus, septennis omnia arbitrio matris in occidente administravit, postea adulteriis suis infamis, Imperium multiplici clade debilitavit;

---

*a*) Zosim. L. 6. Augustin. de Civ. Dei. L. 1. c. 6. Orosius. L. 7. c. 39. Jornand. c. 30. Paul. Diac. L. 13. *b*) Orosius. L. 7. c. 37. Zosim. L. 5. Puteanus. Hist. Insubr. L. 1. Paul. Diac. L. 43. Sigonius. de Occid. Imp. L. 10. *c*) Orosius L. 7. c. 42.

vit; mox enim ei Vandali Africam eripuerunt a. 427. *Bonifacii* Africae Gubernatoris *a*) rebellione, unde exortum infelix bellum octo annis duravit. *b*) Sed nec alii barbari quiescebant, *Meroveus* enim rex Francorum trajecto Rheno Galliae partem occupavit; Britannia a Scotis et Pictis, *c*) Belgium a Burgundionibus infestabatur, quibus etsi *Aetius* fortiter resisteret, anno tamen 436. bellum Gothicum in Gallia, *d*) Vandalium in Africa recruduit, ubi capta Carthagine, Vandalis Africam retinentibus, pax confecta est a. 442. Sed Britanni Scotorum depopulationes pertaesi, quum a *Valentiniano* nullum auxilium sperarent, *e*) tandem Saxonibus a. 449. in auxilium evocatis semet subdiderunt. Similiter etiam *Attila* *f*) a. 451. cum ingenti barbarorum numero Germaniam, durante adhuc hyeme inundavit, ubi in spem praedae exercitum ad Septingenta millia colligens, Rhenum transit, et pridie Paschatis *Metensem* Urbem incendit, inde nobilissimis Urbibus in potestatem redactis, solam *Aureliam* Urbem reluctantem habuit, quibus *Aetius* in con-

*a*) Procop. L. 1. de bell. Vand. Nicephor. L. 14. c. 56. *b*) Paul. Diec. L. 14. et Citati. *c*) Beda. Hist. Eccl. Anglor. L. 4. c. 12. seqq. Sigon. c. 12. Paul. Diac. L. 14. *d*) Sigon. L. 12. Procop. L. 1. de bell. Vandal. Victor. Vitensis. L. 1. de Pers. Vandal. *e*) Beda. L. 1. c. 13. seq. *f*) Bisciol. Var. lection. L. 20. c. 11. Jornand. de reb. Goth. c. 34.—36. Paul. Diac. L. 15. Sigon. L. 15.

confoederatione *Theoderici* Gothorum regis, *ejusque* filii *Thorismundi* auxilium afferens, hostem tanta clade affecit, ut et victoria potiretur, et Urbem liberaret. Interim *Attila* cum suo exercitu ad campos *Catalaunicos* recedens, denuo ab hora IX. diei per integram noctem horrenda strage initio victus est, cecideruntque ad Centum Octvaginta millia ex utraque parte, praeter 90000. Gepidarum et Francorum, *a*) qui mutuis vulneribus occubuerunt: insuper *Theodoricus* et *Thorismundus* vulnerati, *Attila* vero profugus prae desperatione rogum sibi struxerat, si quid sinistri accideret. Qua in pugna debellati etiam fuissent Hunni, nisi *Aetius* astute veritus, Hunnis oppressis irruptionem disvasisset. Ceterum his etiam periculis *Attila* haud desiit esse metus orbis et Flagellum Dei; quoniam mox instaurato exercitu, summa crudelitate Italiam vastaret; cujus terrore Veneti, aliique Romanorum nobilissimi perculsi, mox in vicino mari *Rico-alto* refugium quaerentes, Urbem novam *Venetias* nominatam condiderunt. Interim *Attila* praecipuas Italiae civitates succendens, Mediolanum quoque evertit, sed *Romae* occursu *Leonis* Pontificis pepercit. *b*) Post haec *Valentinianus* a.

454.

---

*a*) Jornand. c. 38. — 42. Paul. Diac. L. 15. Niceph. L. 14. c. 57. Baron. ad an. 451. n. 5. seqq. *b*) Puteanus. in Hist. Barbaror. Procop. L. 3. de bell. Vand.

454. Aetium affectati imperii accusatum, instinctu *Maximi* innocenter interficiens, *Anicii Maximi* furorem, cujus Uxorem foeda libidine, per mariti astute missum annulum evocatam violaverat, in se adeo concitavit; *a*) ut brevi a militibus trucidaretur, an. Impeii 30. cui successit:

*Maximus Anicius*, militum potentia et suffragio imperium invadens, ipsam quoque *Valentiniani* Viduam *Eudoxiam* vi sibi uxorem duxit; *b*) cui dum quadam vice fateretur, se ob ejus amorem, *Valentinianum* interfecisse; mox *Eudoxia* in mariti vindictam, alioquin dudum cogitatam exacerbata, a. 455. ex Africa *Genzericum* Vandalum evocabat, *c*) qui etiam cum ingenti classe Italiam appellens, Romam nemine resistente ingressus, 14. dierum spatio diripuit, imo et *Augustam*, cum multis subditorum millibus in captivitatem abducens, in Africam reversus est. Qua in trepidatione, ipse *Maximus* Imperator fugitivus, ab ipsis Civibus lapidibus obrutus, tertio imperii mense vitam finivit. *d*) Cui quidem:

*Avitus* in Gallia *Maximi* Legathus, Gothorum svasu et copiis animatus suffectus, sed infeliciter sequente anno, consentiente Senatu, a *Rici-*

---

*a*) Procop. L. cit. Paul. Diac. L. 15. Niceph. L. 15. c. 41. *b*) Procop. L. 1. de bell. Vand. Evagr. L. 2. c. 7. *c*) Idem. ibid. Paul. Diac. L. 15. *d*) Baron. ad an. 455. n. 2. seq.

*Ricimere* *a*) dejectus est. Cui post decem mensium interregnum successit

*Majorianus Valerius* Ravennae a. 457. a militibus Imperator creatus, *b*) qui jam antea ob victos Francos et Alemannos Magister militiae renunciatus erat, sed et hic quarto regiminis anno a *Ricimere* interfectus est. Ab hoc tempore, ex *Ricimere* militum Magistro, alias homine severo, sors et vita Imperatorum pendebat; nam *Severus* licet a. 461. ab eo ad solium evectus, cum *Genserico*, Alanis et Vandalis felici marte pugnavisset, *c*) tamen quarto anno ejusdem fraude, veneno interfectus est. Demum post 20. mensium interregnum, *d*) a. 467. *Leo* Orientis Imperator, *Anthemio* coronam imposuit, quem *Ricimer* licet filiae suae connubio honoraverit, tamen cum gravi etiam civitatis Romanae clade, anno sexto obtruncavit. *e*) Post quem *Olybrius Ricimeris* cliens Imperator constitutus, *f*) intra paucos menses an. 472. obiit. Cui suffectum *Glycerium*, *g*) anno

---

*a*) Sidon. Apollinar. in Panegyrico. Avito. socero dicato. Paul. Diac. L. 45. 16. Evagr. L. 2. c. 8. *b*) Sidon. Apollin. in Panegyrico, Majorino dicto. Procop. L. 1. de bell. Vandal. *c*) Idacius. et Cassiod. Chron. p. 21. seq. Paul. Diacon. L. 16. *d*) idem. ibid. Theoph. p. 94. *e*) Idacius. cujus Chron. hic desinit. Evag. L. 2. c. 16 Procop. L. 1. de bell. Vand. Niceph. L. 15. c. 11. Paul. Diac. L. 16. *f*) Cassiod. Marcell. p. 44. Jornand. de Getis. c. 45. seq. Evagr. L. 2. c. 16. *g*) Marcell. c. 44. Joruand. de regnorum Successione. 101.

anno sequente *Julius Nepos*, hunc vero *a*) vicissim *Orestes* Patricius in Pannonia natus, et condam *Attilae* scriba, loco deturbavit, qui pro se filium suum *Romulum Augustulum* *b*) Imperatorem nominavit, a quo dum barbari Romanorum mercenarii, tertiam Italiae agrorum partem postulavissent, iidem repulsa accepta, *Odoacrem* Rugum, qui se, quod petebant, daturum promiserat, ad regnum evexerunt, qui mox *Orestem* Ticini captum occidit; *Augustulum* Ravennae purpura exutum in Campaniam relegavit, et Italiam cum provinciarum reliquiis in potestatem suam redegit; a. 476. Atque ita extincta Monarchia occidentalis, deinceps barbaris regibus paruit: cui non tam divisio a *Theodosio M.* facta, quam Principum ignavia, soluta Legionum disciplina, concitati motus interni, mores praecipuarum civitatum luxu, otio, indecorisque spectaculis corrupti, abalienatae oneribus tributorum provinciae, ingruentiumque barbarum impetus, quorum cognati turmatim apud Romanos militantes perfide saepe colludebant, dudum paratam ruinam accelerarunt. Ceterum *Odoacer* brevi in Italia imperium finivit, demum frequentibus Gothorum et aliorum praedis cessit; prout de eversoribus Monarchiae Romanae occidentalis, sequenti capite brevibus agemus.

§. 5.

---

*a*) Marcell. c. 45. Cuspin. Excerpta de Theodorico. p. 662. seq. *b*) Jornand. de reb. Goth. c. 56. Procop. L. 1. de bell. Goth. c. 1. Theoph. c. 102. Paul. Diac. fuse L. 16. Evagr. L. 2. c. 16.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Quamvis Principatus *Honorii* illustribus Poetis uti: *Claudiano*, *Prudentio*, *Sedulio*, et *Paulino* floruerit, *Theodosius* II. autem celeberrimam Academiam Bononiensem a. 443. pro scientiarum cultura instituerit; brevi tamen sub interitum Romani Imperii, ingens barbaries et caligo occidentem, quoad bonas etiam artes, inundavit. Maximam omniumque primam cladem, artibus et scientiis intulerunt barbarae et lingvarum rudes gentes, quae magno numero, sed majori crudelitate se in occidentales provincias effuderunt, quarum gentium furore eversae tunc erant Scholae, incensae bibliothecae, quibus dissipatis scientiarum Cultores necessario bonarum artium officinas claudere cogebantur. Quod Literarum exitium amplius adhuc promovere videbantur Sacerdotes; qui dum a paganis Philosophis, magnis olim affecti fuissent injuriis, nunc tamquam contra infestissimos hostes consurgentes, eorum quoque scripta cujuscunque generis essent, tanquam publicae educationi ac studiosae juventuti noxia proscribere nitebantur: quae causae interitum Literarum nimis accelerarunt. Interim tamen haec aetas, ingeniorum satis ferax, eruditionis nomine claros uti: *Theodoretum*, *Socratem*, *Sozomenum*, *Sidonium Apollinarem*, *a*) Historicos;

---

*a*) Gregor. Turon. L. 2. c. 24. vita Sidonii, ap. Sirmondum. pag. Crit. an. 472. n. 5.

ricos; item *Victorium Aquitanum a*) qui a. 457. cyclum Paschalem annorum 532. edidit, *Vigilium Tapsensem* scriptis contra haereticos clarum. *Victorem Vitensem b*) qui a. 487. de persecutione Vandalica scripsit; demum *Proclum*, *Prosperum Aquitanum*, *Evodium*, *Maximum* Taurinensem Episcopum, inter Gentiles vero *Zosimum*, et *Olympiodorum*, aliosque viros doctos effudit.

---

# Caput V.

*Exhibens brevem Historiam variarum Gentium, quae Romani Imperii Occidentalis Eversores exstiterunt.*

---

I. Ex incultis Germaniae plagis diversae gentes in Romanorum foecundissimas terras depopulationis causa ingruentes, easdem etiam variis

---

*a*) Pag. Crit. an. 463. n, 3. seq. Hist. Liter. de la Franae Tom. 2. p. 424. seq. *b*) Victor. L. 1. c. 1. Ruinart. in praefatione.

riis temporibus cum omni re insederunt. Germaniae autem partem jam *Julius Caesar* noverat, cujus termini, aetate Augusti *Octaviani* inde a Pelago usque ad Albim extendebantur, a quo tempore Germani in diversas provincias seu *Mannias* distributi, primum singillatim quaevis provincia pro se, dein communi etiam exercitu in Romanorum castris pro mercede militabant, unde sensim ex mutua virium cognitione, etiam utriusque gentis bella inter se gesta initium sumserunt; ex quibus cruentissimum erat, ad a. Ch. 166. *Marcomannicum*, *a*) quorum dux *Maroboduus*, in vindictam Germaniae, nationem suam excitans, satis diu Romanis restitit: qui Italiam cum suis percursando, *Marcum* Imp. adeo terruit, ut servos manu mitteret, imo gladiatores et latrones ad militiae supplementa adhiberet; qui tamen in Quadorum finibus angustiis locorum inclusus, fame et siti cum exercitu periisset, nisi Christianorum precibus liberatus, victoriam adeptus fuisset. Similiter Franci in Galliis, Gothi ad Danubium, *b*) Alemanni a. 268. ad lacum *Benacum*, *c*) Saxones vero a. 286. tumultuabantur,

*a*) Vellej Paterc. L. 2. Tacitus L. 2. annal. c. 45. seq. demum Marcomanni et Quadi ope divina. precibus Legionis Christianae, proelio devicti sunt. quod fuse describit, et defendit. Joh. Xiphilinus. L. 71. contra Dion. Cassium. adde Julium Capitol. in Marco. c. 17.—22. seq. Euseb. Hist. Eccl. L. 5. c. 5. *b*) Zosimus. L. 1. *c*) Zosim. L. 1. Aur. Victor. in Epit.

tur, contra quos Romani aggerem longissimum, inde ab Ferrata usque ad *Bingium* construxerunt. Postea tamen Vandalos *Constantinus* Pannoniae; Gothos vero *Valens* Thraciae hospitio excepit. Quorum Germanorum expugnationes, post an. 400. novorum principatuum fundamenta posuerunt sequenti rerum gestarum se se excipientium ordine.

II. *Gothos* non ex Svecia in Germaniam, sed potius ex hac in illam, et primo quidem ex hodierna Borussia et Cassubia, ubi consederant, versus Maeotidem paludem migravisse, *a*) demum aliis Scythicis nationibus mixtos, circa an. Ch. 250. Danubium transeuntes, vicinas terras consedisse, Romanosque supra alias gentes maxime exercuisse, Historicis verisimile videtur: nam *Decio* caeso, mox sequentibus annis, Imperium Romanum, exteris tributarium primo *b*) reddiderunt; demum in Asiam conversi, usque ad Ephesum omnia devastarunt, Trapezuntem, Macedoniam, Thessaliam, Thraciam, Graeciam, imo et Athenas diripuerunt: *c*) donec a. 269. a *Claudio* magna clade attriti, et ultra Haemum retrusi essent; unde iterum ad a. 288. erumpentes, a *Diocletiano* fracti, ultra Danubium recedere cogerentur. Demum *Constantinus M.* pace cum eis

---

*a*) Ammian. Marcell. L. 31. c. 2. seq. Lazius. de migrat. Gentium. L. 10. Jornand. de Get. *b*) Zosim. L. 1. Pomp. Laetus. Comp. Hist. Rom. in Gallo. *c*) Trch. Pollio. in Gallienis. c. 5. et 13.

eis composita, 40. millia Gothorum, semper ad tuendum Imperium parata, et in armis exercitata habere jussit; *a*) quod factum Politices periti, vitio eidem verterunt. *Valens* etiam Imp. in oriente a Gothis, quos an. 376. in Thraciae limites receperat, *b*) multa passus est; quos tamen *Theodosius* M. in ordinem redigens, *c*) eorum regem *Athanaricum* a. 383. magnifico funere honoravit; post cujus interitum Gens Gothica variis mutationibus, multisque expeditionibus clara evasit, sed post multarum regionum diras devastationes subacta, *d*) utcunque quievit, exceptis obsidibus, qui per Asiam, rebellionem concitantes trucidati erant. *e*) Ast Gothi nunquam illustriores extiterunt, quam ad finem seculi quarti, quo tempore dividebantur in *Ost* seu in *Ostrogothos* id est *Orientales*; et in *Vest*, seu *Visigothos* id est *Occidentales*, qui ad initium seculi quinti potentissima regna condiderunt; et quidem *Visigothicum* Regnum in Gallia et Hispania, erat conditum duce *Alarico*, qui licet initio repelleretur, *f*) tamen a. 409. reversus, Romam diu obsidens, tandem cepit, Roma-

---

*a*) Euseb. in vita Constantin. M. L. 3. c. 28. seq. Epist. Const. ad Maccarium. *b*) Zosim. L. 4. Paul. Diac. L. 11. *c*) idem. ibid. Zosim. L. 4. *d*) de Obsidibus Gothor. ap. Zosim. L. 4. *e*) idem. ibid. *f*) Zosim. L. 5. seq. Jornand de Goth. c. 29. seq. Paul. Diac. L. 13. Sigonius. de Imp. Occid. L. 10.

Romanisque Imperatorem *Attalum* constituit; cujus successor *Ataulphus*, a delendo nomine Romano, unice *Placidiae* uxoris illecebris avocatus extitit: *a*) quo duce Gothi relicta Italia, in Galliam irruerunt, ubi a. 417. Vandalos et Alanos magnis cladibus afficientes, *b*) post decem annos in Hispaniam a Vandalis desertam transiverunt: *c*) qui demum a. 451. *Attilam* magna clade auxiliantibus Romanis victum represserunt; *d*) dein post quinque annos Svevis etiam oppressis, stabilem sedem figentes, sensim omnia Hispaniae regna subjugarunt. *e*) Ab hoc tempore *Visigothorum* Regnum in Hispania et Gallia Narbonensi, optimis *Alarici* legibus stabilitum, satis etiam diu a *Theodorico* contra Francorum incursiones *f*) tutatum est, donec a. 531. *Amalarico* rege occiso, Franci fere totam Gothorum potentiam contrivissent; qui ea tempestate, exstincta familia regia, varios deinceps sibi reges elegerunt, *g*) ex quibus *Leovigildus* a. 585. Svevorum regnum in Gallaecia, occiso eorum ultimo rege *Ande-*

*a*) Jornand. de Goth. c. 31. Paul. Diac. L. 13. *b*) idem. ibid. Orosius. L. 7. c. 40. Jornand. c. 31. seq. *c*) Sigebert. Gemblac. an. 424. Isidor. in Chron. Goth. *d*) Jornand. c. 36. *e*) idem. c. 44. Isidor. in Chron. Goth. et in Hist. Svevorum. *f*) Roder Toletanus. Scriptor rerum Hispanicarum. Jornand. de Goth. c. 47. Alaricus Codicem Theodosianum in compendium redigi curavit. *g*) Isid. in Chron. Goth. Gregr. Turonensis. L. 3. c. 19. Rod. Tolet. etc.

*Andeca*, Gothis jure armorum subjecit. *a*) Ceterum crescens Saracenorum potentia Visigothis interitum procuravit; nam Saracenorum Calipha *Walid* an. Ch. 709. duce *Taricho* Hispaniam aggressus, licet maximis praedis reverteretur, tamen post biennium magna gentis suae multitudine irruptionem repetiit, *b*) qua feliciter succedente, interfecto Visigothorum rege *Roderico*, occisisque multis Gothorum millibus, dum tota potiretur Hispania, primo *Cordubae*, dein *Granatae* imperii sedem sibi constituit, an. 713. *c*) Gothorum in Hispania regnum, interitui suo praeparabatur, per *Vitizam* et *Rodericum* reges, qui subditis arma adimendo, provincias Saracenorum irruptionibus aptas effecerunt; a quibus etiam tota Hispania facile sub jugum rapiebatur. *d*) *Pelagius* tamen unus e regia stirpe exul, an. 717. novum regnum in montibus *Asturiae* suscitans, illud felici armorum successu ad posteros propagavit. *e*) *Garsias* a. 724. occupata Urbe *Aynsa*, regni *Suprarbiensis* fundamenta posuit. *Arragones* item an. 780. excusso jugo, duce *Asnar* se in libertatem vindicantes,

---

*a*) Idem. ibid. *b*) Roder. Sanctius. Part. 2. c. 37. Joh. Marianae. L. 6. c. 22. Rod. Tolet. L. 3. c. 19. — 21. ubi magna deploratio calamitatis Gothicae exponitur. *c*) idem. ibid. c. 22. 23. Rod. Sanct. P. 2. c. 37. *d*) Causae interitus. ep. Rod. Tolet. L. 3. c. 18. et Sanctium P. 2. c. 37. *e*) Tolet. L. 4. c. 1. seq. Sanctius. P. 3.

tes, ceteri quoque Gothi antea gravi tributo pressi a. 793. per *Alphonsum* regem eliberati sunt. *a*) Ita collapso Gothorum regno, Franci illustriores evaserunt.

III. *Vandali* trans Rhenum Meklenburgicas et Brandeburgicas terras, ad an. Ch. 406. incolentes, a *Stilicone* evocati, mox cum eorum rege *Godgesillo* variis Gentibus cincto, uti Svevis, Alanis, aliisque barbaris in Germaniam et Galliam irruerunt, et brevi Galliam, Hispaniam, Lusitaniam inter se et socios distribuerunt, *b*) quorum impetum etiam Britanni veriti, mox regnum *Constantino* militi gregario detulerunt. Interim Vandali auctis in Hispania viribus, acceptisque a Gothis cladibus *c*) an. 429. Praefecti invitatu ex Hispania in Africam, una cum *Genzerico* transiverunt; unde *Genzericus* post *Placidiae* etiam reconciliationem, nec muneribus, nec proelio amplius submoveri potuit; imo *Hippona* 16. mensium obsidione expugnata, adeo *Valentinianum* Imp. deterruit, ut pacem iniret, qua tamen barbarus abusus, Carthaginem occupavit, dirripuit, ac regnum Vandalicum in Africa fere centum annorum, sede regni Carthagine posita condidit, *d*)

O an.

*a*) Rod. Toled. L. 4. c. 40. 42. Luc. Marineus. Siculus. L. 8. c. 3. *b*) Orosius. L. 7. c. 37. seq. Isidor. in Chron. Vand. Zosim. L. 6. Sigon. L. 40. de Imp. Occid. *c*) Jornand. c. 34. 32. Orosius. L. 7. c. 4. P. Diac. L. 14. *d*) Victor. Vitens. L. 1. de Persec. Vand. Paul. Diac. L. 14. Precop. L. 1. de bell. Vand. L. 14. c. 46.

an. 439. a quo tempore, ut sunt insatiabiles spes mortalium, multis modis Romanum Imperium vexavit; Africa enim non contentus, in Siciliam trajiciens, an. 450. ipsam Romam captam *a*) afflixit; deincepsque modo hanc, modo aliam Imperii provinciam laceravit; copias item Graecorum saepius fudit; tandem an. 477. moriens, regnum filio *Hunerico* reliquit, *b*) qui eadem, qua pater crudelitate in Orthodoxos saeviit, tandem horenda morte notabilis evasit. *c*) Post cujus mortem, regnum Vandalorum in Africa sub Regibus *Gundabundo*, et *Thrasamundo* satis floruerat verum postquam an. 522. *Hildericus*, qui *Thrasamundo* successerat, *d*) ob male, negligenterque administratum regnum, a *Gilimere* an. 530. incarceraretur, imo frustra pro eo se interponente *Justiniano* Imperatore, etiam occideretur, mox in ejus vindictam ab *Justiniano* in Africam missus est *Belisarius*, qui brevi felici armorum successu regnum Vandalorum subjugando, *e*) ipsum etiam *Gilimerem* regem in Numidiam fugatum, ac in monte *Pappua* diu fame obsessum, captum, Constantinopolim in triumphum duxit, Regnique Vandalici finem imposuit. *f*) Quod regnum

---

*a*) Idem. Evagr. L. 2. c. 7. ab Eudoxia evocatus. *b*) Procop. L. 1. de bell. Vand. Jornand. c. 33. de reb. Goth. Isidor. in Hist. Vandal. *c*) iidem. Evagr. L. 4. c. 14. Victor. vitens. de persec. Vand. *d*) Procop. L. 1. et 2. de bell. Vand. *e*) idem. ibid. Niceph. L. 17. c. 10. *f*) iidem. Paul. Diac. L. 16. Evagr. L. 4. c. 17.

regnum Byzantino Imperio redditum, denuo circa an. 688. Arabes victores occuparunt.

IV. *Burgundiones* a Moeno, una cum aliis Alemannis, Francis, Cattis, Saxonibus, Svevis, Marcomannis, Sarmatis, aliisque gentibus, circa an. 287. Italiam et Galliam infestis agminibus aggressi *a*) fere totam devastarunt, a quo tempore *Burgundiones* amplius Romanis innotescere coeperunt adeo, ut ex familiaritatis ac studii fide, adversus Gothos occiduos saepe Romanis auxilio irent; sic a *Valentiniano* Imp. circa an. 373. evocati, *b*) Galliam ingrediebantur; quibus amicabilis operae praemio, Romani circa an. 413. Galliae quemdam tractum etiam donarunt; quibus non contenti, licet fortiter resistente *Aetio*, circa an. 434. Belgium infestarunt, qua belli fortuna sequente anno *c*) Helvetiae pars eisdem obtigit, usque in penitiorem Sabaudiam protensa, qui etiam terram illam una cum captivis aequaliter diviseruut cum antiquis terrae incolis: a quo tempore eorum Reges, qui *Genevae* sedem fixerant, in Romano exercitu belli duces erant; sed collapso Occidentis imperio, mox sponte se Byzantinorum fiduciarios profitebantur, et Italiae oras populati sunt. *d*) Et licet a Francis circa

o 2 an.

---

*a*) Calvisius, ex Ammiano. Marcell. Eutrop. L. 9. *b*) Ammian. Marcell. L. 28. c. 12. Lazius. de migr. gentium. L. 1. *c*) Prosper. Aquitan. in Chron. Paul. Diac. L. 44. Sigon. L. 42. *d*) Paul. Diac. L. 46.

an. 532. subjugati essent, tamen separata populi instituta constanter retinuerunt; sensimque viribus firmiores, sub *Guelfico* principe ad an. 888. denuo regium solium constituerunt, jure haereditario obtinendum; quod demum ab hujus familia, an. 1032. ad Germanos transivit. Tandem in vicinia Gallorum, potentia *Burgundorum* ad invidendam magnitudinem exsurgens, Austriacae Domui incrementa potenter parabat. *a*)

V. *Anglosaxones.* Barbarorum fortissimi *Saxones b*) circa an. 359. ejectis *Saliis*, Bataviam occuparunt, brevique in fines Romanos irruptionem susceperunt, dudumque excursionibus potissimum maritimis exercitati, allectis etiam in societatem Francis, Hispanicas et Gallicas terras multiplici terrore infestas habuerunt. Angli ab Saxonum gente, videntur non fuisse diversae propaginis; nihil enim *Anglosaxonum* nomen notat, quam Saxonum medios, uti Anglorum Svevicorum intermedios Svevos. Porro *Saxones* ex Germanis celebre nomen sibi eo tempore pararunt, dum an. 449. a. Britannis, contra Scotorum et Pictorum tyrannidem erant evocati, qui etiam ducibus *Hengisto*, et *Horsa* fratribus in Britanniam navi-

---

*a*) Nicol. Vignierii. Chron. rerum. Burgund. et Gallic. Gvil. Paradinus. Annal. Burgund. Jacob. Meyer. Annal. Flandriae L. 15. seq. Zosim. L. 3.
*b*) Ammian. Marcell. L. 28. c. 11.

navigantes, mox adducta majore colonia, hostibus fortiter restiterunt: *a*) imo brevi *Wortiger* Britonum rex, *Hengisti* filia *Angila* in uxorem ducta, ipsis Saxonibus sedes in *Cantio* assignavit. Verum pace hac et amicitia non diu durante, inter Britannos et Saxones graves dissensiones sunt enatae, unde Saxones arma illa, quae contra Scotos tulerunt, in ipsos Britannos converterunt, sed ab iis proelio victi, et an. 456. Britannia expulsi; at majoribus copiis brevi cum furore redeuntes, *b*) commissis variis dopopulationibus et caedibus, Britanos subjugatos ad Valliae montana compulerunt, reliquam vero Insulam in suam potestatem redegerunt: qua occupandi oportunitate usi, complures civitates sparsim instituentes, tandem circa annum 828. cum antiquis Britonum incolis, qui se in Valliam et Britanniam Gallicam prioribus turbidis temporibus receperant, in unam gentem, et unum regnum coaluerunt. — Reliqui autem Saxones, qui in antiqua patria perstiterunt, avita Majorum instituta, quae antiquissimae originis figuram et norman, cum reliquis Germanis communem praeferebant, inde a temporibus *Arminii* usque ad *Witekindum* quam strictissime tuebantur;

*a*) Ven. Beda. in Hist. Eccl. Ang. L. 1. c. 15. Alb. Kranz. de reb. regum Saxon. L. 1. c. 19. *b*) Ven. Beda. Hist. Eccl. Anglor. L. 1. c. 15. Polyd. Vergil. L. 3. et 4. de reb. Anglor. et Insulae divisione.

tur; prout illa nec ipse *Carolus* M. penitus abrogaverat, dum regno suo eosdem additis quibusdam novis legibus devinxisset.

VI. *Heruli*, *Turcilingi*, et *Rugii*, erant Gothi, olim Pomeraniani, Meklenburgum et Livoniam incolebant, et eo tempore, dum variae gentes in ruinam Imperii occidentis excubabant, duce *Odoacro* ipsi Romanorum Stipendiarii in Italia praesto erant; sed communi hac tempestate, reliquorum Germanorum exemplo, quum nudae mercedi amplius acquiescere nollent, sibi quoque terras dari postulabant; quas ubi non obtinuissent, suum Bellidúcem *Odoacrum* Regem proclamarunt an. 476. qui etiam *Romulo* Imperatore mox Urbe sua proscripto, Romanum imperium Occidentale finivit, et Regnum Herulorum in Italia fundavit *a*) cujus quidem potentia brevis, sed satis gloriosa fuit, nam depulso *Augustulo* Italia potitus, *Ravennae* sedem sibi constituit, Regnumque Italiae bonis institutis, sedecim annis haud infeliciter gubernavit; verum odio an metu? contra eum *Zeno* orientis Imperator, *Theodoricum* Gothum Veronensem, quem regem Italiae creaverat, quo ab oriente eum averteret, an. 490. misit, qui etiam *Odoacrum* tribus proe-

*a*) Procop. L. 1. de bell. Goth. Paul. Diac. L. 16. Evagr. L. 2. c. 16. Jornand. de reb. Goth. c. 46. Jornand. de reb. Goth. c. 46. et de regn. success. Lazius. de migr. gentium. L. 12.

proeliis, primo ad *Sontium* fluvium, dein ad *Veronam* (unde Veronensis dictus) tertio vero ad *Abduam* superavit, tandem resistendo impar, post triennalem Ravennae obsidionem pacem cum Gothis inivit; *a*) qui tamen brevi convivio exceptus, quum aequalem Urbis partem promisisset, per Sicarios est interfectus anno 493. qua sua morte, regno etiam Herulorum finem imposuit. *b*)

VII. *Ostrogothi* ad ortum siti, tunc primo Romanis innotuerunt, quum an. 404. *Rhadagaisus*, cum innumerabili Scytharum multitudine ex oriente veniens Italiam aggrederetur, voto facto, se omnem Romani generis sangvinem Diis suis propinaturum, *c*) qui tamen per *Stilliconem* ejusque foederatos, Faesulanorum montium angustiis inclusus, cum magna suorum jactura periit; a quo tempore Ostrogothi captivi, et vilissimarum pecudum modo venditi, potentissimo Hunnorum imperio parebant: donec post *Attilae* mortem se in liberatem asserentes, ex bona Romanorum Imperatorum venia Pannoniam inhabitare coeperunt *d*) sub rege *Theodemiro*, a quo filius *Theodoricus* puer an. 463. *Leoni* Imperatori Orien-

---

*a*) Belli adjuncta refert Procop. L. 1. de bell. Goth. Jornand. c. 57. et de succes. Regn. Paul. Diac. L. 16. Puteanius. in Hist. Barbar. Cassiodor. in Chron. *b*) de morte Odoacris. Procopius, et Paul. Diac. loc. eit. *c*) Orosius. L. 7. c. 27. 37. Paul. Diac. L. 13. *d*) Jornand. de reb. Goth. c. 33.—50.

Orientis obses traditus, omnibusque justis disciplinis Constantinopoli in spem regni educatus, paulopost vero ab ipso *Zenone* Consulatu, imo triumpho et equestri statua honoratus; demum ad exstingvendum *Odoacrum*, sub spe obtinendi Imperii occidentis, in Italiam missus est, *a*) qui etiam feliciter tripplici proelio commisso, ipsum *Odoacrum* deditione captum, proditorie interfecit: quo sublato *Theodoricus* Romae, et Italiae Dominus factus est; qui ad firmandas opes, stabiliendumque sibi novum Italiae regnum, affinitate cum *Ludovico* Franciae rege juncta, (cujus filiam in uxorem duxerat,) Siciliam, vicinasque Italiae insulas, et Dalmatiam ditionis suae fecit. Atque hic Rex primo Barbarus et Arianus, vix alicui Romanorum Imperatorum moderatione, prudentia, liberalitate et justitia cessit; ac proin summa populorum benevolentia ac fide, Italiam pacatam rexit, Regnumque sibi et Genti suae firmum, optimis legibus *b*) ac vicinorum Principum foederibus firmatum, ad posteros jure haereditario transmisit; cumque laudabili ejus virtu-

*a*) Evagrius. L. 3. c. 25. 27. Jornand. de Eoth. c. 57. Paul. Diac. L. 16. Aretinus, L. 1. de bell. Goth. Procop. L. 1. de bell. Goth. *b*) de Theodorici laudibus. vide. sidon. Apollin. L. 1. Epist. 2. et L. 7. Epist. 6. Cassiodor. in Chron. ubi constitutiones Theodorici continentur. Jornand. de reb. Goth. c. 58. Baron. ad an. 485. n. 11. vide et Pauli Scalichii Genealogiam.

virtute regnum Italiae floreret, ornaretque, filiis carens, generum suum *Eutharicum* in consortium regni assumpsit, qui demum *Symmacho* et *Boethio* occiso, regiminis anno 34. mortuus est, *a*) a. Ch. 526. Cujus filia optima *Amalasuntha*, regnum et filii *Athalarici* educationem optime administravit, sed filio ex crapula anno regni octavo mortuo, *b*) an. 534. sceptrum ex metu Gothorum transtulit in *Theodatum*, *Amalafridae* sororis *Theodorici* filium, a quo brevi post ipsa *Amalasuntha* optima regina in exilio occisa est. Ob cujus necem, *Justinianus* Imperator, alioquin recuperandae Italiae cupidissimus, justam belli causam asserens, sine mora ducem suum *Belisarium* cum valido exercitu an. 535. in Siciliam contra Gothos misit *c*) et Siciliam occupavit; quo in periculo Ostrogothi, *Vitigem* vili stirpe natum, sed bello illustrem regem crearunt, qui etiam *Theodato* occiso, Romanis viriliter restitit, Mediolanum

---

*a*) Procop. L. 1. de bell. Goth. Paul. Diac. L. 17. Aimoinus. L. 2. c. 1. de gest. Francor. Nicephor. L. 17. c. 9. Item. Petavius. in Rationar. Tempor. T. III. de success. p. 211. talem seriem Regum Ostrogothorum in Italia exhibet, ab an. 477. usque 535. Odoacro pulso successit Theodoicus, Athalaricus. Theodatus, Vitiges, Theodobaldus, Alaricus, Totilas, Tejas, Narses. *b*) Procop. L. 1. c. 2. seq. bell. Goth. Muratorius. rer. Italicar. T. p. 101. *c*) Procop. L. 1. c. 5. de bell. Goth. Jornand. de Get. c. 60. Marcell. Chron. p. 52.

lanum delevit, ipsamque Romam hostium in potestate existentem diuturna obsidione afflixit; tandem post varias caedes *Vitiges* cum conjuge et Urbe Ravenna a *Belisario* captus, et an. 540. Constantinopolim ductus est. *a*) Qua infelicitate Gothi Veronam quoque amittentes, *Ildibaldum* Visigothum regem elegerunt; quo brevi ex insidiis occiso, regnum *Eraricus* Rugus occupavit, *b*) quo etiam sexto mense caeso, communi Gothorum suffragio *Totilas* prudens eximiisque virtutibus praeditus obtinuit; qui collapsam Gothorum rem, moderatione et fortitudine restituit, Romam recuperavit, imo an. 551. aucta potentia, Siciliam, ipsamque Graeciam classe vastavit; *c*) sed anno sequente a *Narsete* Persa in Thuscia proelio fugatus, et anno regiminis undecimo occisus est. Quem *Tejas* in solio excepit, qui pro honore gentis eximie pugnans, an. 553. in proelio ad *Cumas* aeque a *Narsete d*) occisus est, anno belli 18. ita bellum Gothicum a Narsete confectum, Ostrogothis exitium procuravit, nam et reliquiae Gothorum captae, et Constantinopolim adductae sunt.

VIII.

---

*a*) Procop. L. 2. c. 30. et L. 3. c. 1. Marcell. p. 53. Barbeir. P. 2. §. 184. seq. Jornand. cap. 60. *b*) Procop. L. 3. c. 1. *c*) Procop. L. 3. c. 24. seq. Paul. Diac. L. 17. Aretin. L. 4. de Goth. *d*) Procop. L. 3. et 4. c. — 35. Aretinus. L. 4. Agathias. L. 1. et 3.

VIII. *Longobardi* seu Langobardi, vel a prolixis *barbis*, vel a Celtica gente *Bardorum*, vel a longis, quas gestarunt *frameis*, vocati sunt. Alias erat gens germanica, quae prima vice ex Marchia Brandeburgica in Rugilandiam, seu hodiernam Moraviam migravit. Longobardi defuncto *Theodorico* Ostrogothorum rege, Pannoniam occuparunt, ubi Gepidas, Gothorum gentem, quae Hunnorum jugum excusserat, subegerunt. Non desunt etiam qui Longobardos a mari Balthico advenisse dicunt, duce *Audoino*. Ceterum haec gens circa an. 526. in Pannoniam veniens, ut sibi firmam sedem pararet, *a*) an. 551. duce *Alboino* Gepidas mox in potestatem redegit, *Alboinus* hic ducta uxore *Rosimunda*, occisi Gepidarum regis *Cunimundi* filia, brevi a *Narsete* contra Ostrogothos in Italiam evocatus, suis cum Longobardis, item Saxonibus et Gepidis *b*) aliisque barbaris, Italiam ingressus, felici armorum successu fere totam occupans, *Ticini* post triennialem obsidionem, sede regia sibi constituta, an. 571. Rex Italiae salutatus est: cujus regnum *Longobar-*

---

*a*) De gestis Longobardorum egregie disserit in 6. libris. Winfrid, Warnefridi filius, alias Paulus Diaconus dictus. Item Wolfg. Lazius. L. 12. de migrat. Gentium. Matth. Praetorius. in orbe. Goth. L. 3. c. 5. Warnefrid. L. 1. e. 22. seq. Francis. Foris. Otrokocsius. Hungarus. Part. I. c. 5. §. 23. *b*) Warnefrid. L. 2. c. 5. 6. 7. Paul. Diac. in Contin. Eutropii. L. 18.

*bardicum* in Italia florens duravit usque ad tempora *Caroli M.* seu ad an. 774. a quibus etiam superior Italiae pars *Longobardiae* nomen accepit. Interim quum Longobardorum res maxime in Italia florerent, *Alboinus* dolo uxoris suae *Rosimundae* peremtus est an. 574. seu quarto regni anno, quo *Ticini* sedem posuerat. *a*) Post mortem *Alboini*, vidua regina *Rosimunda* cum thesauris, et adultero suo *Helmiche*, ad Ravennatensem Exarchum *Longinum* fugit, cujus consilio, etiam adultero suo venenum porrexit; qui parte quidem hausta, partem aliam *Helmiches* gladio stricto *Rosimundam* bibere compulit, sicque ambo adulteri dignas acceperunt poenas. *b*) *Longinus* autem omnes thesauros ad *Tiberium* Imp. Constantinopolim misit. Interim Rex electus est *Clephis*, quo post annum occiso, *c*) Anarchia seu interregnum decem annorum, electis XXX. Ducibus, constituebatur; sed post infelicem Gallicam expeditionem an. 586. communi Longobardorum consensu Rex creatus est *Antharis*, qui bellis Romanis felix an. 591. mortuus, succes-

*a*) Gregor. Turon. L. 4 c. 41. Sigebert. et Hermann. Contractus. Verum Paul. Diac. mortem consignat ad an. 572. sed defendi potest, cum vel sine sede Ticini posita. — Seriem Regum Longobardorum, Petavius. Ration. Tempor. Part. III. p. 212. de successione exhibet. *b*) Paul. Diac. alias Warnafred. L. 3. c. 29. *c*) idem. ibid. c. 31. 32. et L. 3. c. 1. — 9.

successorem habuit *Agilulfum*, qui pace cum Gallis composita, *a*) id obtinuit, ut deinceps Longobardi ab annuo tributo immunes essent. Demum Exarcho Ravennatensi varias Urbes eripiens, *b*) anno 616. mortuo successit filius *Adalvaldus*, qui 12. aulae Magnates interficiens, ob crudelitatem una cum matre *Theodelinda* in exilium ire jussus, qua occasione *Ariovaldus* sororem suam in matrimonio habens regnum occupavit, *c*) quem in regno excepit *Rotharis* an. 630. ipse Arianus bellum cum Romanis feliciter gerens, Exarcho Ravennatensi plures Thusciae Urbes eripuit, Leges Longobardicas colligendo, eas continuo observandas scripto mandavit; *d*) ac 16. annis regnans, filium *Rodoaldum*, reliquit, qui anno regni quinto a quodam Longobardo, cujus conjugem violaverat, *e*) occisus est; ac an. 651. regnum obtinuit *Aripertus*, post cujus mortem an. 661. filii ejus inter se de regno contendentes, optimam Regnum occupandi occasionem dederunt *Grimoaldo* Beneventi duci, qui duas Urbes Romanis ereptas solo aequavit. *Petharitus* autem qui a *Grimoaldo* regno pulsus in Gallias confugerat, brevi *Garibaldo Grimoaldi* filio detruso, feliciter solium recuperavit, cui post septem decim annos successit filius *Cunipertus* an. 688.

qui

---

*a*) Idem. ibid. *b*) idem. L. 4. c. 21. *c*) idem. L. 4. c. 43. *d*) Sigebert. ad ann. 630. Sigon. de Regn. Italiae. L. 2. p. 38. Paul. Diac. L. 4. c. 44. *e*) idem. ibid. c. 48.

qui mox ab *Ahasi* Tridenti duce regno deturbatus, ipso tamen anno *Ahasi* in pugna occiso, regnum revindicatum feliciter moderabatur usque an. 700. qui regnum filio *Luitperto* adhuc infanti, sub tutela *Asprandi* reliquit, *a*) sed infans nono regiminis mense a *Ragumberto* Taurinensi duce dejectus, thronum ei dare cogitur. Verum *Ragumberto* post annum defuncto, *Aripertus* filius *Cuniperti* factiose succedens, mox ejectum impuberem *Luitpertum* bello capit, ipso *Asprando* tutore in Bavariam fugiente, cujus uxori et sorori nares et aures abscindi, uni filiorum oculos erui, natu tamen minimum ad patrem mitti, innocentem vero *Luitpertum* Regem oculis orbari jussit; utque se in regno firmaret, Romano Pontifici *Alpes Cottias* donavit. Ast dum ab *Asparando* Bojoariorum auxiliis oppugnaretur, fugamque cum suis thesauris ad Galliae regem moliretur, fluvii Thessini aquis mersus periit; et regnum *Asparandus* obtinuit, cui post tres annos mortuo, an. 713. successit filius *Luitprandus*, qui occiso Graecorum Praeside Ravennatensi, mox Exarchatum, in *Ducatum* mutavit, eique nepotem *Hildebrandum* praefecit, qui paulo post a Venetis Ravennam expugnantibus, captivus abductus est. Interea *Luitprandus* an. 729. Romam cum exercitu properans, eloquentia Pontificis motus Urbe intacta relicta, domum reversus,

---

*a*) Idem. L. 6. c. 17.

versus, dum paulopost intellexisset, quod Pontifex, *Thrasimundum* Spoleti Ducem, a *Luitprandi* partibus deficientem, in asylum recepisset, denuo Romam oppugnandam statuit; qui interim postquam magna gloria regnum 31. annis tenuisset, an. 744. obiit. *a*) Cui successit ejus nepos *Hildebrandus*, post septem menses throno deturbatus, qua tempestate Forojuliensis Dux *Rachis* a Longobardis Rex electus, qui leges et instituta Longobardorum emendavit; cumque *Perusiam* Urbem obsideret, *Zachariae* Pontificis eloquio adeo mutatus est, ut obsidione mox soluta, sexto regiminis anno, una cum uxore *Thesia* et filia, sacrae regulae Divi *Benedicti* nomem daret; regnumque in filium *Aistulphum* consignaret. Hic fines regni sui dilatandi cupidus, post mortem *Zachariae* Pontificis, Ravennam occupans, Orientalium Imperatorum Exarchatui Ravennatensi, qui in Italia 185. annis duraverat, *b*) finem imposuit, an. 752. Qua felicitate elatus, quum Romam vexare non desineret, ipsique *Pontificiae Ditioni* interitum minitaretur, *Stephanus* III. Pont. quoniam nullam spem auxilii ex oriente teneret, *Pipini* Francorum Regis opem imploravit; qui etiam Exarchatum *Aistulpho* ereptum, cum multis aliis Urbibus an. 755. Ec-

clesiae

---

*a*) Paul. Diac. L. 6. c. 21. 35. 58. *b*) Anastas. in Stephano. III. Eutychio ultimo Exarcho, Constantinopolim fugato item Sigon. Regn. Italiae. L. 3. in vita Aistulphi.

clesiae Romanae tradidit, *a*) quod initium est potentiae secularis Romanorum Pontificum. Sequente anno *Aistulphus*, dum feras venaretur, moriens successorem habuit *Desiderium* an. 756. qui agente imprimis Pontifice regnum obtinens, brevi grandis hujus beneficii oblitus, totam Italiam subjugare statuit, compluresque Urbes expugnando, ipsi Romanae Urbi cum copiis imminebat; his rerum adjunctis, an. 772. precibus *Hadriani* Pontificis fatigatus *Carolus M.* Francorum Rex, contra *Desiderium* Longobardorum regem, antea Socerum, in causa Pontificis an. 773. bellum suscepit; qui proelio commisso, Veronam, Paviam, cum tota Longobardia hosti *b*) eripiens, ipsum etiam *Desiderium* Ticini obsessum, ac tota regia cum Stirpe captum, in Gallias abduxit, Longobardorumque regno, an. 774. finem imposuit, et simul fundamenta jecit, ut Imperiale Diadema, occidenti tercentis fere annis antea *Romulo* Augustulo a Gothis ereptum, et a Longobardis sustentatum, denuo restitueretur. Qua occasione *Carolus M.* omnia a Patre donata Pontifici restituit; Romani vero *Carolo* Romam venienti de-

---

*a*) Baron. ad an. 755. Anastas. in Stephano. III. Marsil. Patavinus. de translat. Imperii. c. 7. 8. Contin. Fredeg. c. 121. *b*) Regni Longobardici interitum, et Ticinensem obsidionem, vide ap. Aimoinum. L. 4. c. 69. seq. Eginhard. in vita Caroli. c. 6. Monachus. S. Galli. L. 2. c. 26. Annal. Fuldens. Sigebert. Gembl.

detulerunt Jus Pontificem eligendi, et Apostolicam sedem ordinandi, cum Patriciatus dignitate. *c*)

* *Animadversio.* Allata haec recensio Eversorum Romani imperii in Occidente, est *Ethnographica* et *Chronologica*; verum quum ex interitu istorum regnorum, gentiumque potentia, Regna alia nova ansam repererint exsurgendi, necesse est subjungere etiam *Geographicam* recensionem, ut brevibus pateat, quaenam regna, ex Romani Imperii Occidentalis extremis filamentis, hodie etiam florentissima quaepiam existant in Europa. Sic enim I. *Hispaniam* tenebant Svevi, tum Visigothi, quibus Arabes jugum imposuerunt; qui demum in varios principatus divisi, resumtis viribus, omnes in unam coaluerunt, magnosque Italiae tractus, sed majores sensim Americae ditiones occuparunt. II. *Gallia* primo Visigothos, et horum vicinos Burgundiones, demum Francos habuit dominos. a quibus penitus subacta est. III. *Italia* primo ab Herulis fuit subjugata, dein ab Ostrogothis, inde Byzantinis intermediis; item ab Longobardis, a quibus ad Francos, ab his vero ad Germanos, (ut suis locis videbimus) pervenit praeter Neapolim, quae usque ad Arabum et Normannorum irruptiones, Graecis fuit obnoxia. Venetiae autem a Francis ademtae sunt Byzantinis. IV. *Britannia* decedentibus Romanis, aliquamdiu libera, sed brevi in Anglosaxonum, tum Danorum, demum Normamorum venit potestatem; qui feliciter etiam Valliam et Hiberniam expugnarunt. *Scotia* in hodiernum usque antiqua sua jura couservat. V. *Carthago* in Africa initio a Vandalis et Visigothis, dein a Byzantinis, demum ab Arabibus fuit possessa. VI. *Germania* prout Romanis parere desierat, libertate sua usa est, donec Fran-



*a*) Anastas. Bibliot. p. 109. seq. Eginherd. c. 6. Sigebert. ad an. 773.

ci sensim eam sui juris fecissent, variosque populos uti Alemannos, Burgundiones, Turingos, Frisios, Saxones, et Bojoarios debellassent; sed postquam Germania sui juris regnum constituisset, ac sensim Italiam, magnosque Vinidorum tractus, ut et Burgundiam obtinuisset, imprimis Hanseatico foedere emporiis sibi sociatis, opes et potentiam augere coepit. Licet autem tardius Helvetiam amiserit; in pluribus tamen Europae regnis, hodiedum Germani gubernacula tenent. Romanum igitur Imperium Occidentale Germani funditus dispescuerunt; cui gravia pericula imminebant ab aliis etiam Populis; ex quibus praecipui erant:

IX. *Hunni* ut *Degvinesius a*) existimat, vetustissimas sedes in Mongolia habuerunt, et an. ante Ch. 2057. variis nominibus, tandem sub Familia *Han*, *Hiongnoi* sunt apellati a Sinensibus, in quorum fines saepe incursiones facientes, tandem victi, et eousque tributum solvere compulsi sunt, donec armis avitam libertatem ante Ch. an. 210. revindicassent, quo anno auctor Imperii Hunnici fuit *Theumanus*, quo peremto, ejus filius *Mete* an. ante Ch. 209. regnum adeptus, omnes maris Caspii vicinos populos armis subegit, Sinam vectigalem fecit, Regia vero sede ad fontes *Selengae* posita, titulum *Taniu* seu *Coeli Filii b*) sumsit, quo deinceps omnes Hunnorum Imperatores utebantur; sub eo et forma regiminis, et norma religionis stabi-

---

*a*) Gallus Scriptor, ab a. 1756. — 1758. in IV. Tom. eddit Historiam de Hunnis. Mogol. Tartaris. Turcis ex Sinicis monumentis. *b*) Pray. Diss. praev. de orig. Hunnor. p. 10.

stabilita est. Verum isto, filiisque ejus demortuis, minus feliciter cum Sinensibus bella gesserunt, nam defectiones provinciarum, et intestinae Principum regnatis familiae dissensiones, *Pe* quidam cum australi popularium parte, Sinensium cliens fieri non erubescens, vires et potentiam Hunnorum magnopere labefactarunt. Pars alia Gentis ad Boream libera, aeque a Sinensibus vexata, tandam an. Ch. 93. commisso infeliciter decretorio proelio, quo et ipse *Taniu* ceciderat, consilium patriae relinquendae occasum versus suscepit. *a*) Collapso hunc in modum Hunnorum Asiatico Imperio, alii ad *Orum* fluvium commigrarunt, ubi *Hunni Albi* postea vero a Byzantinis *Euthalitae* sunt vocati; alii Basckiriam insederunt supra mare Caspium ad fontem fluvii *Ural.* Unde dum se satis refecissent, Sinicas provincias incursare et diripere haud cessarunt, donec intermediae regiones an. Ch. 151. Australium Hunnorum occuparentur. Haec natio dein ubi circa an. Ch. 318. a Topajensibus Tartaris nimium premeretur, sedes suas mutare et in Europam transgredi statuit, ut *Digvinesius* opinatur.

Ceterum quidquid causae fuerit, Hunni repente terra sua, quam trans Volgam tenuerant, eggressi, et a Cervo *b*) per paludem Meo-



---

*a*) Pray. Ann. P. I. L. 1. p. 58. *b*) Jornand. de mira Hunnorum origine et progressu in reb. Goth. c. 24. Ammian. Marcell. L. 31. c. 1. Franc. Otrokocsi de orig. Hung. P. I. c. 3.

tidem ducti, anno 374. per strages finitimorum, ad Alanos Tanaim accolentes venerunt, conscriptoque ex centum octo tribubus exercitu, *Balamberis* regis auspicio in Europam transmisere, ac subjugatis pluribus populis, uti et Alanis *a*) aucti, an. 376. in Gothos, qui Daciam veterem, seu hodiernam Moldaviam, Valachiam, Transilvaniam et partem Hungariae incolebant, arma verterunt, quos jam antea religio separabat in Ostrogothos et Visigothos; illi ultra Tyram seu *Barastum* fluvium; hi a Tyra ad Tibiscum habitabant. *Hermanaricus* Ostrogothorum Rex subita ignoti et immanis hostis irruptione turbatus, necem sibi conscivit. *Vithimer* ejus successor saepe profligatus in pugna occubuit; post cujus interitum omnes Ostrogothi qui cum impubere caesi regis filio non aufugerant, *Balamberi* aliisque Hunnorum regibus se tradiderunt. *b*) Similiter et *Athanaricus* Visigothorum rex cum Hunnis pugnans post acceptam cladem intra montes Sarmatarum cum suis residuis se recepit; atque ita magnis Gothorum terris Hunni potiti, in perniciem Romanorum incubuerunt, cumque Pannoniam, aliasque Romanorum provincias victricibus armis pervastassent, a *Theodosio M.* ultra Danubium submoti, strenuam dehinc amicamque eis ope-

---

*a*) Jornand. de reb. Get. c. 24. Ammian. Marc. L. 31. c. 3. *b*) iidem. ibid. et Orosius. L, 7. c. 33.

operam adversus *Maximum* et *Eugenium* Tyrannos navarunt, magnumque ac formidabile Imperium in Pannonia fundarunt. *a*)

*Status Politicus*, *Forma regiminis*, *ac religionis*, *item bella Hunnorum ante Attilae Monarchiam.* Hunni a suo in Europam adventu inter plures reges erant divisi, quorum unus honore et auctoritate praestabat; verum ad externa bella suscipienda aut gerenda nemini collegarum ejus assensu fuisse opus videtur. Ex iis primus *Balimir* regem Gothorum *Vinisarium* defectionem molientem, bello victum occidit. Post hunc *Charaton* memoratur, *b*) sub quo Hunni circa an. 397. a religione Christiana, quam prima vice *c*) per *Theotimum* Scytham susceperant, gloriam apud gentes consecuti sunt. *Charatoni* successit *Uldinus*, quem nonnulli post *Belium*, Ducem tantum fuisse contendunt; ast fuisse Regem, praebuisseque eum egregiam operam *Arcadio* Imperatori contra *Gainam* ducem, patet ex his: *d*) *Gainas Huldis Hunnorum Regis auxiliis victus in Thracia mortem oppetiit*, an. 400. cujus Gothi caput amputatum *Arcadio* Imp. Constantinopolim misit. Similiter et *Stilliconi* in Italia contra *Rhadagaisum*

---

*a*) Musantius. Tabulae. Chron. p. 250. *b*) Pray. ex Olympiodoro. Annal. P. I. p. 80. seq. *c*) Hanzisius. T. 6. Germ. Sacrae. Musantius. Tab. Chron. p. 467. *d*) Zosim. L. 5. c. 18. seq. Socrat. L. 6. e. 6. Sozem. L. 8. c. 4. Chron. Alexandrin. et Marcellus. ad an. 400.

*dagqisum* adfuit. Postea tamen rupto foedere cum orientis Imperatore, Thraciam vastavit. *a*) Inter quae *Alaricus* Gothorum rex ex Graeciae populatione in Pannoniam veniens, Hunnos ad vastandam Italiam stimulavit, qui etiam junctis viribus, cives Romanos fame subactos, magna auri vi pacem emere compulerunt. Posthaec Hunnis praefuit *Mundzuchus*, cujus facta obscura sunt, praeterquam quod *Aëtius* celeberrimus hujus aevi Romanorum dux, sub eo apud Hunnos *b*) obses exstiterit, ac tardius Hunni eo agente, *Joanni* Tyranno contra *Valentinianum* Imp. auxilium incassum miserint; quare etiam Romani offensi, brevi Pannoniam superiorem Hunnis ademerunt. Post eum *Octar* et *Ruas c*) successerunt, prior, an. 428. in expeditione contra Burgundios, ex nimio cibo ruptus vitam posuit. *Ruas* vero postea solus regnans, *Aëtium* ad se venientem non modo liberaliter excepit, sed et copiis adjutum in Italiam remisit; ubi interventu Hunnorum Imperatori reconciliatus est. Hunni ex Italia reversi mox contra orientales arma vertere parabant, eo quod transfugos reddere nollent, et gentes ad Istrum Hunnis obnoxias concitassent; interim *Ruas* inter maximos apparatus, in Thraciae populatione fulmine ictus interiit. Quem

*Atiila*

---

*a*) Fvagrius. L. 3. c. 2. Cedren. in Annal. *b*) Pray. ex Gregor. Turon. Ann. P. I. p. 95. *c*) idem. ibid. p. 100. et 103.

*Attila* cum fratre Bleda *Mundzuchi* filii an. 434. exceperunt; qui primis regiminis annis ut Romanorum amici, *Valentino* III. militantes, Burgundiorum gentem fere deleverunt, et Visigothos pacem ab Romanis petere coegerunt: quo ex tempore ex inito foedere, a Romanis *Attilae* Pannoniae pars ad Savum usque, et stipendium annuum tamquam Duci exercituum Romanorum assignatum est: imo *Theodosius* utrumque Hunnorum regem arctius sibi conciliare cupiens, pristino tributo alterum tantum adjecit. Sed illi his non obstantibus, reperta facile belli causa, an. 441. Romanas provincias invadentes, Thraciam et Illyricum devastantes, *a*) Pannoniam omnem, quam *Valentinianus* nuper tradiderat, an. 442. in suam potestatem redegerunt, imo commisso ad *Chersonesum* proelio, *Theodosium* pacem redimere coegerunt; qua occasione *Attila* Clarissimam Syrmiensem Urbem etiam evertit. Demum *Attila* consortis impatiens, 444. *Bledam* fratrem per insidias sustulit; oppressisque aliis regibus, Hunnos uni sibi parere compulit.

*Attilae Monarchia.* Postquam vires Hunnorum ita conjunctae fuissent, nulla Gens hoc tempore Hunnis potentior exstitit; nam terribilis hic expugnator intra breve tempus, vastum

---

*a*) Zosim. L. 4. et 5. Paul. Diac. L. 15. Franc. Foris Otrokocsi. orig. Hung. P. I. c. 4. Jornand. c. 24. 34. seq. Agath. L. 5. Sigon. L. 12. de Occid. Imp.

stum longe lateque a Danubio usque Oceani insulas, suum dilatavit imperium; Byzantinumque Imperatorem nonnisi clientem suum duceret beneficiarium. Ponti accolis *Ellacum* filium maximum regem dedit. Dein *Theodosium* Imp. quod transfugas repetenti fervidius respondisset, aggressus. an. 447. quidquid Moesia et Thermopylis interjacebat, depopulatus, cum magna hominum strage etiam 70. Urbes evertit; quibus crudelitatibus territus Imperator, mox Legatum *Maximinum* cum conquisitis transfugis, pacis orandae causa ad *Attilam* expedivit; sed simul ad *Attilae* necem Hunnum quemdam *Chrisaphii* Eunuchi instinctu occulte subornavit; quo cognito *Attila* acerbe Imperatori insultat, *Chrisaphium* vero et Legati interpretem sceleris conscium grandi aere mulctat; innocentem vero *Maximinum* humaniter excipit; qua occasione Legationis comes *Priscus* Rhetor et Historicus, indultu *Attilae* ad praecipuas inter Tibiscum et Danubium sitas Hunnorum Urbes venit, *a*) quae aedibus ex ligno affabre constructis ornatae erant. Vidit etiam Regem jus suis dicentem, interfuit et ejus et Reginae convivio, ubi bellica Hunnorum carmina audivit; et praeter lingvam patriam, etiam Gothi-

---

*a*) Notabilia de eo videantur in Prisci fragmentis, inter excerpta Legationum. p. 34. item Nicolai Olahi opus hoc titulo: Attila. Haec collegit etiam Franc. Foris. Otrokocsi. orig. Hung. P. 1. c. 4.

Gothici et Latini sermonis usum iis familiarem fuisse cognovit. Ceterum *Theodosius* alia nobiliore Legatione *Attilam* sibi conciliavit, qua occasione non modo subactam Moesiam illi restituit, sed et pacem servaturum se promisit, modo quotannis bismille et centum aurei libras tributi nomine Byzantini solverent, neque transfugas dehinc reciperent. Post haec *Attila* an. 450. Germania tota occupata, cum furore in Gallias contendit, ut nobilissimas mundi gentes sub jugum mitteret; quo eum imprimis invitabant duorum Francicorum Principum de successione contentiones, item *Honoria Valentiniani* III. soror, quam ei nubere Imperator non patiebatur; nec non *Gensericus* Vandalorum rex. *a*) Contracto itaque ex variis sic subjugatis populis quingentorum millium exercitu Rhenum transiens, an. 451. ad *Aurelianum* venit, ubi *Theodorico* Hispano, *Meroveo* Franco, et *Aëtio* cum Attila confligentibus, utrinque ad 180. mortalium millia una die occubuerunt: *b*) hinc actis spoliis ultro progressus, eodem anno in Campis *Catalaunicis*; hodie Campania, commisso decretorio proelio cum jactura 300. millium debellatus est; *c*) atque sub noctem se in castra retrahens, inde nec postridie in aciem prodire, aut ab legendis caeso-

---

*a*) Jornand. c. 36. Priscus. in excerp. Legat. p. 39. *b*) Gregor. Turon. L. 2. c. 6. 7. Musansius. Tab. Chron. p. 273. *c*) Idacius. Ch. p. 25.

caesorum spoliis *Aëtium* prohibere ausus est; imo Galliam in loca, per quae ibat, saeviendo relinquens, *Trecensem* Urbem praetergressus, a S. *Lupo* loci Episcopo exoratus, quem ad Rhenum usque comitem sumsit. Recollecto autem domi exercitu, sequente anno, per Illyrici et Dalmatiae ruinas, indefensam ab *Aëtio* Italiam adibat, in qua *Aquilejam* vi captam cum aliis multis evertit; cujus furore territi Adriatici maris accolae, desertis suis domiciliis, in vicinas maris insulas confugerunt, ubi tutam et commercio aptam sedem nacti, celeberrimae *Venetiarum* Urbis ac Reipublicae prima fundamenta posuerunt. Hoc tempore *Attila* novum hunc sibi sumsit titulum: *Attila filius Mundzich, cognatus Magni Hembroth, natus Engaddi, Dei gratia Hunnorum, Medorum, Gothorum et Danorum Rex, Mundi terror, et Flagellum Dei.* Qui dum Mediolanum, Ticinum, aliasque florentissimas Urbes evertisset, signa victoriae ad Romam expilandam convertit an. 452. ubi S. *Leonis* Pontificis precibus lenitus, promissa pace *a*) Italia excessit, et in Pannoniam remeans, anno sequente *b*) a belli laboribus ad voluptatem traductus, quum nuptias celebraret, ipsa prima nuptiarum nocte, sangvine e naribus in fauces illapso, an. 454. suffoca-

*a*) Priscus. loc. cit. Jornand. c. 42. Paul. Diac. L. 45. Thom. Aquileg. de bell. Attilae. Lib. 4. *b*) Jorn. c. 49. Prosper. et Cassiod. in Chron.

suffocatus, vel ut quidam putant *a*) ab ipsa sua sponsa occisus, a suis vero honorifice in tumba aurea, argentea, ferro cooperta, cum aliis preciosis ornamentis sepultus est, relinquens tres filios: *Ellacum*, *Dengesichum*, et *Irnachum;* quos fratres, *Attila* exstincto, discordiae adeo sejunxerunt, ut vastissimum Hunnorum regnum mox corrueret ita, ut primo Gepidis, dein Gothis aliisque deficientibus, *Attilae* filiis vix parva regna relinquerentur. *b*)

*Interitus Hunnorum.* *Attila* exstincto major ejus filius *Ellacus*, dudum successor designatus regnum obtinere debuisset, sed fratres prava dominandi cupiditate flagrantes, aequaliter singulos populos dividendos intendebant, quo ex nisu perniciale inter eos exarsit bellum, quod pluribus populis oportunum deficiendi tempus praebuit. Concitator rebellium erat *Ardaricus* Gepidarum rex, a quo victis in Pannonia Hunnis, Gepidae libertatem capessunt, *Ellaco* vero, qui fortissime dimicaverat, occiso, alii *Attilae* filii cum popularibus suis fugere compulsi sunt; qua tempestate Daciam mox occuparunt Gepidae, Pannoniam vero *Marcianus* Imp. Ostrogothis ab ortu effusis concessit. Hunnorum vero multi, ejusdem Imperatoris bona venia, aut sua industria *c*) sparsim in provinciis

*a*) Jornand. ibid. Theoph. p. 93. Chron. Alexand. Marcell. in Chron. *b*) Priscus. loc. cit. Turocz. P. 1. c. 24. Franc. Foris. Otrokocsi. P. 1. c. 4. §. 20. seq. *c*) Jornand. c. 50. Priscus. in Excerpt. Legat. p. 44.

ciis Romanis considentes, alii vero libertatis amantiores, ad proximas Ponto regiones se contulerunt. Quod vero in Chronicis nostris scriptum est: nempe tria millia virorum ex iis in Transilvaniam hodiernam in Campo Czegledíensi, (unde tardius ab Hungaris in Transilvaniam sunt transpositi) permansisse, seque *Siculos* ex hostium metu appellare coepisse, nemo veterum Auctorum memorat. Demum nec *Siculi* Transilvaniae, *Timonis* judicio sunt Hunnorum reliquiae, sed nativa Hungarorum pars, quae peculiare *Siculorum* nomen a custodia limitis obtinuit; sicut illi, qui quondam contra Moraviam excubabant, Hungari sunt vocati. Postmodum a filiis *Attilae* Asiam minorem considentibus, initio pluribus, demum ab uno *Dengesicho* Gothis in Pannonia bellum illatum est, sed eventu infelici, ideo *Dengesich* alibi se rem melius gesturum sperans, in Romanos fines irruit, sed ab *Anacasto Leonis* I. duce an. 468. interfectus est. Post haec Hunni ad Pontum, in *Uturguros* et *Cuturguros* fuerunt divisi, priores trans Meotidem, hi vero citra eam paludem habitabant, usque ad *Tanapri* seu *Boristheni* fluenta, quem tractum terrae, sua lingva, ut *Jornandes* ait, *Hunnivár* appellarunt. Quorum multis excursionibus in Thraciam et Illyricum exacerbatus *Justiniánus I.* sibi Uturguros donis devinxit, ac brevi inter utrosque atrox bellum concitavit, quos demum intestinis cladibus attritos, levi negotio *Avares* supervenientes sibi subjecerunt.

X. *A v a r e s* ut *Degvinesius* putat, a Sinensibus *Geugeni*, ab aliis improprie *Hunni* dicti, primo et gentili nomine *Varchonitae*, Turcis in ulteriore Asia paruerunt; ex quorum servitute ad viciniam Caucasi (ubi populus *Avar* et hodie superesse dicitur) sunt delati. Avarorum mentionem *Priscus* primo facit ad an. Ch. 457. *Theophanes* autem *a*) ad an. 515. de iis dicit: Hunni per portas Caspias egressi late per Asiam, usque Lycaoniam strages dedere. *b*) Imo cum *Justiniano I.* foedere inito an. 557 finitimos aliquot Hunnicos populos Romanis infestos, ejus impulsu domuerunt. Verum pactis non contenti, an. 559. duce *Zaberga* *c*) Istrum hyeme transgressi Macedoniam et Graeciam ipsam misere populati sunt, donec a *Belisario* sene victi, accepta tamen pecunia semet retraxissent. Interim Hunnorum reliquiis aucti *Avares*, aliam legationem ad Imperatorem mittunt, ut munera consveta, et alia quaepiam obtinerent, sed quum legati ejus diutius detinerentur, offensi, quum intellexissent *Justiniano* mortuo, *Justinum* successisse, mox aliam legationem ad eum quoque adornarunt, *d*) ut eos tanquam paternos amicos ipse quoque praestando annuo tributo reciperet; sed

*a*) Pay. 138. Cedren. in Annal. *b*) Paul Nagy Hist. Pragmat. Hungariae. Edit. secundae. T. I. p. 69. fusius legatur. *c*) Agathias prolixe. L. 5. Theoph. p. 198. *d*) Menander. p. 102. Stritter. de Avaricis. c. 2. §. 11.

sed nunc repudiata Avarorum amicitia, brevi gravissima damna Romanae reipublicae induxit. *a*) His enim in adjunctis Avares in Europam, quae a Turcis longius aberat, profecti, sublatis, aut sibi sociatis in itinere Uturguris, Cuturguris, Bulgaris, Slavis et aliis, duce *Cagano* ad Istrum venientes, fraudulenter a *Tiberio* Imp. fabros expetierunt, *b*) per quos ponte facto Istrum transierunt an. 578. et Sirmium occuparunt, ubi inita, cum Longobardis Pannoniam incolentibus belli societate, eosdem in evertendis Gepidis, qui Daciam incolebant, adjuverunt, eversumque in Dacia Gepidicum regnum, Avares ex foedere sui juris fecerunt; quibus demum Longobardi in Italiam transeuntes, etiam immane et vastum Pannoniae solum adjecerunt. Ab hoc tempore multis deinde annis Byzantinos et Francos, imo et amicos Longobardos populationibus vexabant, quibus modis adeo celeriter eorum Imperium crevit, ut a Tanai ad occiduum limitem Bohemiae, eo ab ostio Savi, atque Dalmatia, quam totam maritimis locis exceptis, *Mauritio* Imperatori ademerant, ad Anasum usque fluvium porrigeret. — Ab hoc tempore *Caganus*, in Francia ditiones transrhenanas infestans, licet per *Sigebertum*

---

*a*) Joan. Biclariensis Abbas. ad an. Justini. X. et Tiberii. *b*) Franc. Foris. orig. Hung. omnia Avarum facta, circa haec tempora, ex Menandro Protectore ac aliis fuse refert. L. 1. c: 5. toto. Item Zonaras. in Tiberii rebus.

*bertum* regem ad Albim victus fuerit, non tamen ei prius pacem, quam numerata pecunia, concessit. An. 595. *Gisulphum a*) Forojuliensem Ducem profligavit et occidit, ejusque viduam *Romildam* memorabili supplicio sustulit. Inde in orientem reversus, an. 599. *Mauritium* Imp. ob denegatum solitum 80. millium aureorum tributum vexavit, *b*) qua tempestate innumeros captivos jugulari jussit, quod eos Imperator vili licet pretio viritim dimidio numo redimere noluerit. Iterim extortis supra stipendium 20. millibus aureorum, pacem ea lege composuit, ut utriusque regni limes Danubius esset, qua tamen brevi interturbata, non nisi an. 615. per *Heraclium* bellum Persis meditantem, muneribus placati, *c*) brevi tamen a Persis incitati an. 626. Constantinopolim obsederunt, unde cum magna suorum jactura reversi, tandem sub *Constantino* amicitiam cum Romanis iniverunt tantam, *d*) ut *Justinianus* II. *Chagani* sororem *Theodoram*, *Leo* vero Imp. *Chagani* filiam *Eirenem* pro filio suo *Constantino Copronimo* in uxorem sociaret. Unde patet ad an. 732. Avarorum principem haud vilipensum fuisse apud Imperatorem, quod ipsum et

*a*) De Gisulpho, et circumstantiis, lege Paul. Warnafred. de gest. Longob. L. 2. c. 9. et L. 4. c. 38. *b*) Musantius. Tab. Chron. p. 287. Theophylact. L. 7. c. 13. *c*) Niceph. Const. in Brev. p. 10. Zonar. L. 14. c. 15. *d*) Theophan. p. 296. et L. 24. c. 28. Petavius. de Apparat. Hist. Byzant.

et Longobardorum rex *Luitprandus a*) agnovit, qui maxima semper cura Avarum pacem custodiebat. Ceterum ab hoc tempore vix aliqua Avarorum fit mentio in Historiis, usque ad *Carolum M.* qui omnium memorabile contra Avares an. 791. suscepit bellum, *b*) cujus causam statuunt: antiquam Avarorum feritatem, immanitatem et libidinem in Bojos et Francos exercitam; prout et propagandae Religionis Christianae studium; item prout gens inquieta *c*) a *Thassilone* Bojo erat excitata, et in Germaniam irruens, ubi ad Anisum et Arrabonem variis cladibus a *Carolo M.* frangebatur; donec rex Avarum *Thudunus* an. 795. Christiana fide suscepta, se suaque *Carolo* submitteret. Quo tempore alii Avares domi seditionem moventes *Caganum* suum occiderunt. Quas turbas Franci in rem suam vertentes, mox in Pannoniam irruentes, proelio commisso non modo dissentientes Avares profligarunt, sed et omnibus eorum rebus potiti sunt. *d*) Qua calamitate alii in orientem profecti, alii vero in dominatum Francorum transeuntes, Dynastas Praefectis subjectos

*a*) Paul. Diac. de gest. Longob. L. 6. c. 53. Baron. ad ann. 744. n. 21. *b*) Monach. Engolism in vita Caroli M. item Pithean. ad an. 791. Musantius. Tab. Chron. p. 305. *c*) Bonfin rer. Hung. Dec. L. 9. Eginhard. in vita Caroli. Aimoin. L. 4. c. 88. seq. Aventinus accuratis, sine Ann. Boicor. L. 1. Franc. Otrokocsi. orig. Hung. 1. c. 5. *d*) Eginhard. in vita Caroli.

jectos acceperunt; qualis fuit *Thudunus* supra nominatus, qui nunc a fide jurata et religione deflectens, supplicio affectus est. *a*) Cui successit *Theodorus* jam Christianus, qui dum a Slavis saepius infestaretur, a *Carolo M.* terram inter Carnuntum et Sabariam sibi et populo dari petiit et obtinuit. Cui successit *Ab'rahamus*, quem *Carolus* in ditione non modo confirmavit, sed et antiquo *Cagani* titulo uti permisit; qui, ejusque successores etiam post obitum *Caroli M.* constanter fidem servaverunt; prout etiam an. 822. eorum Princeps *Tutundus* Legationem ad Imperatorem misisse legitur. *b*) Ex quibus patet: Hunnos seu Avares iterum fiduciarios factos fuisse, donec tertium agmen Hunnorum, sub nomine Hungarorum in Pannoniam advenisset: de quibus suo loco agemus. — Illi vero Avares, qui nuper in orientem secesserant, a Bulgaris penitus sublati et deleti sunt, ut *Suidas c*) testatur.

XI. *Chazari* Turcica natio, quae ab occidentali maris Caspii ora circa an. 680. profecta, vicinam Bosporo Cimmerio Asiae regionem, et Chersonesum Tauricam, cum adjacente ei Peninsulae ad boream plaga occupavit,

q rege-

---

*a*) Ann. Francor. ad an. 796. *b*) Ann. Ratisbon. ad an. 805. ap. Hanzisium. T. 1. in vita Ludov. Pii. Baron. ad an. 824. *c*) Eulog. Hist. de reb. Byzant. ap. Stritter. de Avaricis. c. 14. §. 161. ad an. 814 — 820. Paul. Nagy. Hist. Prag. Hung. Edit. secunda. T. 1. p. 75.

regebatur a *Chaganis*, qui jure haereditario successisse videntur. Gens haec brevi victricibus armis potens et terribilis evasit; nam dum *Justinianus II. Leontio* et *Absimaro a*) misere peremtis, imperium recuperasset, et, ut ingratus, Bulgaros armis aggrederetur, sed infeliciter, tunc in Chersonesi incolas, quod sibi in exilio insidias struxissent, principibus crudeliter assatis, et 70. millibus puerorum submersis, saeviit: cujus horrenda crudelitate Chersonenses Chazari commoti, auxilio Bulgarorum classe ejus victa, eum throno deturbarunt, et Imperatorem *Philippicum Bardanem* cxercitui approbatum crearunt. *b*) circa an. 712. Quae celebris gens etiam circa annum 889. dum Hungari in Pannoniam eggrederentur, potentiam suam servavit, *c*) regnumque sub nomine Chazariae constituit. Gens haec seculo IX. opera S. *Cyrilli* Christianis sacris ex aliqua parte initiata est.

XII. *Bulgari* quos Graeci Scriptores modo Hunnorum nomine, sed temere, modo junctis duobus vocabulis *Unnoguros* vel *Onogunduros* appellant. Hos ab extremis septemtrionis plagis irrumpentes, *Anastasius Dicorus* circa an. 499. tamquam ignotam antea gentem

*a*)

---

*a*) In Chersoneso inde ap. Chazaros, refert Niceph. Const. in Brev. Hist. Miscell. L. 20. Cedren. Const. Manasses. in Ann. *b*) de horrenda Crudelitate vide citatos. *c*) Constant. Porphyrogen. de adm. Imp. c. 38.

*a*) suis cladibus cognoscere didicit, eosque, persoluta pecunia, ut redirent, permovit. Sed brevi denuo a Meotide et Tanai excurrentes, Moesiam et Thraciam incursare coeperunt; imo an. 502. in occidentem versi, Sirmium occuparunt *b*) belloque *Theodorici* Gothi excipiebantur. Iidem a. 539. Moesiam tentarunt, *c*) unde vix a *Justiniano* repulsi, denuo eam an. 569. repetentes, iterum a *Tiberio* pulsi sunt. Postea an. 583. ab Avaris subacti, quum aliquamdiu patienter servitutem tulissent, *Cubrati* principis sui defectione, an. 634. libertatem recuperarunt, quem *Heraclius* Imp. in amicitiam receptum, Patricium nominavit. Mortuo autem *Cubrato* ad an. 667. quinque ejus filii populum inter se partiti sunt; ex quibus duo cum popularibus suis ad Tanaim se recipientes, ibidem sensim propagati, *Magnae Bulgariae* regnum ad *Volgam* et *Kamam* fluvios, cum probabilitate condiderunt. Ex aliis autem tribus fratribus unus in Pannoniam ad Avares, alter in Italiam ad Longobardos se recepit, tertius vero *Asparuch* supra ostia Danubii consedit, repertasque ad Varnam septem Tribus Slavorum vectigales sibi fecit. Successive autem etiam Byzantinis utramque Moesiam adimens, *Bulgariam* nobis vicinam condidit, quae a quibusdam



*a*) Marcellin. Comes in Chron. *b*) Cassiodorus in Annal. *c*) Cedrenus in Annal. ad an. 539. Joh. Biclariensis in Chron.

Scriptoribus *Bulgaria minor* aut *nigra* vocari coepit. Hi Bulgari saepe Imperium Graecum infestantes, ab ipso Constantino Pogonato, annuum tributum extorserunt, *a*) adversus quos primo *Justinianus II.* an. 690. feliciter bellavit, sed illi sequenti iterum seculo variis irruptionibus imperium affligebant, ingentiaque mala inferebant, signanter an. 809. non modo magnas *Nicephoro* Imperatori dederunt clades, sed insuper eum cum omni sua familia trucidarunt, *b*) prout an. 813. etiam *Michaelem Curopalatem* magno proelio fuderunt, *c*) ipsam Urbem obsederunt, et provincias vastarunt. Similiter etiam *Constantinus VII. Porphyr.* multa mala a Bulgaris *d*) tolerare debuit. Quorum vires tandem contrivit *Basilius Porphyrogenitus*, qui Imperium a Bulgarorum furore strenue defendens, post varias clades terris eorum illatas, an. 1013. quindecim millia captivorum excoecata tristi spectaculo *e*) singulis Centuriis duce monoculo praefecto, remisit, ac post insignes victorias an. 1017. totam Bulgariam captam, sub jugum misit, occisoque eorum duce, thesauros regni militibus distribuit. Verum Bulgari an. 1040. rebellantes,

*Petro*

---

*a*) Niceph. Constant. *b*) In Macedonia. Miscell. L. 24. Cedrenus ait: a Crumo rege desparabundo occisum esse. *c*) ab eodem Crumo rege victus regno abdicavit. refert. Joh. Scylizes. *d*) Curopalates. Cedrenus. ad an. 921. 924. 928. *e*) Curopalates. Cedrenus. Zonaras. Const. Manasses. et alii referunt.

*Petro* duce non modo jugum excusserunt, sed insuper *a*) *Michaelem Paphlagonem* praelio superantes, multas provincias occuparunt, quorum tamen terras brevi Patzinacitae pari fervore depopulati sunt. Ceterum Bulgari adhuc an. 1333. Imperio Graeco formidabiles erant, nam *Andronicum* Juniorem temere illis bellum inferentem, ingenti clade *b*) affecerunt ad *Niceam*. Interim Infestissimi Bulgari etiam Hungariam ejusque provincias variis irruptionibus vexabant jam ad an. 1270. et prius, quos *Stephanus V.* Hungariae rex patre adhuc *Bela IV.* vivente ut Schismaticos, Serviae et Hungariae populationibus infestos, magna clade afficiendo sibi subjugavit; primusque e Regibus Hungariae, titulo *Regis Bulgariae* uti coepit. Ast post Varias Turcorum irruptiones, Bulgaria modo Hungaros, modo Turcas dominos habuit; donec vi pacis Passaroviciensis an. 1718 *Carolo III.* Hungariae regi fuisset asserta cum parte Serviae, cis Aluta Valachia, item Bosniae et Croatiae parte. Sed quum Hungari magna clade fuissent caesi sub eodem *Carolo* an. 1739. pax cum Turcis, diris conditionibus erat ineunda, qua videlicet omnia per pacem Passaroviciensem *c*) obtenta, praeter Banatum Tömö-

---

*a*) Curopalat. Cedrenus. Zonaras. horrenda damna illata fuisse dicunt. Item Constant. Porphyr. de adm. Imp. c. 2. — 8. *b*) Niceph Gregor. L. 9. *c*) Heberlin. Hist. Pollt. sec. 18. Pray. Hist. Regn. Hung. T. 3. p. 531. seq. Paul Nagy. Pragm. Hungar. T. 2. p. 345. edit. secunda.

Tömösiensem Turcis concedebantur. Ac proin Bulgaria hodie etiam in potestate Turcorum est: quam Catholici, Mahometani, et Schismatici incolunt; et jam olim cum vicinis Slavis permixti, sensim in habitum, lingvam et mores eorum degenerarunt.

XIII. *Slavi* olim ut *Jornandes* dicit, in *Venedorum*, *Antarum*, et *Slavinorum* nomina erant divisi; quorum majores non abs fundamento passim statuuntur *Sarmatae*, qui in Europam venientes, a variis vicinis etiam *Roxolani*, aut *Jazyges* erant nominati, a quibus *Pannonii*, et *Illyrii* descenderunt, qui et Slavi generatim dicebantur; Quorum progenitores Sarmatae ad initium seculi secundi in Dacia variis Romanorum bellis, celebre nomen et imperium parare nitebantur sub rege *Decebalo* fines Romanos vexante, demum post initam pacem rebellante, *a*) qui tandem an. Ch. 105. a *Trajano* Imp. victus et ad spontaneam caedem adactus, totam suam gentem Romanorum jugo submisit, qua calamitate etiam Urbs Sarmatarum celeberrima et totius orbis maxima *Sarmizegethusa* capta et eversa est, (quae probabilius sita erat in moderna Transilvania, ad hodiernam *Albam Juliam*) quam tamen ipse *Trajanus* restauravit, et *Coloniam Ulpiam Trájanam*

---

*a*) Xiphilin. L. 60. Dionys. Cassius. Sect. 1. §. 1. Stephan. Zamoscius. in Analect. Antiquitatum Dacicarum.

*nam* appellavit. Ceterum in hac communi Sarmatarum dispersione, multi sub nomine *Slavorum* sedes suas ultra Vistulam, et Carpatum montem posuere, ubi seculo IV. ab *Harmanarico* Gotho subacti, demum Hunnis paruerunt. Quorum imperio postmodum collapso, pars quaepiam Slavorum ad imam Danubii oram penetravit, crebrasque in Byzantinorum provincias incursiones fecit sub *Justino*, sub *Justiniano* I. totam Graeciam devastavit, *a*) qua armorum victoria elati Slavi, tamquam gloriosa natio Scythica, emiserunt e sinu suo duos fratres Principes *Lechum* nempe et *Czechum*, ex quibus *Lechus* Quadorum terram, seu *Silesiam* et *Majorem Poloniam* occupavit, *Czechus* vero *Moraviam* et *Bohemiam* an. Ch. 550. consedit. Pars alia Slavorum, jugum Avarorum subire compulsa, brevi ab iis, alii partem Pannoniae, alii vero Noricum Mediterraneum (quod ab novis incolis *Carentanum* dictum est,) acceperunt. Ceterum Slavini generis multitudo, partim in avito trans Carpatum solo persistebat, partim ad septemtrionem inter Fennicos populos, vel citra Vistulam ad occasum vel austrum paulatim per devastatas Germanorum migrationibus terras se se diffundebat; unde et Russorum majores, regionem a *Kiovia* ad Novogardiam magnam consederunt. Ultra hanc sedes

---

*a*) Cromerus. L. 1. Hist. Polon. Sabell. in Hist. et Joannes Laëtus. Comp. Hist. Univ. p. 159. seq.

des posuerunt *Sorabi*, et a tergo istorum *Vilsi*, Pannoniae vero partem *Obotriti* obsederunt; quorum auxiliis *Carolus M.* contra Saxones usus erat. Porro a borealibus illis Slavis, *Croatae* et *Servii* in Dalmatiam, *Heraclio* imperante circa an. 610. — 641. venerunt. Antiqua enim Patria Croatarum teste *Constantino Porphyrogenito* erat Magna seu Alta *Crobatia* ub *Ottone* M. subacta et baptismi expers, sita ad fines Germaniae, ultra Turciam seu Hungariam, et a mare Nigro 30. dierum sejuncta; qua geographica descriptione manifeste Bohemia cum vicinis Poloniae plagis designatur. Unde pars quaedam populi, cui quinque fratres et duae sorores praeerant, ex ignotis causis eggressa, *Heraclii* Imp. indultu Dalmatiam intravit, et prioribus accolis inde pulsis aut subactis, hodiernae *Croatiae* fundamenta jecit. — *Servii*, qui se ipsos *Serblos* vocant a *Serblis albis* ut *Porphyrogenitus* tradit, *a*) oriundi sunt ex vicina Germaniae et Crobatiae Magnae terra quam in Misnia hodierna et Lusatia collocandam situs et ejusdem nominis incolae regionum earum indicant. Hic Principatum duo fratres tenebant, quorum unus mediam populi partem domo educens, ab *Haeraclio* Imp. terram sibi et suis dari petiit, et etiam

*a*) Johan. Gotthilf. Stritter. Memoriae populorum, olim ad Danubium, Pontum Euxinum, et Paludem Meotidem incolentium. T. II. de Slavicis. Servicis. etc.

etiam ad Thessalonicam obtinuit, demum ea deserta, in Dalmatiae regione, quae ab Avaris devastata, neque a Croatis insessa erat collocavit; ubi postea in Servios proprie dictos, Rascios et Bosnios divisi erant. De his et aliis Slavicae originis populis lege *Stritterum.* *a*) Nunc vero prosequamur res Slavorum illorum, qui cum Avaribus societatem iniverunt.

*Pannoniam* Romanorum fertilissimum agrum seculo VI. etiam Slavi, Istrum an. 550. transgressi, *b*) turbabant; qui jam prius Graeciam et Thraciam misere vastantes, nunc vero cum Avaribus arma jungentes, terram *c*) inter Savum et Dravum uno impetu occuparunt, quae regio hodie etiam *Slavonia* vocatur. Hic Slavi successive Graecorum fiduciarii evasisse videntur, quoniam *Justinianus* II. post Slavorum defectionem, an. 690. magna clade victus fuit; ab hoc tempore multis modis infesti erant Graecis, donec *Constantinus Copronimus* an. 758. eos Romanis provinciis *d*) expelleret, quod ipsum etiam *Irene* post Thessaliam et Pelopon-

*a*) T. II. ubi Slavica, Servica, Crovatica, Zachlumica, Terbunica, Paganica, Diocleica, Moravica, Bosnica, Bulgarica, Valachica, Russica, Polonica, Lithvanica, Prussica, Saxonica, Permica, et Bohemica sunt. *b*) Slavini dicuntur a Procopio. L. 3. de bel. Goth. *c*) Menand. Protect. in in Excerp: Legat. Simocatta. L. 1. c. 7. Helmoldus. Presbyter. scripsit Chron. Slavorum a Caroli M. tempore. L. 1. c. 4. Cluver. Germ. ant. L. 3. c. 44. *d*) Miscell. Graecor. L. 22. Niceph.

loponnesum vastatas *a*) fecit. *Carolus M.* autem an. 805. fractis in Bohemia Slavis, *b*) mox sequentibus annis contra eosdem, Sorabos item et Danos *c*) limites imperii munitis Urbibus firmabat; quibus tamen non obstantibus magna ex parte Imperium occidentale infestabant Slavi, qui post continuas in Saxoniam aliasque Germaniae provincias irruptiones, *d*) tandem a *Ludovico Germanico* 869. multiplici clade atriti, etiam ejusdem *Ludovici* opera ad religionem Christianam per *Methodium* *e*) erant conversi una cum Bohemis et Dalmatis. Porro Slavorum Princeps *Zwentiboldus* an. 870. celeberrimus evasit, qui gravibus excursionibus Imperatores Romanos exercuit, qui ut ab inferendis injuriis abstineret, an. 890. ab *Arnulpho* Imp. Rex Bohemiae est renunciatus, qui tamen denuo rebellis, Hungarorum viribus punitus est, qui ex desperatione *f*) monachum induens obiit. Postea etiam Slavi rebelles an. 925. ab *Henrico Aucupe* ad Albim, post tres annos autem ad mare Balticum irruentes horribili clade affecti sunt ad 120. millia. *g*) Post cladem autem

*a*) Miscell. L. 23. *b*) Rhegino Prumensis. ad an. 805. ubi etiam Lezo Dux occisus est. *c*) idem. *d*) Helmold. in Chron. Slav. Aimoin. L. 5. c. 21. seq. *e*) Blondin. Dec. 2. L. 4. Cromer. L. 3. *f*) Aeneas. Sylv. Hist. Boh. c. 13. Svatocopium vocat. Dubravius vero Hist. Boh. L. 4. Svatoplucum. item Kranzius. in Saxon. L. 2. c. 3. *g*) idem. ibid. L. 3. c. 9. idem in Vandalicis. L. 2. c. 27. Witekind. L. 1.

tem Hungarorum ad Augustam Vindelicorum, etiam Slavi sub jugum missi, imo an. 960. rebellantes, ab *Ottone M.* misere suppressi sunt. *a*) Ab *Ottone* II. denuo tumultuantes ad an. 987. compositi. Ceterum an. 1056. Slavi tantam *Henrico* III. intulerunt cladem *b*) ut animo aeger occumberet. Horum enim Princeps *Mistevo* Germaniam turbans, a *Bernhardo* duce Luneburgico contemtus, magna crudelitate saeviit, prout et ejus successor *Godeschalkus* an. 1065. Germaniam diris populationibus vastando, Sacerdotes occidendo, ad paganismum rediens, cunctis terrori fuit, donec hi Lusatii Slavi *c*) an. 1068. ab *Henrico* IV. supprimerentur. Ob quas crudelitates Slavi ubique odium Christianorum Principum incurrentes, exitio suo properarunt, quare etiam ad an. 1162. Slavorum ditiones circa mare Balticum *d*) penitus exscindebantur. A quo tempore dispersi Slavi, hodie etiam fere in omnibus Europae regnis inveniuntur, imprimis autem hodiernae Monarchiae Austriacae maximam partem Slavicae originis populi tenent.

§. II. *Status Religionis Christianae post Interitum Occidentalis Imperii, usque ad ejus restaurationem, seu ab an.* 476. *usque an.* 800.

*In*

---

*a*) Idem. L. 3. Helmold. c. 9. et 10. *b*) A Continuatore Hermarni Contracti, ad an. 1056. dicuntur Slavi *Liutici*. *c*) Helmoldus. L. 4. c. 19. 20. 22. fuse de Godeschalko disserit. *d*) Helmold. Chron. Slav. L. 1. c. 88. seq.

*In Occidente.* Magnae illae mutationes post eversum per *Odoacrum Rugum* occidentale Imperium, funestissima tempora induxerunt non tantum quoad Statum politicum Regnorum, sed etiam quoad Statum Religionis Ecclesiae Romanae, nam universus Christianus Orbis, sub haereticorum Principum dominio constitutus, nullum plane Orthodoxae Religioni asseclam Regem, alicui saltem parvae provinciae dominantem habuit. Nam interfecto *Odoacro* an. 493. successit potentissimus Ostrogothorum Rex *Theodoricus*, qui Italiam, Siciliam, Rhaetiam, Noricum, Dalmatiam, vicinasque regiones, ut Arianus occupavit, *Galliam* Burgundiones et Gothi Ariani, item Franci adhuc gentiles partiti sunt. *Hispania* pariter Gothos Arianos dominos patiebatur, *Africa* Vandalos aeque Arianos, Orientale vero universum Imperium, *Zenonem* Eutychianum haereticum. A quibus omnibus, imprimis autem in Africa ab *Humerico* Ariano Vandalorum rege, crudelissima persecutio in Orthodoxos fuit suscepta, cujus initio quicunque in Palatio militarent, aut publicis fungerentur officiis, jussi sunt Arianam impietatem profiteri. Deinde inquisitio in mores Catholicorum Episcoporum, dirissimae quaestiones habitae de velatis virginibus, quasi impudice cum sacerdotibus agere consvevissent: quum vero nihil inventum fuisset, aperto furore virus effuderunt, traditi nempe sunt Christiani Mauris in desertum trahendi; ex Episcopis,

scopis, Presbyteris aliisque Clericis ad 4966. quam lugubrem persecutionem *a*) complures Scriptores literis consignarunt. Porro ad malorum cumulum accessit Romanorum Pontificum dominandi cupiditas, ad quam stabiliendam magnum momentum attulit effusa per occidentem barbaries; quoniam successive plerique Europae Princeps ad Religionem venientes, religionem a summo Ecclesiae capite Pontifice accepissent, iis haud difficile erat persvadere, Pontificibus Romanis, tamquam *Christi* vicariis et *Petri* successoribus, jus esse omnibus Christianis Principibus leges, sed tantum Ecclesiasticas, ferendi. Ast translata sede Imperiali in orientem, una simul etiam Episcopi Constantinopolitani titulum *Episcopi Oecumenici* sibi arrogare coeperunt; hinc diversae juris disquisitiones, imo et Pontificum Romanorum Literae Decretales invaluerunt, quibus demum subtilissimae distinctiones in Scholis successerunt, quas utcunque Scholastici Doctores eludere conabantur. Quod autem alios Episcopos concernit, non aequalem potestatem habebant, quoniam singulis fere provinciis Metropolitani praeessent, inter quos quatuor imprimis eminebant: uti *Romanus*, *Constantinopolitanus*, *Antiochenus*, et *Alexandrinus*, quibus ob Urbis Sancti-

---

*a*) Victor Vticensis. de persec. Vandalica. Gramaye. Africa. fol. 54. Sulpitius severus. in secunda Historia. Camerarius. Meditat. Histor. Centur. 3. c. 5. Gyllius fol. 170.

*In Occidente.* Magnae illae mutationes post eversum per *Odoacrum Rugum* occidentale Imperium, funestissima tempora induxerunt non tantum quoad Statum politicum Regnorum, sed etiam quoad Statum Religionis Ecclesiae Romanae, nam universus Christianus Orbis, sub haereticorum Principum dominio constitutus, nullum plane Orthodoxae Religioni asseclam Regem, alicui saltem parvae provinciae dominantem habuit. Nam interfecto *Odoacro* an. 493. successit potentissimus Ostrogothorum Rex *Theodoricus*, qui Italiam, Siciliam, Rhaetiam, Noricum, Dalmatiam, vicinasque regiones, ut Arianus occupavit, *Galliam* Burgundiones et Gothi Ariani, item Franci adhuc gentiles partiti sunt. *Hispania* pariter Gothos Arianos dominos patiebatur, *Africa* Vandalos aeque Arianos, Orientale vero universum Imperium, *Zenonem* Eutychianum haereticum. A quibus omnibus, imprimis autem in Africa ab *Humerico* Ariano Vandalorum rege, crudelissima persecutio in Orthodoxos fuit suscepta, cujus initio quicunque in Palatio militarent, aut publicis fungerentur officiis, jussi sunt Arianam impietatem profiteri. Deinde inquisitio in mores Catholicorum Episcoporum, dirissimae quaestiones habitae de velatis virginibus, quasi impudice cum sacerdotibus agere consvevissent: quum vero nihil inventum fuisset, aperto furore virus effuderunt, traditi nempe sunt Christiani Mauris in desertum trahendi; ex Episcopis,

scopis, Presbyteris aliisque Clericis ad 4966. quam lugubrem persecutionem *a*) complures Scriptores literis consignarunt. Porro ad malorum cumulum accessit Romanorum Pontificum dominandi cupiditas, ad quam stabiliendam magnum momentum attulit effusa per occidentem barbaries; quoniam successive plerique Europae Princeps ad Religionem venientes, religionem a summo Ecclesiae capite Pontifice accepissent, iis haud difficile erat persvadere, Pontificibus Romanis, tamquam *Christi* vicariis et *Petri* successoribus, jus esse omnibus Christianis Principibus leges, sed tantum Ecclesiasticas, ferendi. Ast translata sede Imperiali in orientem, una simul etiam Episcopi Constantinopolitani titulum *Episcopi Oecumenici* sibi arrogare coeperunt; hinc diversae juris disquisitiones, imo et Pontificum Romanorum Literae Decretales invaluerunt, quibus demum subtilissimae distinctiones in Scholis successerunt, quas utcunque Scholastici Doctores eludere conabantur. Quod autem alios Episcopos concernit, non aequalem potestatem habebant, quoniam singulis fere provinciis Metropolitani praeessent, inter quos quatuor imprimis eminebant: uti *Romanus*, *Constantinopolitanus*, *Antiochenus*, et *Alexandrinus*, quibus ob Urbis Sancti-

*a*) Victor Vticensis. de persec. Vandalica. Gramaye. Africa. fol. 54. Sulpitius severus. in secunda Historia. Camerarius. Meditat. Histor. Centur. 3. c. 5. Gyllius fol. 170.

Sanctitatem accessit *Hierosolymitanus;* qui demum seculo VIII. *Archi Episcopi* dici coeperunt, hique jura sua fortiter defendentes, maximis controversiis, dein Schismati inter Ecclesiam Romanam et Graecam dederunt occasionem jam seculo VI. quo praeter miram Arianae haeresis propagationem, imprimis turbarunt Ecclesiam *Eutychianae* familiae sub variis nominibus uti: *Severitae* a *Severo* Antiochiae Episcopo, qui et *Monophysitae* dicuntur, quod unam tantum in Christo naturam profiterentur. *Theopaschitae* qui Divinitatem Christi passam fuisse dixerunt; *Tritheitae,* qui in SS. Trinitate tres substantias et naturas per omnia similes docerent. *a*) *Jacobitae* a *Jacobo* Syro, in Syria nati. *b*) *Aphthartodocitae* seu *Incorrupticolae* *c*) a *Timothaeo* Alexandriae Episcopo, hinc variae sectae enatae. Celebris fuit etiam secta *Agnoëtarum*, qui asserebant *Christum* ignorasse diem judicii etiam secundum Deitatem, vocabantur alias *Theucistiani* a *Theucistio* auctore. *d*) Contra quas Haereses complura Concilia sunt celebrata, uti unum Oecumenicum Constantinopolitanum V. an. 603. Patricularia autem complura in causa Doctrinae et Disciplinae, uti Aurelianense, Epaonense, Aran-

*a*) Niceph. Hist. L. 18. c. 27. et 50. *b*) Eutychius. Batricides. Ann. T. II. Niceph. Hitt. L. 18. c. 52. *c*) idem. L. 47. et 48. Evagrius. L. 4. Liberatus. in Breviario. Leontius Byzantinus. de Sectis. *d*) Niceph. L. 18. c. 2.

Arausiacum II. Antisiodorense, etc. *a*) Hoc Seculo celebris ordo Benedictinorum institutus est, auctore *Benedicto Nursino* Italo, prius milite, dein Eremita, ad montem *Cassini*, cujus institutum legibus firmatum brevi per totam Europam fuit propagatum ab ipsis Principibus, a quibus et opes acceperunt. Hinc alii ordines nati, uti *Apostolicorum*, et *Gregorianorum.*

Seculo VII. Propagata fuit aliquantum Religio Christi inter Britannos, *b*) Frisios, Danos, Svevos, Francones, Turingos, Germanos, Alemannos etc. Diffusa autem lege Evangelii, per *Gregorium M.* ejusque successores, varia instituta per occidentis Ecclesias inducta sunt; sic cum *Officio Romano*, seu *Gregoriano* etiam usus latini sermonis est commendatus: *c*) introductus usus Campanarum, ardentes Cerei, Festum omnium Sanctorum, Azyla in templis pro reis, Exaltatio Sanctae Crucis, Processiones circa Templa, splendidae Ecclesiae, tonsura Sacerdotum, votum Coelibatus, festorum numerus, Missae latinae praescriptae, Investiturae jus, et varia Ecclesiarum ornamenta, cultus reliquiarum, erectiones statuarum, peregrinationes, et jejunia. *d*) Quae instituta et ritus

---

*a*) Collectio Sirmondi. et Conciliorum. Tom. 4. et 5. *b*) Ven. Beda. Hist. Ang. L. 1. c. 26. *c*) Pontificum Epistolae et vitae. ap. Anastasium, Platinam. Sigebert. Durandum. Onuphricum. qui de singulis ritibus commentati sunt. *d*) Joan. Diac. L. 2. de vita Gregorii. Natalis Alexander. ad sect. 2. T. 3.

ritus varias induxerunt in diversis Ecclesiis sensationes. *a*) Afflixerunt autem hoc aevo Ecclesiam praeter antiquiores haereses, etiam novae, uti *Mahomedis*, *Monothelitarum* asserentes in *Christo* unam tantum esse voluntatem, unamque operationem. Contra quos Concilium generale celebratum est Constantinopolitanum, et Quitri-Sextum, Concilia vero Provincialia varia, uti Constantinopolitanum, Hierosolymitanum, Africanum, Romanum, Italicum, Hispanicum, Gallicum, Britannicum. *b*) Pro augmento autem Monachorum etiam Monasteria splendida erigebantur, quorum omnium celebratissima fuit regula *Columbae* vel *Columbiani* Britanni, cujus praecipuus discipulus fuit *Gallus*, qui adscitis variis viris, Abbatiae et Urbi *Sancto Gallensi* originem dedit.

Seculo VIII. Calamitosa fuit facies Ecclesiae Christianae, cujus causae erant Saracenorum progressus etiam in occidentem, item Longobardorum in Italia dominatio, irruptiones Bulgarorum, Hunnorum, Avarorum, Slavorum et Venedorum; nec non Latinorum a Graecis, seu Orientalium ab Occidentalibus separatio; tandem nefanda corruptio morum. Propagabatur tamen Ecclesia Christi imprimis per *Vinfridum* Monachum, qui postea *Bonifacius*

---

*a*) Beda L. 3. ad an. 664. n. 4. seq. Joan. Forbesius. L. 3. *b*) de quibus videantur Tomi Conciliorum. item Eligius, Isidorus. Ildefonsus Toletanus. Beda. etc.

*cius* est dictus, Germanorum Apostolus et Archi Ep. Moguntinus. *a*) Aliud et potens propagationis instrumentum erat *Carolus M.* qui collapsam in Clero et Monasteriis disciplinam, celebratis Synodis, editisque constitutionibus, et institutis Scholis restituere conabatur, *b*) Doctrinam ab erroribus perpurgavit, subjugatos populos Ecclesiae associavit, Ecclesias et Episcopatus complures fundavit, Pontificum temporalem Principatum confirmavit. Ceterum magna controversia hoc seculo agitata fuit de imaginibus, unde haeresis *Iconoclastarum* exorta est. Alia haeresis fuit *Felicianorum* seu *Adoptianorum* a *Felice* Urgelitano Eppo. qui dixerunt *Christum* secundum divinam naturam esse *proprium Dei filium;* sed secundum naturam humanam esse *filium Dei adoptivum.* Porro aliae etiam disputationes, uti de *Processione Spiritus Sancti*, turbarunt Ecclesiam. Quorum errores varia Concilia celebrata damnarunt, uti Constantinopolitanum IV. Nicenum II. item Synodus Francofordiensis auspiciis *Caroli M.* item Provinciales Synodi, uti Liptinensis, Suessionensis, Gentiliacensis, Ratisbonensis, Romana, Vormatiana, Aquisgranensis. etc.

§. III. *Status Literarum et Artium. sec. VII. VIII.* Per tantas rerum convulsiones in occidente tanta hac aetate obrepsit barbaries,

r ut

*a*) Baronius ad an. 776. n. 17. *b*) Steph. Baluzius refert Capitularia Carol. M.

ut eruditio tamquam haeresis notaretur, hinc eruditi pauci, scriptores etiam erant *a*) tantum compilatores rerum antiquarum, qui in controversiis dirimendis plus canonum auctoritati, et decretis Pontificum detulerunt, plusque de externis ritibus, quam de vera pietate decertarunt. Quanta autem fuit generaliter ignorantia etiam inter Sacerdotes, documento sunt acta Synodalia, in quibus mentio fit Episcoporum, qui literas plane ignorabant, in subscriptionibus enim saepe inveniuntur talia verba: *Quum ipse scribere nequeam, subscripsit pro me. N. N.* vel ita: *Quum Dominus Episcopus ipse scribere nequeat, rogatu ejus ego subscripsi.* Imo exstiterunt Sacerdotes, qui formulam baptizandi ignorantes mutarunt, sic enim Bavaricus Sacerdos seculo VII. baptizasse dicitur: *b*) *Baptizo te in nomine Patria, Filia, et Spiritua Sancta,* de cujus baptismi valore acris controversia fuit enata; cui accedebat immanis morum corruptio, item quod pauci Episcopi in Dioecesibus suis residerent, plerique enim castra et aulas Principum sequebantur. Nullae insuper erant Universitates, aut Bibliothecae, imo siquis supra vulgus ignorantiam depellere nitebatur, superstitiosi vel haeretici titulo

---

*a*) Du Pin. Bibl. T. 6. vide Concilia hujus aevi. et Compendium du Pin. T. 6. p. 46. seq. *b*) Aventinus, Annal. Bojorum. L. 3. c. 9. et 21. — 25. Zàcharias Pont. Epist. 6. ad Bonifacium p. 1888.

titulo notabatur, quam crassam ignorantiam et caliginem utcunque dispellere conabatur successive *Carolus M.* Parisinam Universitatem, fundando *a*) et illam libris locupletando, post cujus tamen obitum denuo ruditas invaluit; unde paucos admodum haec aetas numerat celebres scriptores: qualis erat *Eligius* Noviomensis Ep. *Isidorus* Hispalensis Ep. Scriptis historicis et moralibus insignis. *Ildefonsus* Toletanus, de Scriptoribus Ecclesiasticis illustris. *Venerabilis Beda* Britannus, antiquitatis peritia celeberrimus. *Alcuinus* Britannus Magister *Caroli M.* clarissimus. *Paulinus* Aquilejensis Patriarcha. *Paulus Varnefridus* Diaconus Aquilejensis, *Desiderii* Longobardorum regis ultimi Cancellarius, Historiae Longobardiae et Miscellae scriptor. *b*) *Bonifacius* Germanorum Apostolus. *Adrianus* I. Pontifex.



*a*) Baluzius. Capitularia Caroli M. T. 4. p. 201. seq. Joan. Launoius, de Scholis institutis a Carolo. *b*) Frider. Spanhemius. Compendiosa Introductio ad Hist. Eccl. p. 245. seq.

# Caput VI.

*Exhibens Historiam Imperii Romano Graecanici, seu Orientis, inde a divisione Theodosii M. usque ad interitum Imperii Romani occidentalis, ab anno* 395 *usque an.* 476.

§. 1. *Statistico Geographica notio Imperii orientalis.* Post divisionem a *Theodosio* M. factam, orientali Imperio subjectae erant sequentes Provinciae uti: in *Asia*, fuit Asia minor seu Natolia, Arabia, Syria; in *Africa* Aegyptus et Lybia; in *Europa* variae provinciae in terra continenti et Insulis. Signanter autem I. *Natolia* habuit quatuor provincias, uti proprie *Natoliam*, ubi urbes erant Bursia, Scutari, Troja, Pergamus, Phyladelphia, Smyrna, Ephesus, Sardes. — *Amasia*, ubi erat urbs Amazan et Trebisonde, item duo fluvii Tigris et Euphrates. — *Carmannia*, ubi urbes Cogni, Tarsus,

Tarsus, Lycia, Pamphylia. — *Alauduli* ubi urbs Maracz. II *Arabia* erat triplex, nempe Petraea, Deserta, et Felix, ubi civitas Mecca et Medina est. III. *Syria* tres provincias habuit, uti *Syriacam* seu *Aleppensem*, ubi est Aleppo, Cairo, Antiochia et Alexandria; — *Tripolitanam*, ubi est Tripolis, Soria, et Palmyra; — item *Damascenam.* — In *Europa* ejusque vicinia, Albaniam, Epirum, Macedoniam, Thessaliam, Livadiam, Moream, item Insulas: Candiam, Cretam, Negroponte, Eubaeam, Corfu, Cephaloniam, Zante. Inter quas praecipua fuit *Romania* sic dicta ab urbe Constantinopoli, quae et *nova Roma* dicebatur. Haec olim *Thracia* fuit apellata, a *Thraca* Nympha, vel potius a feritate et temeritate. Regio haec a Macedonia *Strymone* fluv. separatur, et versus mare frugibus et frumento foecunda. Urbes praecipuas habuit *Abderam Democriti* patriam. Nicopolim, Philippopolim, Hadrianopolim, Trajanopolim, Selymbriam, Perinthum etc. Metropolis est *Byzantium* a *Pausania* conditum, hodie *Constantinopolis* dicitur a *Constantino* M. Imp. qui illuc Romanam sedem Imperialem transposuit; a Turcis dicitur *Stampolda* seu ampla Civitas; multa et hodie reperiuntur antiquitatis monumenta; praecipua sunt: Templum Sophiae, a *Justino* Imp. aedificatum, Columna Serpentina, Palatium Constantini, Castrum novum, Colossus, Gynaeceum, et Obelisci, habet et duos fluvios, uti *Cydrum* seu *Machle-*

*Machlevam*, item *Bardyses*. Incolarum numerus ad octies centena millia ascendit. Hodie Turcorum Imperatori paret, qui sedem Imperialem Constantinopoli cum maximo palatio habet, Istud Romanum in oriente Imperium a sede Imperatorum, passim exterri *Byzantinum* aut *Constantinopolitanum*, ab inducto autem sensim in aulam unius graecae lingvae usu *Graecum* appellabant; quod Imperium, post ruinam Imperii Occidentis inter varias rerum vicissitudines, mille fere annis perstitit; quae diuturnitas potissimum ejus urbis firmitati, Civiumque integritati adscribenda est.

§. *Status Religionis*. Ecclesiae externum statum afflixerunt in oriente imprimis bella externa, ambitione *Ruffini* Praefecti Praetorio, cujus fidei commisit *Theodosius* M. filium *Arcadium* orientis Imperatorem, sed puerum; praeterea intestinis discordiis laborabat ipsa etiam Ecclesia in causa *Origenis* Adamantii, cujus odium praecipue ex quorundam Patrum aemulatione ortum est; cujus fautores mox Ariani, Pelagiani, et Eutychiani evaserunt. Hoc tempore tamen magna fuit morum et rituum simplicitas, comparate ad sequentia tempora. Dignitates Ecclesiastiaae in oriente quoad nomina permanserunt, licet in occidente nimium invaluerint. Turbavit Ecclesiam orientalem imprimis *haeresis Nestoriana*, cujus auctor erat *Nestorius* Episcopus Constantinopolitanus, homo fastuosus, qui duarum naturarum unionem

in

in *Christo* negavit, prout et *Mariam* esse Deiparam, cujus haeresis damnata fuit a *Cyrillo* Alexandrino et a *Coelestino* Papa an. 431. quare etiam *Nestorius* a *Theodosio* Imp. in Aegyptum fuit relegatus, *a*) fautores tamen complures invenit. Longe majores turbas dabat haeresis *Eutychiana*, cujus auctor *Eutyches* Archimandrita Constantinopolitanus dum apud suos Monachos errores *Nestorii* refutaret, in oppositum incidit errorem, qui in *Christo* post incarnationem unam tantum naturam fuisse docuit, ex cujus doctrina quamvis in Synodo Chalcedonensi, et Ephesina II. fuisset damnata, *b*) tamen ex furore et numero fautorum ingentia mala toti Ecclesiae funesta sequebantur, ejus enim radices in Aegypto, Palaestina, Armenia, Syria, et Aethiopia in hunc usque diem existunt, novisque sectis ansam praebuerunt. Amplius Ecclesiae nocuit in oriente *Anastasius* Imp. qui primo Orthodoxiam simulavit, dein palam Eutychianismum defendit. *c*)

§. 3. *Status Politicus et forma regiminis.* Post divisionem *Theodosii* M. Imperium orientale, cujus caput Constantinopolis erat, per multa secula intactum et incolume stetit, licet antiquae Romae magnitudinem, splendorem et auctoritatem nunquam aequaret, quod dein jure haereditario gubernatum nunquam amplius

cum

---

*a*) Evagrius. Hist. L. 1. *b*) Baronius. ad an. 449. n. 5. *c*) Evagr. L. 3. Niceph. L. 16.

Philosophi filiam, omni virtute, sapientia et morum venustate ornatam in uxorem duceret. *Theodosius* Princeps devotissimus, lectioni sacrorum librorum deditus, novo et hactenus inusitato exemplo sororem suam *Pulcheriam* Augustam creavit et in consortium Imperii assumsit, tantumque valuit in recte administrando imperio erga Deum pietas, ut puer unus et puella, summa tranquillitate, pietate, justitia, et lenitate *a*) tantam molem ab omni barbarorum et tyranorum timore securam insigniter rexerint; adeo enim fuit mansvetus, ut ei objicientibus, cur nullum se laedentium morti adjudicaret, reposuerit: *Utinam esset mihi possibile, mortuos ad vitam revocare.* Vitio tamen zelotypiae notatur, cujus origo ex pomo uxori dato, ac perhanc *Paulino* Episcopo donato innocenter ducitur: tanta tamen fuit pietate, ut uxorem *Eudociam* voti causa Hierosolymam miserit, quae etiam ibi ad obitum usque mariti coelestem vitam duxit. Ceterum vix *Theodosius* an. 423. Imperium solus administrare coepit, mox *Joannes* tyrannus, antea Imperatoris scriba, prospero fortunae cursu non contentus, Imperium affectans, ingentibus barbarorum copiis stipatus, Ravennae securus degens, primum ab *Ardaburio* duce incassum lacessi-

*a*) Baron. ad an. 415. n. 10. Sozom. L. 9. c. 4. seq. Socrat. L. 7. c. 1. et 22. patet et ex Codice Theodosiano. item. Paul. Diac. L. 41.

lacessitus, sed brevi ab *Aspare* an. 425. victus et exstinctus est, *a*) licet *Joannis* auxiliares Barbari Hunni fortiter dimicarent, contra quos coelum pugnavit, nam dux Barbarorum *Kugas* fulmine tactus concidit. Cujus felicis victoriae nuncium dum Imperator in ludis circensibus existens accepisset, mox insigni pietatis exemplo, jussit cessare ludos, et populum ad Ecclesiam, ad gratias Deo agendas perduxit. Exstincto ita *Joanne*, mox in oriente bellandum erat contra immensam Sytharum multitudinem, qui trajecto Istro, non modo Thraciam devastarunt, sed ipsi etiam Constantinopoli minabantur, quos tamen brevi fames et lues, coelestesque ignes exstinxerunt. *b*) Porro exorta inter duos Parthici generis Armeniae reges et fratres discordia, ab uno partem ejus regni *Theodosius* dono accepit, alter autem suam multo majorem Persis consignavit. Contra hos igitur Persas post mortem *Isdegerdis* feliciter bellans, potissimum eo, quod insontes Christianos, quos metus suppliciorum ad Romanos fugere compullerat, vi et armis repeterent. *c*) Misit etiam auxilium in Africam contra Vandalos. Sub eo contigit Constantinopoli ingens incendium, et terrae motus, quo tempore, miraculose prius auditas potentes Dei invo-

*a*) Socrat. L. 7. c. 23. *b*) Theodoret. L. 5. c. 36. Socrat. L. 7. c. 4. seq. *c*) Socrat. L. 7. c. 18. 20. contra Varananem. Niceph. L. 14. c. 21. et 57.

invocationes: *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis*, *miserere nostri*, decantari jussit. Item an. 435. Juris Consultis negotium dedit, omnes Imperatorum Constitutiones in unum corpus redigendi, ut Sententiae in controversiis *a*) inde dicerentur, et *Codex Theodosianus* fuit appellatus, qui et hodie existit. Tandem inter varias curas, dum venatione se recrearet, equo delapsus, in gravem incidit morbum, ex quo anno 450. mortuus est, Imperii 42. *b*) sine haerede.

*Martianus.* Mortuo sine haerede *Theodosio* II. cuncti Principes ejus sorori *Pulcheriae* jam tunc quinquagenaria majori, Imperium adjudicant, eam orantes, ut virum, quem sibi eligeret, simul Imperatorem constitueret. Haec quoniam virginitatis voto esset obligata, illud consilium inivit, ut conjugii titulo, salva virginitate, *Martianum* virum Tribunitium, a fratre etiam commendatum, aetate et consilio gravem, continentia probatum, virtuteque militari spectatissimum, in Imperium eveheret, quod etiam consensu statuum *c*) praestitit; fuitque *Martianus* princeps benignissimus et pacis amantissimus, qui pro symobolo dicere solebat: *Dum in pace vivere licet, non decet arma Imperatorem sumere:* eminuit imprimis pruden-

---

*a*) Amissis Gregoriano et Hermogeniano. *b*) Evagr. L. 1. Paul. Diac. L. 14. Niceph. L, 14. c. 58. *c*) Evagr. L. 2. c. 1.

prudentia in Imperii administratione et legum inviolata custodia, quare etiam ausus est *Attilae* tunc Imperii occidentalis crudelissimo devastatori tributum negare. *a*) Insuper magno religionis ardore recentem *Eutychis* sectam et damnatam *Nestorianam*, convocato Concilio Chalcedonensi, abolere studuit. Qui tandem aetate provectus inter maximas regni curas regiminis anno 7. mortuus est non sine suspicione veneni ab *Asparase* porrocti. Qui successorem habuit

*Leonem* M. *Asparis* ope thronum conscendentem, qui cum *Asparo* prius conventionem inivit, ut filium suum *Ardaburium* Caesarem crearet. *b*) Imperator hic alias natione *Thrax* primus est, qui ex natione Graeca Imperium obtinuit, novoque et a successoribus probato exemplo ab *Anatolio* Constantinopolitano Patriarcha *c*) coronari voluit; vir alias clemens et benignus pro symbolo dicere consveverat: *Quemadmodum sol quibus affulserit, et iis calorem impertiat; ita Princeps clementiam impertiat, quos aspexerit.* Imperium tamen ejus multis calamitatibus insigne exstitit, uti Antiochiae loca magno terrae motu *d*) concussa, Thracia et Illyricum a Gothis vastata, *e*) et Constan-

---

*a*) Calvisius. ad an. 453. Baron. ad an. 457. n. 1. *b*) Jornand. de succes. Regn. item Suidas. *c*) Evagr. L. 2. c. 12. *d*) idem. ibid. die 4. Sept. an. 458. Niceph. L. 15 c. 20. *e*) Jornand. de Goth. c. 52.

Constantinopolis horribili incendio *a*) conflagrata. Amplius adhuc turbavit imperium *Ardaburius Asparis* filius jam Caesar constitutus, qui in vitam *Leonis* conspirarunt dicentes: *devoremus nos Leonem prius*, *quam ipse de nobis prandium instruat;* quae Imperator resciens, ambos laesae Majestatis reos *b*) occidi jussit; quorum caede Gothos, qui sub *Alano* duce militaverant, ad funestam Thraciae rebellionem permovit, quae magna auri vi aegre sopita est. Bellum fere continuum habuit cum Vandalis piratis, contra quos missam in Africam sumtuosissimam classem, *Genzericus* callide exussit. *c*) His tamen non obstantibus, attentavit Imperium occidentale per suos duces *Marcelinum Heraclium* et *Basiliscum* recuperare: et Sardiniam ac Tripolim recuperavit. Tandem quum 17. annis summa cum laude regnasset, ventris profluvio exstinctus est, *d*) an. 474. successore relicto *Leone* II. puero ex filia *Ariadna* et *Zenone* nepotem, *e*) qui primo Imperii anno, morbo exstinctus, Imperium in patrem suum *Zenonem* derivavit.

*Zeno Isauricus* ignavus, impiissimus et effaeminatus Princeps, animo et corpore deformis, a fide ad Eutychianos deficiens, cunctis, imo

---

*a*) Evagr. L. 2. c. 13. per 4. dies arsit. an. 464. Niceph. L. 15. c. 21. *b*) Evagr. L. 2. c. 15. seq. Niceph. L. 15. c. 27. *c*) Procop. L. 1. de bell. Vandal. *d*) Evagr. L. 2. c. 17. Niceph. L. 15. c. 29. *e*) idem. ibid. Paul. Diac. L. 16.

imo et uxori exosus factus, pace cum Gothis et Vandalis facta, domesticis seditionibus ad obitum usque jactatus est. *a*) Quum enim Saraceni et Hunni Thraciam foede vastarent, an. 476. *Basiliscus* imperium invadens, *Zenonem* cum uxore in exilium relegavit, *b*) ipse vero haeresi Ecclesiam afflixit, ipsamque urbem Constantinopolitanam incendit; qua calamitate multa millia aedium conflagrarunt cum celeberrima bibliotheca 120. millium Librorum, magnaque illa raritate exuviis Draconis 120. pedes longis, in quibus opus *Homeri* aureis literis descriptum fuisse dicitur. *c*) Ceterum post annum *Zeno* revocatus, pari paena *Basiliscum* punivit, qui et ibi misere periit. Post haec *Martiani* tyrannide lacessitus, *Theodoricum* Gothum ad Italiam occupandam *d*) subornavit; sub quo etiam occidentale Imperium deletum est. *Zeno* tantorum malorum auctor, tandem sive animi dolore, sive gula et ebrietate exanimatus quum corruisset, ab ipsa sua conjuge *Ariadna*, ut mature moreretur, sepulchro vivus illatus est, ubi postea sobrius frustra opem quaerens *e*) misere periit anno regiminis 17. seu an. Ch. 491.

§. 5.

---

*a*) Ap. Photium. Cod. 79. Evagr. L. 3. c. 1. seq. Niceph. L. 16. c. 1. *b*) Evegr. L. 3. c. 3. Candidus ap. Photium. cod. 79. *c*) Cedren. in Annal. *d*) Jornand. de bell. Goth. c. 57. Paul. Diac. L. 46. Evagr. L. 3. c. 26. Niceph. L. 16. c. 22. *e*) idem. c. 24. Cedren. et Zonar.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Hoc tempore erectiones undique Scholarum maxima Literis dabant incrementa; quo imprimis pertinent aeterna laude dignae constitutiones *Theodosii* Junioris, de Professoribus, Studiis, Privilegiis, etc. qui an. 420. Scholam Constantinopolitanam in meliorem formam redegit, *a*) et post hac amplius florere coepit: imprimis enim vetuit neminem docere, qui prius non probatus, et ad hoc docendi munus delectus esset; imo et Profitentium unamquamque artem et scientiam, certum numerum rite desinivit, videlicet ut essent Romanae eloquentiae tres oratores, 10. Grammatici, Graecae vero facundiae Sophistae quinque, et decem Grammatici, item Philosophus unus, ac duo Juris et Legum Professores. Alia vero sanctione decrevit: *b*) eos, qui viginti annorum cursum docendo explevissent, Comitivae ordinis primi dignitate honestari. Statuunt *c*) eundem *Theodosium* etiam antiquissimam Bononiensem Academiam fundavisse, amplissimisque privilegiis ornavisse. Idem, ad majorem eamque strictissimam justitiae administrationem exercendam, demandavit Jurisconsultis suis, eruditione, fide ac prudentia conspicuis, ut omnium Principum Constitutiones a *Constantino* M. usque, inutili-

---

*a*) L. 3. Cod. Theodos. de studiis liberalibus. *b*) L. 1. Cod. Theodos. de Professoribus. *c*) Middendorp. de Academiis. L. 4. a Princip.

inutilibus praetermissis, in unum corpus redigerent, unde opus hoc conflatum, *Codex Theodosianus* appellatur. Ad majus insuper Scientiarum emolumentum procurandum, speciatim erectae, aut auctae sunt Bibliothecae, ex gentilium et Ecclesiae Doctorum scriptis monumentis quarum omnium celeberrima fuit Constantinopolitana, sub eodem *Theodosio* Juniore, literarum et librorum amantissimo Principe, sed sub *Zenone* flammis consumpta cum omnibus suis cimeliis, et 120. millibus librorum. Ex quibus patet, jam hoc aevo nomen *Scholasticorum* invaluisse, unde etiam celeberrimi Historici evaserunt; quales imprimis erant: praeter *Epiphanium* et *Chrisostomum* ad initium Seculi V. aetate grandaevos defunctos, *Theophilus* Alexandrinus acerrimus hostis Origenistarum. *Synesius* Ptolaemaidis Ep. Platonicis et Pythagoricis erroribus imbutus. *Isidorus* Pelusiota Monachus Epistolis scriptis clarus. *Cyrillus* Alexandrinus hujus aevi lumen. *Theodoretus* Cyri Ep. interpres Scripturae, et Historiae Ecclesiasticae scriptor insignis. *Socrates* Scholasticus Constantinopolitanus, et *Sozomenus* Palaestinus circa an. 440. celeberrimi Scriptores. item *Basilius* Seleuciensis, *Theodotus* Ancyranus. *Hesychius* Presbyter. *Gelasius* Cyzicenus acta Nicena conscripsit. *a*)

s C A-

*a*) Spanheimius. Comp. Hist. Eccl. p. 166. seq. Grebner. Hist. Univ. T. 1. p. 317. seq.

# Caput VII.

*Exhibens Historiam Imperii Romani Orientis, post interitum occidentalis Imperii, seu ab Anastasio Dicoro, usque ad Constantinum Palaeologum ultimum Graecorum Imperatorem, seu an. Ch.* 1453. *quo Constantinopolis a Turcarum Sultano Mahomete II. expugnata fuit, et Imperium Christianorum orientale exstinctum in potestatem Turcorum transivit.*

§. 1. *Statistico Geographica notio Imperii Orientis.* Imperium orientale, ab eo tempore quo occidentale exstinctum est, per solos Imperatores gubernatum, fere per decem secula non modo stetit, sed saepe mutatis adjunctis caput attollere, limitesque Imperii extendere coepit, imprimis autem statim *Justiniano* imperante, per fortiter gesta bella, dominationem extendit in Persiam, *a*) dein postquam *Belisarii* virtus, Vandalorum in Africa *b*) regnum,

*a*) Procop. L. 1. de bell. Persico. Agathias. L. 2.
*b*) Procop. L. 2. de bell. Vand. qui et ipse interfuit. Evagr. L. 4. c. 16. seq. Niceph. L. 17. c. 11. seq.

gnum, et *Narsetis a*) Ostrogothicum regnum in Italia destruxisset, mox purgata et recepta est a Barbaris Italia, Africa, Sicilia, Sardinia, subacti insuper erant Eruli, Abasgi, Lazi, Tzani ad Tanaim, Euxinum et Caucasum, populi ad Chriatianam fidem simul perducti. Quod tamen amplum imperium tractu temporis decrescere coepit; nam sub *Justino* II. Longobardi Italiam vastantes ibi regnum sibi condiderunt, et Graecis nonnisi quinque urbes, uti Ravennam, Romam, Spoletum, Neapolim et Beneventum reliquerunt, *b*) unde Exarchatum *Ravennatensem* Graeci instituerunt. Seculo VII. Saraceni magnis progressibus erumpentes tota Arabia, Africa usque ad Oceanum Atlanticum, Aegypto, Syria, Armenia potiti, imo ipsam etiam urbem Constantinopolim sub *Constantino Pogonato c*) infelici licet successu, repetita obsidione afflixerunt. Venetorum quidem Duces adhuc sub Graecis ut dominis sub erant; sed seculo VIII. Saraceni denuo Thraciam et Bulgariam invaserunt, Constantinopolim obsessam biennio tenuerunt, aliisque *d*) vastationibus et cruentis victoriis se formidabi-

s 2 les

---

*a*) Procop. L. 3. de bell. Goth. Agathias. L. 1. et 2. Aretinus. L. 4. de bell. Goth. *b*) Paul. Diac. L. 18. Const. Porphyr. de adm. Imp. c. 27. *c*) Leunclavius. Hist. L. 1. Cedrenus. 80.000. captivorum abducta dicit. Zonaras. Miscell. L. 19. *d*) Niceph. Cedren. Miscell. L. 21. obsidio biennalis.

les rediderunt, latius de hinc producturi Imperium, prout seculo IX. non modo Syria, Asia, Cyprus, Rhodus, Creta seu Candia, sed etiam Africa, hinc Sicilia, Sardinia, Corsica, Italia et ipsa Roma, senserunt eorum crudelitatem; in quorum causa successive concitatae sacrae expeditiones, omnino totius Imperii Graecanici luctuosam faciem reddiderunt, imprimis quum Tarcarum dominatio stupendis incrementis invaluisset ob Graecorum Imperatorum ignaviam et domestica dissidia, *a*) unde necessario non Imperium, sed umbra tantum Imperii manere debuit, donec penitus corrueret, Turcicumque jugum subiret an. 1453. illud grande Imperium, quod a *Consantino* M. coeperat. Ex cujus ruinis varia regna denuo surexerunt.

§. *Status Religionis et consvedutinis.* Turbarunt Ecclesiam orientalem mortuo *Zenone* statim *Anastasii* Imp. Praefecti, et Pontificum dominatio, unde certamen de primatu invaluit inter Romanum et Constantinopolitanum imprimis Episcopos, uterque fretus veteris et novae Romae praerogativis. Sed nec alii Orientis Patriarchae sibi deerant, uti Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus, qui jura sua adversus Episcopum Romanum mascule tuebantur, unde controversiae ortae tandem Schismati

---

*a*) Pachimeres. Hist. L. 8. Niceph. Laonicus. Chalcocondylas. etc.

ti ansam dederunt inter Romanas et Graecas Ecclesias, quod in hunc usque diem durat. Unde ut Ecclesiae orientis statum tot seculorum rite noscere valeamus, necesse est ordine, uniuscujusque seculi historiam synoptice percurrere; et quidem:

*Seculo VI.* Graves contentiones fervebant de primatu inter Romanum et Constantinopolitanum Episcopos. Fiebant integrarum gentium conversiones, uti *Iberi*, *Lazi*, *Abasgi*, *Tzani* ad Pontum, Tanaim et montes Caucasios, populi ab *Justiniano* subacti. *Aethiopes.* *a*) Instituta sunt varia nova festa, uti *Purifiicationis*, *Annunciationis*, *Conceptionis*, *Natalis S. Joannis*, *Cathedrae S. Petri*, item *Processiones Ante-Paschales*, *Litaniae ad B. Virginem*, *Rogationes* ad Deum tempore luis saevientis, et calamitatis, *Jejunium Adventus; Rogationum.* Licet autem *Justinianus* Imp. dixisset: *Religionis et Ecclesiae praecipuam solicitudinem Imperialem esse*, Ecclesiam tamen haereses nimis turbarunt, praecipue *Eutychiani* et *Origeniani*, contra quos praeter alia, celebratum fuit Concilium II. Constantinopolitanum sub *Justiniano* I. an. 553. contra Doctrinam Origenis. — Persecutiones variae ex irruptionibus Hunnorum in Thraciam et Graeciam, item *Chosrois* Persarum regis, *b*) in Persiae, Armeniae, Mesopotaniae et Syriae partibus.

*Secu-*

---

*a*) Procop. L. 1. de bell. Persico. c. 20. *b*) Evagr. L. 4.

*Seculo VII.* Duravit certamen de *Oecumenici* titulo, unde consequentia mala provenire debebat. Quo tempore apparuit in Oriente Pseudopropheta *Mahamed* qui licet nefandam doctrinam congesserit, ut inferius de Turcis fuse exponemus, tamen brevi temporis spatio per totum Orientem disseminata fuit, propter Christianorum dissensiones, eorum impietatem, literarum ignorantiam, voluptuosam vitam et pravos mores. Hi *Alcoranum* Mahomedis praefitentur, *Christum* magnum quidem Prophetam, non tamen *Deum* fuisse asserunt. Praeter hujus Doctrinam, afflixerunt Ecclesiam et novae haereses, uti *Monothelitarum a*) fautores praecipui erant *Theodorus* Pharanensis, *Sergius* Constantinopolitanus et *Cyrus* Alexandrinus antistites, eorumque successores, circa an. 629. sub *Heraclio* Imp. statuentes: *unam tantum esse in Christo voluntatem* et *unam operationem*, nempe *divinam*, quae doctrina brevi magnum exscitavit incendium in utroque orbe Christiano; cui componendo *Constans* Imperator an. 648. publicavit *Typum*, in quo sub gravi poena, omnem altercationem, de una vel dupplici voluntate et operatione prohibuit. Contra quos etiam habitum fuit Concilium III,

*a*) Sergius. Epist. ad Honorium. T. III. Concil. ap. Harrduinum p. 629. qui fuse de his agit. in toto Tomo. Baronius. ad an. 649. n. 69. Anastasius in Concil. Later. Secret. II. p. 712. seq.

III. Constantinopolitanum an. 680. in quo errores illorum damnati fuerunt. *Tritheitae* tres in Trinitate naturas admiserunt. Hoc aevo invaluerunt templorum dotationes, Monasteriorum erectiones, lustrationes, peregrinationes. etc.

*Seculo VIII.* Saracenorum stupendi progressus in oriente Christianam religionem fere oppresserunt, prout etiam graves turbas concitarunt controversiae de cultu imaginum, qui cultus a variis Conciliis jam damnabatur, jam approbabatur, hinc *Iconoclastae* vel *Inconomachi* haeretici nati sunt, qui imaginibus nullum cultum deferendum esse dixerunt: quae doctrina damnata est in generali Concilio Constantinopolitano IV. anno. 754. Aliud Concilium fuit Nicenum II. cujus scopus erat restitutio imaginum in templis et locis publicis. Ceterum Graeci jam istud Concilium pro universali non agnoscunt, quoniam illi tantum *septem* Concilia universalia fuisse credunt. Item usum organorum et musices in Ecclesias latinas inductum, Graeci rejecerunt.

Seculo IX. Pervenit hoc aevo Christianum nomen ad *Indos Malabares*, quod tardius per Nestorianos obscuratum fuit. *a*) Orientalem Ecclesiam oppresserunt haeretici supra nominati, imprimis autem vexarunt contentiones cum Latinis, jam nunc in apertum Schisma erupturae. *Causae* dissensionum erant variae, uti: contentio

---

*a*) Maffeus. L. 2.

tio de cultu imaginum; causa *Photii* et *Ignatii* Patriarcharum Constantinopolitanorum, nempe *Ignatio* contra voluntatem Romani Pontificis deposito, suffectus est *Photius*; item Bulgarorum conversio, quos tam Latini, quam Graeci ad suos ritus pertinere contendebant, quae tamen lis ipso Bulgarorum facto decisa fuit, quoniam *Photium* Patriarcham agnoverint; item fervens contraversia *de Processione Spiritus Sancti* cum additamento *Filioque*, *a*) exinde Graecorum certamina contra Latinos hac ipsa in causa renovata sunt seculo XI. quibus accesserunt aliae contraversiae de Asymis, de Sabbathi jejunio, de Purgatorio. etc. *b*) Concilia tria Constantinopolitana celebrantur in causa *Photii* et *Ignatii*, de quorum auctoritate lis est in hunc diem.

*Seculum* X. Sui asperitate ac boni sterilitate *ferreum*, mali exundantis deformitate *plumbeum*, et inopia scriptorum passim *obscurum* appellatur. *c*) Quo Ecclesiae orientalis status felicior non evasit, nam per Saracenos subvertebantur Dioeceses, totam vero Ecclesiam distrahebant haereses; accessit adhuc mala condi-

---

*a*) Particula *que* jam exprobrata fuit Nicolao Papae, in Ecyclica Photii ad Patriarchas. ap. Baron. ad an. 863. *b*) Leo Allatius. de perpetua Consensione. L. 2. c. 5. seq. Baron. T. X. ab an. 858. seq. Natal. Alexand. Hist. Eccl. T. 16. Mainburgius. in Hist. Schismat. Graecor. L. 1. *c*) Baron. ad an. 900.

ditio Cleri potissimum sub *Theophylacto* Constant. Patriarcha, filio *Romani* Imp. sub quo omnia Ecclesiastica venelia erant. *a*) Monachorum inertia et flagitia ex lege coelibatus. *b*) Addenda sterilitas ingeniorum et scriptorum, unde nec scholae publicae erant, in quibus Theologia, aut aliae disciplinae traderentur; Scholae in Manasteriis conversae erant in Scholas cantionum, superstitionum aut coecae obedientiae. Hoc tamen aevo Sacra Christianorum assumserunt *Russi* seu *Rutheni*, alias *Moschovitae* secundum ritus Graecorum sub *Basilio II.* Imp. postquam *Anna Basilii* soror desponsata fuisset *Uladimiro* Duci Kioviensi, et hi obnoxii erant Patriarchae Constantinopolitano, donec sibi Patriarcham elegissent post dissipatum a Turcis orientis Imperium. Tandem invalescebat cultus imaginum Sanctorum cum quibusdam superstitionibus.

*Seculo XI.* Initium sumserunt expeditiones cruciatae, eum in finem istitutae, ut quoniam conversiones ad Christianam fidem rariores essent, saltem terram sanctam e manibus infidelium Saracenorum Christiani eriperent, sibi vindicarent, Principesque Christiani et Pontifices suas extenderent dominationes; quae expeditiones initio statim odeo feliciter successerunt, ut pulsis inde Saracenis, Christiani novum

---

*a*) Joan. Curopalata, et Zonaras. Part. 3. partum equae referunt. *b*) Baron. ad. an. 912.

vum in Palaestina Regnum Hierosolymitanum stabiliverint, ubi *Bullionaeus* primus rex proclamatus erat, sub hoc regno fuerunt hae regiones, uti *Edessae* Comitatus, Principatus *Antiochenus* in Coele Syria, Comitatus *Tripolitanus,* et fere tota *Galilaea*, duravitque hoc regnum sub Christianis Principibus circiter 88. annos. Porro hoc seculo Schisma *Photii* denuo in acres contentiones, fulmina et anathemata erupit ad ann. 1054. sub *Leone* IX. Pontifice Romano, et *Michaele Cerulario* Constantinopolitano Patriarcha. *Occasio* dissidii proxima fuit *Cerularii* epistola gemina, *prima* ad *Joannem* Tranensem in Apulia Episcopum, secunda ad *Petrum* Antiochenum, utraque contra Latinorum sententiam de *Azymis*, *de processione Spiritus S. de jejunio Sabbathi*, *de barbis sacerdotum*, *de rigore jejunii quadragesimalis. etc.* Hinc schisma inter utramque Ecclesiam roboratum est ad mutua usque anathemata. Interim sequentibus seculis consilia saepius erant agitata de reducenda concordia, potissimum ob subsidia contra Turcos obtinenda, sed irrito successu. *a*) Praeterea status Ecclesiae miserimus fuit ob Saracenorum incursiones, Patriarcharum superbiam, rituum superstitiones, Monachorum ignaviam, et haeresium reliquias, nec non literarum interitum: *b*) *Se-*

---

*a*) Allatius. L. 2. c. 4. n. 7. seq. *b*) Zonaras. Annal. Part. 3. Anna. Comnena. Alexiados L. 15.

*Seculo XII.* In oriente recuperata Palaestina, per varias Christianorum Principum susceptas expeditiones Religio quidem augmentum accepit, sed res Christianorum erant nimium labefactatae, perditissimis moribus, perfidiis, luxuriae impietate ac nefandis facinoribus tam in Clero, quam in populo dispersis. Fuit etiam famosa haeresis. 1117. *Bogomitorum* cujus auctor *Basilius* professione medicus, habitu monachus fuit, *a*) cujus Doctrinae capita erant, humilitas sub specie sanctitatis, hinc jejunia et coelibatum exercuerunt quasi cum Deo conversati, libros Mosaicos non receperunt, Decalogum tamen profitebantur, in mysterio Incarnationis discesserunt de Sacramento Baptismi et Eucharistiae contemptim senserunt, etc. His accesserunt varii errores, superstitiones et abusus, qui in Ecclesias Graecas irrepserunt ob varietatem sectarum, quae licet in ritibus variis dissentirent, sub *Manuele* tamen *Comneno* cum Constantinopolitana Ecclesia conciliatae sunt; continuatae interim erant dissensiones inter Ecclesiam Graecam et Romanam, *b*) licet repetitum fuisset aliquoties unionis negotium, seu potius reductionis Graecorum, sed infelici successu. Post captam a' Latinis Hierosolymam, nati sunt *Ordines militares* seu *equestres*, uti primus fuit

*Ho-*

---

*a*) Panopl. T. 23. Alexia Comnena. L. 8. *b*) Leo Allatius. de perpetua Consens. L. 2. c. 10. seq.

*Hospitalariorum* seu *Xenodochii* juxta sepulchrum Dominicum, pro fovendis excipiendisque perigrinis, pauperibus, et aegrotis, quibus additum erat oratorum *Joanni* Elemosynario, unde iidem *Joannitae* vocari coeperunt; qui tamen Ordo primum *militaris* seu *equestris* evasit ad an. 1118. a *Geraldo* quodam viro nobili, qui assumptis vestibus alba cruce signatis, cum suis fratribus ad terrae S. et peregrinantium defensionem in armis prodiverunt; et hi *Militares Equites* dicebantur; qui vero domi aegrotis inserviverunt, dicti sunt *Equites S. Lazari*. Hi porro a parvis initiis brevi plane ad regiam potentiam armis et dotationibus erant evecti, sub Magistris Militiae in septem nationes distributi, demum in *Sacerdotes*, *Equites* et *Famulantes* distincti; tardius quum Rhodum insulam obtinuissent, *Rhodii Milites*, post occupatam vero a *Solimanno* Rhodum, *Melitenses Equites* a loco habitationis dicti sunt. Eodem fere tempore affinis illi, equestris ordo *Templariorum*, seu *Fratrum Militiae Templi* a loco habitationis Hierosolymitanae prope templum Dominicum a *Balduino* II. rege iis concesso, ut peregrinos a Saracenis immunes praestarent, et vias publicas tutas redderent; quorum vestis candida cum rubra cruce erat, cujus tamen ordinis, ob varia flagitia, universalis strages ducentisimo circiter post institutionem anno secuta est. Cujusmodi ordines etiam in occidente erant instituti, ut suo loco videbimus.

*Secu-*

*Seculum XIII.* Orientalis Ecclesiae ſacies omni ex parte luctuosissima fuit ob jugum Barbarorum, et sectam imprimis Eutychianorum, Jacobitarum, Nestorianorum, quibus omnes Orientis sedes refertae erant ad ultimos Aegypti et Jndiae septemtrionalis fines; item ob multiplicem corruptelam, in ipsam Graecam Ecclesiam quoad ritus, regimen et mores invalescentem adeo, ut nihil jam appareret praeter Christianum nomen et symbola orthodoxiae. Ad ultimum tamen Orientem protensa gens Tartarica duce *Chingis-Chan*, ad initia hujus seculi religionem Christianam assumpsisse refertur. *a*) Susceptae erant variae expeditiones in orientem, ubi tandem Christiani Syria tota et Palaestina a Saracenis erant pulsi an. 1291. fuitque sacri belli finis acceleratus Christianorum intestinis odiis, execrandoque vitae genere inter ipsos moratiores barbaros. Itaque Graeca Ecclesia illinc a Saracenis, hinc a Latinis mire fuit vexata, ob constantem a Romana Ecclesia dissensionem, non modo de primatus dignitate, sed etiam quoad *doctrinam* et *ritus*, ita non admiserunt in Eucharistiae Sacramento transubstantiationem, nec adorationem Hostiae, nec circumgestationem ejus, nec conse-

---

*a*) Sed adeo repugnantibus circumstantis, ut plane omnis haec conversio gentis barbarae suspecta videatur. ap. Haytonem. Paul. Venetum. Vincentium Bellovacensem. Anton. in Chron. etc.

consecrationis latinae formam. etc. Deinde de Spiritu S. de Purgatorio, de Coelibatu et aliis invecti sunt in Latinos, accusantes eorum pravas doctrinas, novitates, haereses, separationem veteris Romae. *a*) Hinc etiam Concilium fuit convocatum Lugdunense II. potissimum ob reductionem Graecorum ad communionem Romanae Ecclesiae an. 1274. a qua discessisse primum Graecos a *Photii* aut *Michaelis Cerularii* temporibus quidam contendunt *b*) sed incassum. Hinc contra Graecos indictum fuit, festum Corporis Christi, et adoratio Hostiae sacrae.

*Seculum XIV.* Orientalem Ecclesiam quaquaversum oppresserunt Saraceni et Turcae, et hi duce *Othomanno* arma in Europam illaturi, brevi orientali Imperio exitium attulerunt; quo plurimum contulisse videntur constans Graecorum aversio a Latinorum dominatu, doctrina et ritibus, prout *Allatius* *c*) sic testatur: *Graeci his temporibus summa animi contentione Schisma foverunt.*

§. 3. *Status Politicus et forma Regiminis.* Imperium orientale post ruinam Imperii occidentalis per mille fere annos, imperiali dignitate continuo vigente, violenta licet Principum successione saepe turbatum, tamen non modo stetit,

*a*) Epistolae Graecor. ad Innocentium III. ad Gregorium IX. ap. Leonem Allatium. Pachymeres. L. 6. *b*) Pachymeres. Histor. L. 5. c. 10. 11. Odoricus Raynaldns. T. 11. Conciliorum. *c*) L. 11. c. 16. et 17.

stetit, sed interdum etiam caput attollere, potentiamque extendere coepit, imprimis imperante *Justiniano*, qui Vandalorum regnum in Africa, Gothorum vero in Italia feliciter evertit: *a*) qui initio statim imperii anno animum ad emendandam rempublicam adjiciens, *Jus Civile* seu *Leges* per maximos Juris Consultos collegit et emendari jussit, quae leges hodie etiam in Scholis et foro usurpantur; *b*) quo de labore ejusque praecipuo administro *Triboniano* varia judicia feruntur; etiam recentiorum Juris Consultorum. Eo imperante etiam duo Monachi ex Jndia Byzantium venientes bombycum ova attulerunt, sericique conficiendi modum Graecos docuerunt: praeclarum certe inventum, nisi ad materiam luxus mortales imprimis hodie abuterentur. *c*) Verum haec summa Graecorum potentia tractu temporis adeo decrescere coepit, ut status ejus politicus imprimis a morte *Leonis* Philosophi miserrimus evaderet; cujus Imperii occasum mascule promoverunt I. Bulgarorum incursiones, qui partem Imperii sibi asseruerunt: item Saracenorum in oriente progressus, qui Syriam, Palaestinam, Aegyptum, Ciliciam, finitimasque regio-

---

*a*) Procop. L. 1. de bell. Goth. Jornand. de reb. Goth. c. 60. *b*) Proëmium. Institutionum. I. C. item Constit. de novo Codice faciendo, quae Codici praemittitur. Forsterii. Hist. Jur. Civ. Roder. Forner. 1. rer quotid. c. 17. *c*) Tursell. Bisciolus. L. 2. c. 15.

regiones, inde reliquam orbis Romani partem percursantes, ipsam etiam Constantinopolim obsidione cinxerunt. Erant hi *Mahomedis* sectatores, alioquin fanatico furore animati, firmiter credentes sibi totum orbem fato esse destinatum, qua fiducia excitati, tanta animi constantia finitimos aggressi sunt, ut nulla deinceps gens eorum armis resistere posset. II. Ipsi Imperatores ignavi, molles, libidinosi, qualis fuit *Alexander* filius Basilii Macedonis, *Constantinus Porphyrogenita* deditus otio literario, *Romanus* Junior. etc. III. Varia eaque crebra certamina intestina, seditiones, filiorum rebelliones contra patres, et parricidia, uti *Joannis Zimiscis*, in *Nicephoro Phoca* Imp. admissum. *a*) In isto rerum statu, quum aegre Imperium se tueretur, fractis Graecorum viribus, et Imperio devastato, amplius adhuc luctuosa evasit politiae facies per arma Latinorum, a quibus etiam duce *Balduino* Flandriae Comite an. 1214. et seq. auxiliantibus Francis et Venetis ipsa Constantinopolis capta fuit. *Trebisondae* etiam novus prodivit Imperator, urbe ea cum vicinis provinciis a corpore imperii avulsa. Accesserunt his IV. Principes desides, et infidi, aut superstitiosi, qualis fuit *Manuel Comnenus*, *Joannis* filius, alii autem violenti invasores imperii, uti *Andronicus*, *Isacius Angelus*, *Alexius*

*a*) Leunclavius. ex Hist. Byzantinis, Curopalates, Zonaras. T. 3. etc.

*xius Angelus*, ipse ab *Alexio Angelo* throno deturbatus. *a*) Ad ultimum istud Imperium funditus deleverunt Turcae, Scythicae Asiaticae ultra Tanaim populi, gens bellicosissima *Heraclio* imperante Caspiis oris eggressa orientem late pervagabatur, Seculo XI. adoptatis Mahomedanorum sacris in plures Principatus erant divisi, sed oppressis aut exstinctis aliis, unius *Otthomanni* posteri rerum potiti, ejus bellica virtute inter suos eminuerunt ad finem Seculi XIII. a quo mox Phrygia tota, Galatia, Cappadocia ac Mysia subacta, imo quidquid Graeci seu alii satrapae Turcarum in Natolia aut Romania Asiatica possiderent, inde transmissis in Thraciam octo millibus Turcarum, Graecorum regiones ad Istrum usque infestavit; sicque Monarchiae Turcicae fundamenta jacta sunt, circa an. 1296. Ex cujus successoribus *Amurathes* arma in Macedoniam prolaturus ubique triumphator, primus Imperatoris titulo superbiit, addita *Portae* Othomannice Majestate, ex captivis Turcicismum amplexis militiam *Janissariam* instituit; a quo tempore augendae Turcorum potentiae *instrumenta* erant. I. Dissidentes etiam in occidente Christiani Principes. II. Latinorum in Graecos odia, quod unionem Ecclesiae Romanae inire nollent, hinc negata aut saltem dilata subsidia. III.



---

*a*) Nicetas Choniates. in Manuele Comneno. L. 6. Hottinger. Hist. c. 12. sect. 1.

Graecorum molles animi, qui prius Turcas negligentes, dein etiam Thratiam aliasque regiones illis misere vastandas permiserunt. *a*) IV. Genuensium et Venetorum aemulatio, qui communi hosti res suas agere permiserunt. V. Imperatorum orientis, uti *Andronici* et nepotis domestica dissidia. *Joannis Cantacuseni* tyrannidem usurpantis perfidia. Item *Joannis Palaeologi* otiosi spectatoris, imo Turcis stipendiarii, ignavia. Tandem *Manuelis* et *Comneni* impotentia dum Constantinopolis obsideretur. *b*) Ex his igitur infaustis initiis tandem sub *Constantino Palaeologo Joannis* fratre et successore an. 1453. Imperium Graecum seu Constantinopolitanum ab *Constantino* M. coeptum, sub *Constantino VII.* finem accepit, nam die 29. Maji. an. 1453. capta urbe Constantinopoli a *Muhamede II.* dum ipse *Constantinus* Imp. fugam tentaret, in porta trucidatus est, cujus caput hastae infixum, et per castra *Mahomedis* circumlatum fuit. *c*) A quo tempore orientale Romanum Imperium, Turcicum jugum subivit,

quod

---

*a*) Leunclavius in Pandectis. Turcor. c. 24. *b*) Pachymeres. Hist. L. 7. Nicephor. Gregoras. Laonicus Chalcocondylas, Joan. Cantacuzenus. Imp. dein Monachus ingenuus, scriptor de reb. Graecor. etc. *c*) de reb. Graecor. ex professo tractant Gregor. Phranza. Laon. Chalcocondylas. Leonard. Chius, Isidorus Ruthenus. ap. Bzovium. ad an. 1453. item Martinum Cruzium, qui Graecorum Historiam Politicam latine reddidit. ex illis autem alii.

quod in hodiernum usqe diem durat. Permissum tamen Byzantinis erat, Patriarchas suos, suaque sacra porro retinendi.

§. 4. *Status Belli, et memoria Principum Virorum.* Exstincto occidentis Imperio, solus in orbe Romano Orientali *Anastasius Dicorus* ab *Ariadna* Imperatrice in thronum, et imperium vocatus, praeesse coepit, qui initio statim egregii Principis munere fungi volens, Chrysargyrum seu foeda tributa ex meretriciis amoribus pendi solita, abolevit, omniaque officia gratis et meritis contulit. *a*) Sub eo primo *Bulgari* ab extremis septemtrionis plagis irruerunt, quibus tamen soluta magna summa reditum persvasit, *b*) quo pretio etiam Persas *c*) sibi conciliavit. Eutychianae sectae addictus, *Theodoricum* ostrogothorum Regem, Legitimum Hispaniarum Regem esse agnovit; demum suis invisus, seditione civium, belloque *d*) intestino, duce *Vitaliano* nimis agitatus, tandem fulmine ex oraculo praescito interiisse fertur, quem licet *Proclus* ejus Mathematicus, sub fornice in hunc finem fabricato, a fulmine, securum esse jussisset, tamen an. regni 27. illo percussus est. *e*) an. 518. Ei successit:

t 2 *Ju-*

*a*) Evagr. L. 3. c. 39. Cedren. in Hist. Niceph. L. 16. c. 25. seq. *b*) Marcell. Comes in Chron. *c*) Idem. Evagr. L. 3. c. 38. *d*) Idem. L. 3. c. 43. seq. Marcell. Com. in Chron. Niceph. L. 16. c. 38. *e*) Marcell. Com. et Cedren. de morte ejus.

*Justinus.* I. Pastoricia gente ortus, opificio Faber lignarius, litterarum ignarus, a militibus tamen ad solium evectus, mox statum imperii et Ecclesiae correxit, *a*) *Vitalianum* ut sibi regnum firmaret consulem creavit, sed brevi imperium affectantem obtruncari jussit. *b*) Alias piissimus Imperator in salutem subditorum IX. Annis paefuit, ac *Justinianum* ex sorore nepotem imperii haeredem constituens, ex vulnere male curato decessit, an. 527. aetatis 77. symbolum erat: *Quod pudet, hoc pigeat. c*)

*Justinianus I. M.* Laudatus princeps mox animum ad pacis bellique statum emandandum adjecit, *Cabadem* ejusque filium *Cosroem* Persam vicit. *d*) Per supremum belli ducem *Belisarium*, sex Vandalorum regulos, qui in Africanis Algirii, Tuneti, Tripolitanis, aliisque maritimis locis sex regna erexerant, intra semestre fudit, ex quibus *Gilimerem* Constantinopolim in triumphum duxit, et regnum Vandalorum evertit. *e*) Gothos per *Narsetem* Italia fere exigit. Nec alia bella imperio deerant, nam Venetia a Francis, Illyricum ab Herulis, Graecia a Slavis misere vastabantur: *f*) ex quo-

*a*) Evagr. L. 4. c. 1. seq. Niceph. L. 17. c. 1. Procop. in anecdotis. c. 6. *b*) Evagr. L. 4. c. 3. Niceph. ibid. *c*) Idem. ibid. c. 9. Paul. Diac. L. 15. *d*) Procop. de bel. Vandal. L. 1. et de bell. Pers. L. 1. *e*) Niceph. L. 17. c. 10. seq. Paul. Diac. L. 16. et 17. Evagr. L. 4. c. 17. 24. *f*) Procop. L. 3. de bell. Goth. Paul. Diac. L. 18.

quorum spoliis stupendi operis *Templum Sophiae* Constantinopoli erexit. *Belisarium* falso seditionis accusatum, liberum e carcere dimisit. *Jus Civile* seu Institutiones in *Codicem Justinianum* opera Triboniani I. Cti. publicavit. Tandem expletis Imperii 38. annis, felix decessit; an. 563. symbolum habuit: *Summum Jus, Summa injustitia. a*)

*Justinus II. Justiniani* sorore natus, *Curopolates* dictus pacem cum Persis factam, denegato iis tributo dissolvit, magno Romanorum dedecore. *b*) Alias Princeps pius et simplex, utpote qui *Sophiae* uxoris svasu, praestantem belli ducem suum *Narsetem* ex Africa in Asiam revocavit, qui ut erat Eunuchus, verbis mordacibus ab imperatrice irritatus, vel juxta alios, *c*) *Narsetis* gloriae invidens, belli et pacis artibus inclytum virum Italiae administratione amovit, *Longinum* vero in Italiam pro Exarcho misit. Qua contumelia *Narses* affectus, mox vindictae studio Longobardos ex Pannonia in Italiam invitavit, qui etiam duce *Alboino* cum ingenti 200. milium exercitu Italiam ingressi, et pulsis inde Visigothis, occupantes; Regnum Longobardicum ibi erexerunt, qua

---

*a*) Procop. de aedificiis Justiniani M. L. 1. c. 1 Evagr. L. 4. c. 30. *b*) Evagr. L. 5. c. 7. seq. Niceph. L. 17. c. 37. seq. *c*) Idem. L. 17. c. 33.—39. et L. 18. c. 1. Evagr. L. 5. c. 1.—39. Paul. Diac. L. 18. Const. Porphyrde adm. Imp. c. 27.

qua vice Graecis nihil praeter quinque urbes uti: Ravennam, Romam, Spoletum, Neapolim et Beneventum in Italia relictum fuit, ubi *Justinus* Exarchatum instituens, *Longinum* titulo Exarchi praeficit. Hi Exarchi deinceps etiam, quorum sedes Ravenae erat, ab Imperatore Constantinopoli missi sunt, ad defendendam contra Longobardos veliquam Italie partem. Quorum Exarchatus per 185. annos, sub 17. Exarchis perstitit, donec a Longobardis penitus deletum esset. Ceterum *Justinus* per Praefectum Urbis justitiam strenue administravit, ac post XII. imperii annos *Tiberium* successorem nominans, melior monitor, quam Imperator, decessit, hoc Symbolo: *Libertas, res inaestimabilis.*

*Tiberius II.* Thrax, *Justini* gener, anno 579. et seq. per *Justinianum* et *Mauritium* duces contra Persarum regem *Hormisdam* *a*) feliciter pugnavit, alias erga egenos liberalissimus, persvadens sibi, dum largas elemosynas daret, non defuturam fisco pecuniam; et revera non solum *Narsetis* amplissimos thesauros a sene quopiam indicatos, sed et in palatio suo sub lapide cruce signato, reperit. *b*) Quarto interim principatus Anno pietatis et justitiae fama inclytus princeps, ex nimio fru-

Quarto

*a*) Evagr. L. 5. c. 20. 22. et L. 6. c. 14. seq. Niceph. . L. 18. c. 2.—5. Paul. Diac. L. 17. et 18.
*b*) Niceph. L. 18. c. 1. et 2. Cedren. in Hist.

gum esu moritur, successorem *Mauritium* generum his verbis constituens: *Imperii sceptrum cogites non potentiam immoderatam, sed splendidam servitutem esse.*

*Mauritius* Cappadox, ex *Constantia* uxore 7. liberos suscepit, egregius princeps an. 583. Avares Sirenium occupantes, hostes habuit, a quibus clade affectus, insuper 12. millia capita, quos *Caganus* primo pro totidem aureis, demum dimidio imperiali restituere voluit, quod tamen pretium *Mauritius* solvere renuens partim ex aliqua avaritia, partim ex vindicta in rebelles, ideo *Caganus* in rabiem actus, omnes trucidari jussit, *a*) qua crudelitate commoti milites, licet *Mauritius Cosroem* Persarum regem a suis pulsum in regnum restituisset *b*) magna potentia; tamen mox Belliduci *Phocae* imperium detulerunt, qui *Mauritium* alias bonum principem una cum filiis e fuga retractum gladio percuti jussit, qui inter acerbissimos cruciatus illud Psalmi 118. exclamavit· *Justus es Domine, et rectum judicium tuum.* Imperii anno 17. aetatis 63. nulla re magis, quam forti, et pio vitae exitu memorandus.

*Phocas* tyranus magis quam Imperator, male partum imperium crudelitate, ebrietate et

---

*a*) Theophil. L. 3. c. 14. et L. 4. et 5. Evagr. L. 6. c. 14. seq. Niceph. L. 18. c. 28. seq. *b*) Idem. c. 36. 37. Paul. Diac. L. 17.

et nequitia gessit, cui *Cosroes* Persa Armeniam, Cappadociam, Galatiam, Paphlagoniam, Syriam, Phoeniciam, Palaestinam, imo et Sanctam Crucem velut opimum spolium eripuit. Avares Asiam et Europam, Mohomet Africam, Longobardi Italiam, Gothi Hispaniam, Franci Galliam infestabant adeo, ut imperium parum ab interitu abesset, donec *Heraclius* Africae Praefectus, procerum rogatu bellum tyranno moveret, *a*) a quo anno tyrannidis VIII. victus, omnibusque membris truncatus miserime necaretur, ut libido hominis in eo notaretur. Cujus symbolum: *Fortunam citius reperias, quam retineas.*

*Heraclius*, an. 610. imperium adeptus, primis annis multa a Persis, aliisque barbaris patiebatur, tandem iteratis victoriis adeo vires Persarum attrivit, ut *Cosroem* ad Captivos Christianos, imperii ademptas ditiones, cum Sancta Cruce in qua Salvator Noster mortuus erat, nuper in Persiam ablata, reddere compelleret, quam die 14. Septembris an. 628. Hierosolymis iterum in Calvariae locum vili veste indutus nudipes deportavit et honorifice reposuit, in cujus aeternam memoriam *Festum Exaltationis S. Crucis*, quod in hodiernum usque diem recolitur, instituit. A Saracenis tamen inde ab an. 634. variis bellis agitatus,

*a*)

---

*a*) Niceph. L. 18. 41.—55. Zanoras. T. 3. Cedrenus in Histor. Calistus. L. 18. c. 56.

*a*) Damascum, Hirosolymam et Mesopotamiam amisit. In eo vituperandus, quod fratris sui filiam *Martinam* vocatam sibi copulaverit; taliaque matrimonia licita esse declaraverit. Ceterum amissa magna imperii parte, in genitali morbo anno imperii 30. mortuus est. Symbolum ejus: *A Deo victoria.*

*Constantinus III. Heraclii* ex *Eudoxia* filius an. 641. Patri succedens, *b*) novercae *Martinae* insidiis sexto mense veneno exstinctus est. Symbolum ejus: *Insania laeta voluptas.*

*Heracleonas*, *Heraclii* ex *Martina* filius, *c*) matris dolo ad imperium pervenit decem annorum, sub tutela matris imperium sex mensibus pessime administravit; ob 7000. Christianorum cladem a Turcis Caesareae commissam, obque privigni commissum parricidium, odium omnium incurrit, neve respublica majus caperet detrimentum; capitur; et Matri lingva, ipsi vero nasus abscissus est, hinc in exilium ejecti, et misere mortui sunt.

*Constans* II. *Constantini* III. filius *Heracleoni* succedens tyrannicos spiritus sumpsit, Monothelitarum haeresi addictus, fratrem *Theodosium* vita exuit. unde mala conscientia misere vexatus est, quasi frater occisus, poculum sangvi-

---

*a*) Niceph. ad an. 611. Zonaras. in Heraclio. Cedren. in Hist. Paul. Diac. L. 18. Hist. Miscell. L. 18. *b*) Cedren. Zonaras. et Hist. Miscell. L. 18. *c*) iidem. ibid.

sangvine plenum continuo ipsi propinare vellet his dictis: *bibe frater!* sub eo Africa a Saracenis turbata, Cyprus et Rhodus amissa fuit; in Italia a Longobardis clade affectus, thesauris spoliatus, *a*) tandem Syracusis an. 668. imperii vero 27. in balneo trucidatus obiit. Symbolum: *Parendum necessitati.* Cui ab exercitu suffectus est *Mizizius* brevi post a *Constantino*, *Constantis* filio victus et occisus *b*)

*Constantinus* IV. Pogonatus seu barbatus, quoniam ex Africa quo juvenis, patris mortem ulturus discesserat, demum cum prolixa barba redierat, patri succedens, fratribus naso spoliatis, mox Saraceni Natoliam expugnantes, ipsam etiam Constantinopolim obsidione cinxerunt, donec *Callinici* Geometrae *igne Graeco* (qui solo aceto exstingvi potest) exusta classe, solvere compellerentur an. 673. A Bulgaris non una clade affectus, eis Mysiam concessit cum tributo, ac relicto filio *Justiniano*, an. Imperii 17. obiit. an. 685. Symb. *Quod cito fit, cito perit.* *c*)

*Justinianus II.* prioris filius *Rhinotmetus* dictus, ob nares a *Leontio* duce ideo abscissas, quod fidem Saracenis datam violaverit, qui initio contra Bulgaros et Saracenos felix, demum

---

*a*) Cedrem Zan. et Hist. Miscell. L. 19. Paul. Diac. de gest. Longobard. L. 5. c. 6. — 11. *b*) Paul. Diac. L. 5. Longob. c. 12. Cedren. et Zonaras. *c*) Zanaras. T. 3. Cedren. in Hist. Paul. Diac. L. 19. Hist. Miscell. L. 19.

mum post defectionem Slavorum multa damna imperio procuravit, hinc dum magna crudelitate in Constantinopolitanos saeviret, *a*) odium omnium incurrens, *Leontium* ducem cuncti animarunt, ut contra inquietum Imperatorem arma sumeret, qui etiam Praetorium occupans, *Justinianum* captum in exilium relegavit.

*Leontius* seditione thronum invadens, mox Saracenis Africam, per *Joannem* fratrem feliciter extorsit; sed Saraceni anno sequenti fortiores eam receperunt, unde milites *Joannis* in fugam acti, mox pudore et ira furentes contra *Leontium* quod auxilium in tempore non miserit, Imperatorem declararunt *Tiberium Absimarum* *b*) qui dolo Constantinopolim immissus, *Leontium* naso truncatum Monasterio inclusit, quum imperasset annis tribus.

*Tiberius Absimarus.* an. 698. imperio potitus, mox fratrem suum *Heraclium* contra Saracenos instruxit, qui Syriam ingressus, clade 200. millium Saracenos profligavit, amplissimisque spoliis victor domum remeavit. *c*) Interim *Justinianus* II., decimo fere exilii anno e custodia elapsus, *Trebellini* Bulgarorum regis auxilio, cujus filiam *Theodoram* firmioris vinculi gratia in uxorem duxerat, Imperio restitutus, mox *Leontium* et *Absimarum* usurpato-

*a*) Iidem. ibid. *b*) Niceph. Const. Miscell. L. 19. et 20. Paul. Diac. L. 20. *c*) Zonar. L. 14. c. 23. Theophan. p. 310- Cedren. P. II. p. 444.

patores, ad pedes conculcatos, acclamante populo: *super Aspidem et Basiliscum ambulabis*, una cum aliis supplicio affici jussit; imo quoties truncas nares emungebat, semper unum e *Leontii* amicis mactari praecepit. Strenuum etiam *Heraclium* Turcarum terrorem ad moenia urbis suspendit. Postea ingratus contra Bulgaros arma infeliciter sumpsit. Chersonenses quia illum in exilio existentem viliter habuerunt, crudeliter Principibus assatis, magno numero trucidavit: qua nimia crudelitate *Justinianus* adeo se exosum reddidit; ut inita conspiratione *Philippicum* ducem Imperatorem dicerent, qui capta urbe, *Justinianum* una cum filio *Tiberio* trucidavit. *a*)

*Philippicus Bardanes.* an. 711. a Bulgaris Thraciam, a Saracenis Asiam impune vastari permisit, sacrarum imaginum hostis, et Monothelita, ob turbatam Ecclesiae rem brevi imperio gaudens suis exosus, an. 713. dum potus dormiret, captus oculis erutis in exilium relegatus est. *b*) Symbol. *Fortuna cito reposcit, quae dedit.*

*Anastasius Artenius* antea Imperii Cancellarius, a militibus Imperator renunciatus, dum contra Turcas navalem classem expediret, Milites *Theodosium* rebellione Imperatorem dixerunt,

---

*a*) Zonar. L. 14. c. 24. 25. Niceph. p. 28. Theophan. p. 311. seq. *b*) Zonaras. L. 14. c. 26. Paul. Diac. L. 4. c. 34. Cedren. P. II. p. 448. Sigonius. in Hist.

xerunt, qui mox reversus Urbem obtinens, *Artemium* in Monachum totondit demum imperium affectantem, per *Leonem* ducem occidi jussit.

*Theodosius III.* vix Imperium an. 714. assumsit, mox insolentes milites *Leonem* ducem Imperatorem acclamarunt, qui etiam *Leonem* timens, *a*) secundo anno, imperio deposito, sese in Claustro abscondit, cum Symbolo: *Patientia remedium malorum.*

*Leo III.* natione Isaurus, sutoris filius, rem bellicam strenue gerens, a militibus Imperator creatus, filium *Constantinum* ex *Maria* Uxore suscepit. Mox a Turcis infestatus, qui ter mille navibus Constantinoplim obsiderunt. maxima virtute eam defendit, nam Classis Turcarum adeo confracta est, ut vix 5. naves evaserint, in continenti vero 22. millia Turcorum caesa fuisse perhibentur, aliis plurimis peste consumptis. Quia vero ei adhuc qua gregario praedictum esset ab Judaeo quodam, se Imperatorem futurum, nunc qua Imperator, ab eodem Judaeo novam praedictionem audivit, nempe se victurum centum annis, si omnes Catholicorum imagines dejecerit, Quibus dictis *Leo* credens, gravissime in pias imagines, eorumque Cultores Chrisianos desaeviit; quare a *Gregorio II.* Pont. Anathemata percussus est, quo tamen non obstante, 12. Bibliothecarios

---

*a*) Zonaras ibid. c. 28. Theophan. et Niceph. ibid.

*thecarios* Imaginum defensores una cum Bibliotheca 300. mill. librorum comburi jussit: tandem postquam classem contra Pontificem in mari Adriatico tempestatibus agitatam amisisset, anno imperii 25. intestinorum dolore punitus, obiit an. 741. *a*)

*Constantinus Copronymus. Leonis* filius, infans duorum annorum a patre adhuc coronatus, *Copronimus* dictus; quod in baptismate sacrum fontem excrementis suis infecerit. Tres habuit uxores I. *Cagani* Scytharum regis filiam, dein baptisatam *Helenam* dictam, ex qua suscepit *Leonem* IV. successorem. II. *Maria* brevi mortua. III. *Eudoxia*, ex qua genuit *Christophorum*, *Nicephorum*, et *Nicetam*, Caesares. *Copronymus* hic alias pessimus Princeps Iconoclasta, cui foetor stercorum caballinorum pro deliciis fuit, sacras imagines et reliquias undique dejecit, et in mare demersit, Monachos et Moniales matrimonium inire compulit. *Artavasdo* affini imperium arreptum eripuit; Exarchatum Ravennatensem in Italia amisit; Saracenos per Syriam fugavit, Bulgarorum regem *Zeletinem* perdomuit; Slavos provinciis Romanis expulit. Sub eo horrenda peste magna hominum pars perivit; magnus terraemotus orbem concussit; Constantinopolitanam Synodum

*a*) Zonaras. T. 3. Paul. Diac. L. 21. et Longob. L. 6. c. 47. seq. Sigonius. L. 3. Manasses in Annal. Miscell. L. 21.

nodum convocavit, et in ea cultum imaginum condemnavit. Tandem dum Bulgaros denuo oppugnaret, *a*) pestifera pustula correptus, tanto dolore cruciabatur, ut saepius exclamaret: *Inferni ignis me vivum exurit!* inter quae exspiravit, an. regiminis 35. cujus cadaver pestilens combustum, cineres vero in mare injecti sunt. Symbol. *Quod sine pectore Corpus.*

*Leo IV. Porphyrogeneta*, Princeps Iconoclasta, patris vestigia secutus, ex *Irene* uxore filium *Constantinum* Collegam imperii, fratrem vero *Nicephorum* rebellem Monachum fecit. *Telerichum* Bulgarorum regem a suis exauctoratum in affinitatem assumpsit, ejusque ope quinque Turcorum in Syria Emiros, et 6000. Arabum feliciter occidit; Coronam e *Sophiae* templo abstulit, ac regiminis anno 5. mortuus est: *b*) Symbolum: *Quo fortuna, si non utaris.*

*Constantinus VI. Leonis* filius, quum decimum circiter ageret annum initio sub matris *Iremis* tutela an. 780. regnare coepit, *Nicephorum* in Sicilia rebellantem feliciter repressit, Slavos ex Graecia pepulit, Saracenos tributo promisso sibi conciliavit, adultior legitimam suam coujugem repudiavit, Matrem vero

---

*a*) Paul. Diac. L. 22. Mich. Glycas. Annal. L. 4. Niceph. Constantinus. Cedrenus. Zonaras. *b*) Niceph. p. 41. seq. Theophan. p. 358. — 382. Hist. Miscell. L. 23.

ro *Irenem* nimium imperiosam ab imperio amovit, unde variis turbis exortis, occasionem dedit, eoque rem communem perduxit sua levitate, ut Matrem suam in regentem imperii admittere cogeretur, imo temeraria sua in Bulgaros expeditione, comissaque in Patruos crudelitate adeo omnium odium incurrit, ut eum Mater summa saevitia excaecari curaret, eadem die et hora, qua ille ante quinque annos *Christophorum*, *Nicephornm*, et *Nicetam* patruos oculis privavit; qui etiam post 5. annos mortuus est. *a*) A quo tempore *Irene* sumpto regni sceptro, Synodi Nicenae an. 787. celebratae canonibus firmiter inhaerens, Iconomachos omnes toto Imperio exulare jussit. Sub cujus regimine occidentale Imperium Romanum restauratum est in *Carolo M.* qui *Irenem* matrimonio sibi copulare statuit, sed dum legatio Constantinopolim adveniret, ut ratione matrimonii, et terminorum Italiae tractatum perficeret, recte *Irenes* a seditiosis exauctorata, et a *Nicephoro* novo Imperatore creato primum Coenobio inclusa, mox in insulam *Lesbum* relegata ita saevere custodita fuit, ut moerore contabesceret; an. 802. cum qua etiam omnis spes matrimonii evanuit.

*Nice-*

---

*a*) Zonaras. T. 3. Rhegino. L. 2. Theophan. p. 384. — 405. Miscell. L. 23. Cedren. p. 468. — 474. Du Fresne. Fam. Byzant. p. 126. Mich. Glycas. Part. 4. Annal.

*Nicephorus* an. 820. imperio arrepto, *Bardanem* tyrannum oppressum oculis privavit, Gallicam legationem honorifice exceptam, adjungens ei suos legotos in occidentem remisit, et ratione terminorum Italiae, omnem Jurisdictionem *Carolo* M. cessit, hac clausula: ut Imperatoribus orientis solum regnum Siciliae et Neapolis remaneret. A quo tempore duo Imperatores esse coeperunt, in occidente *Carolus* M. ejusque successores, (de quibus infra sub Imperio Germanico plura videbimus.) In oriente autem *Necephorus* *a*) qui a Saracenis et Bulgaris magnas accepit clades, imo cum novam expeditionem contra Bulgaros tentasset, ab iis captus et cum omni nobilitate decapitatus est, cujus cranium pro calice usurpavit Bulgarorum rex *Crunnus*, ex quo vinum sodalibus propinare solebat.

*Michael Curopalates* an. 811. ex aulae Praefecto post caedem *Nicephori* Imperator salutatus, pacem cum *Carolo M.* renovavit, Iconomachiam exstirpare volens in odium plebis incidit, demum contra Bulgaros infeliciter pugnans, Milites deficientes mox *Leonem Armenium* Imperatorem proclamarunt, *b*) qui ut rebellionem in audivisset, sponte Imperium *Leoni* cedens, ipse in monasterium secessit an. 813.



---

*a*) Cedren. Zonaras. ibid. Miscell. L. 23. et 24. *b*) Joan. Scylizes, Zonaras.

*Leo Armenius*. an. 813. Imperator electus, *Crunnum* Bulgarum magna clade vicit, inclinantemque aciem factis et dictis erexit; similiter et civilibus artibus clarus, omnia munia publica selectissimis viris pro merito detulit, Iconomachorum sectator evadens, anno regiminis VII. a *Michaele Balbo* quem antea in Belliducem creaverat, inique cum conjuratis, ipso natalis *Christi* festo, inter sacra nocturna trucidatus est, *a*) an. 820.

*Michael Balbus* post caedem *Leonis* a rebellibus e carcere eductus, una cum conpedibus ad thronum fuit elevatus, literarum adeo ignarus, ut vix nomen suum exscribere potuerit, omnes *Leonis* filios castrari jubens, una cum *Theodosia* in exilium relegavit; Iconoclastarum erroribus favit, quibus intentus, Turcae interim in Siciliam navigantes, Graecorum omnes regiones occuparunt, imo et Cretam insulam interceperunt, post haec nono regiminis anno amens mortuus est, cui successit filius.

*Theophilus* an. 830. Iconomachus, impietate certans cum patre, sacras imagines pingi prohibuit, earum loco avium simulacra collocans, quae lex magnam sensationem piis hominibus concitavit. *Leonis* tamen caedem antea impunitam, tamquam immanis facinoris scandalum tollere volens, omnes complices, Laesae Majestatis reos, carnifici tradidit: *b*) tandem

---

*a*) Cedrenus. Zonaras, Curopalates. *b*) iidem fuse referunt.

dem infelix in bellis saracenicis, in melancholiam incidens anno regiminis 13. mortuus est, relinquens filium *Michaelem* parvulum, cui *Theodoram* Uxorem in tutricem constituit.

*Michael III.* an. 841. donec cum matre imperitavit, cuncta prospere succedebant, nam *Theodora* tota a viro diversa, auxiliante *Manuele* duce, mirum in modum sacras imagines earumque cultum statim restituit, haeresim iconoclastarum, quae 120. annis Ecclesiam vexaverat, una cum Manicheorum haeresi penitus exstirpavit; *Bogorem* vero Bulgarorum regem, pacem cum eo constanter servando, ad Christiana sacra suscipienda permovit. Tandem filio ad legitimam aetatem pervenienti Imperium sponte cedens, simul thesaurum 29. millionum Imperialium tradidit. Post quae *Michael* in vitia ruens, Matrem coenobio inclusit, luxuriis et compotationibus nimis indulgendo omnem thesaurum dilapidavit; *Basilium* in stabulo servum, Caesarem, constituit, sed quum eam dignitatem etiam uni nautarum contulisset, *Basilius* timens, brevi *Michaelem* per latrones, temulentum trucididavit, an. regni 25. *a*)

*Basilius Macedo* e Stabulo ad Thronum evectus, mox aerarium adeo instauravit, ut ex collectis 300. centenariis. auri, militiam splendidissimam contra Turcos conscriberet,



*a*) Zonaras. T. 3.

de quibus felices victorias reportans, amissas in Italia provincias recuperaret. *a*) Interim filium *Constantinum* dilectissimum morte amissum, lugens nimis videre cupivisset, *Theodorus Santabarenus* Monachus arte magna, eum Imperatori praesentavit; contra alterum vero filium *Leonem* adeo concitavit, ut tamquam patri insidians in carceres conjiceretur innocens, unde tamen ad interpositionem Magnatum, et psittaci vocem. *Heu! Domine Leo*, tempore convivii saepius ingeminantis, eum liberum dimisit, eique in throno successit. Ceterum *Basilius* justitiae amans, omnia officia viris integerrimis detulit, in judiciis praesens, solebat praecones circummittere per urbem, qui nunciarent adesse Imperatorem ejus opera uti volentibus. Aulico tamen, qui Imperatorem e cervi cornibus liberaverat, licet praemium assignaverit, tamen pro eo, quod gladium contra Imperatorem strinxisset, et non potius cervum interremisset capitis paenam imperavit. Interim aliquot annorum felici expeditione Saracenos vincens, in maxima gloria mortuus est an. 886.

*Leo Philosophus*, filius *Basilii*, ob insignem doctrinam *Philosophus* dictus, magna nominis laude imperio praefuit, urbis tam diligentem curam habuit, ut ipse noctu vigilantiam custodum exploraret, a quibus licet et verbe-

*a*) Idem. ibid. Cedren. in Hist. Curapalates in Hist.

verberibus affectus esset, tamen eos ut fideles porro retinuit, quos vero per munera corruperat statim amovit. Bello tamen infelicissimus in Italia omnia perdidit. Vitio ei tribuunt quod penes uxorem *Theophanem*, etiam pellicem *Zoem* notorie frequentaret, unde in odium populi deveniens; vix quod in templo ipso festo Pentecostes fuste trucidatus non fuerit. Ab Hungaris, etiam, et *Simeone* Bulgaro magnam cladem accepit. Demum anno regiminis 25. ex dysenteria obiit filium *Constantinum Porphyrogenitum* sub tutela fratris *Alexandri* successorem reliquit. *a*)

*Constantinus Porphyrogenetus*, sub tutela *Alexandri* fratris Imperium auspicatus an. 912. *Alexander* hic alias socors, dum pupillum castrare niteretur, ipse simili morbo correptus, uno anno vix exacto periit, et tunc *Constantinus* Matris *Zoe* tutelae commissus est, quae etiam a *Simeone* Bulgaro Adrianopolim captam redemit; Bulgarosque non sine clade accepta vicit, a *Constantino Duca* rebelli, multa mala perferre debuit, cumque *Porphyrogenitus* adolevisset, *Romani Lacapeni* filiam in uxorem ducens, mox socerum ejusque filios diu collegas habuit, parum tamen emolumenti contra Hungaros et Bulgaros in iis experiri potuit. Ad extremum *Lacapeno* ab uno filiorum amoto,

*a*) Zonaras. T. 3. Cedren. in Hist. Sigonius. L. 6. ad an. 891. etc.

to, omnes alios ipse in ordinem redegit an. 945. et solus imperium moderari coepit; Literas hactenus neglectas restituit, princeps eruditione, variisque virtutibus *a*) celeberrimus, inter alia nobilem Librum circa an. 950. de administrando Imperio ad *Romanum* Juniorem filium suum scripsit, a quo dein impie an. 959. veneno peremtus est, quum regnasset annis 47.

*Romanus I. Constantini Porphyrogeniti* ex *Helena* filius, princeps voluptatibus deditus, dum imperii ruinam advertisset, *Nicephorum Phocam* interrogavit, unde nam veniat Imperii defectio? qui audacter reposuit: *Quia vos non intelligitis regnare, et Pater meus nil, nisi suum curat marsupium*, quo dicto exaudito, mox *Romanus* imperii curam *Nicephoro* commisit, qui etiam disciplinam militarem in vigorem restituens, arma in Turcas convertit, quibus mox Candiam, Aleppo, et Beroham feliciter eripuit. Ceterum *Romanus* homo deses paucis annis parricidio superfuit; ex nimiis crapulis diem claudens an. 963. successorem reliquit *Nicephorum Phocam*.

*Nicephorus Phocas* viduam *Theophoniam* Imperatricem in uxorem ducens, an. 963. ad Thronum elevatus, continuis victoriis contra Sara-

---

*a*) Curopalates. Cedrenus. Const. Manasses. Zonaras. Ex Excerptis collectae Bibliothecae restant. 2. Tituli de legationibus et de virtutibus ac vitiis, qui Excerptorium Peirescianorum nomine venit.

Saracenos inclytus, Ciliciam et Syriam fere omnem recepit. Cum *Ottone M.* infeliciter pugnans, provincias Italiae perdidit, ubi in majus dedecus Graecorum, *Otto* captos Orientis imperii milites, praecisis naribus mutilos Constantinopolim remisit, ob quae et alia facinora non modo suis, sed etiam *Theophaniae* exosus factus, demum ab *Joanne Zimisce*, quem Imperatrix fune in cubiculum attraxerat, dormiens in lecto trucidatus est septimo regiminis anno. *a*)

*Zimisces* artibus *Theophaniae* solium conscendens, an. 970. non prius a *Polyarcho* Patriarcha fuit coronatus, quam se ab homicidio *Nicephori* licet false purgasset, consensissetque in liberam electionem Cleri de Patriarcha constituendo; *Theophaniam* vero ex aula in Monasterium relegasset. Post haec per ducem *Bardam* Moscovitas ad 300. millia devicit. Monetam, devota hac inscriptione signavit: *Jesus Christus Rex Regum*, quae sub successoribus etiam permansit. Italiam pacis causa *Ottoni* concessit, *b*) Cumque Spadones amplas possessiones, non vero Milites habere ingemisceret, Spadones eum veneno sustulerunt, regiminis anno 6.

*Basilius II.* filius *Romani* a multis expeditionibus clarus, an. 977. *Bardam Sclerum* rebel-

---

*a*) Notabiles circumstantiae sunt apud Curopalatem. Cedrenum. Const. Manassem. *b*) iidem, et Witekindus. L. 3.

rebellem feliciter oppressit, Italiae partem *Ottoni II.* eripuit, *Bardam Phocam* insolescentem vicit; a Bulgaris initio victus, demum victor captis 15. milibus quos oculis privaverat, centesimum quemque illaesum relinquens, ut ceteris viam domum monstrarent, ob quae Bulgari ira furentes Graeciam misere vastabant, contra quos expeditionem parans, anno regni 50. in morbum incidit, et mortuus est aetatis 72. seu an. 1025. successorem relinquens fratrem suum.

*Constantinum* IX. Voluptatibus deditum, qui Pacinacitas Bulgaria ejecit, Sarecenos vero ad insulas *Cycladas* vicit cumque tribus annis regnaret, Unicam filiam *Zeo* libenter vidisset Imperatricem, quare Belli Duci suo *Romano Argyro* enixe svasit, ut uxorem suam legitimam disponeret ad Monasticam vitam amplectendam, qui casus apud Graecos matrimonium dissolvit etiam quoad vinculum. Quam Imperatoris voluntatem *Cedrenus* sic refert: *Aut Zoe ducenda, aut oculis carendum. a*) Quo facto *Romanus Zoem* Uxorem duxit, et simul successor creatus est.

*Romanus II. Argyrus.* an. 1028. mox in Sicilia quoque infeliciter pugnavit, qui dum a conjuge sua *Zoa* veneno tentatus, mortem evasisset, a *Michaele Paphlego* uxoris adultero balneo submersus interiit, ipse vero *Michael* statim cum *Zoe* copulatus, Imperium obtinuit.

*Mi-*

*a*) Zonaras paulo aliter refert. et Mich. Glycas. Part. 4.

*Michael Paphlago* vix per adulterium et Regicidium solium conscendit, jam infelici imperio usus, Siciliam contra Saracenos strenue initio per *Maniacen* defensam, brevi totam amisit; a *Petro* etiam, qui Bulgariam occupaverat victus est. Post haec amens, aut obsessus fuisse dicitur; quare *Joannes* Dux Machinationem *Zoe* veritus, id effecit, ut *Michaelis* sororis filium itidem *Michaelem* Caesarem proclamarent. Interim brevi Imperator sanitati restitutus, sponte imperium resignavit, ac in monasterium secedens, inter pietatis opera vitam finivit, regnavit 7. annis.

*Michael Calaphatus* Imperium artibus *Zoes* obtinens an. 1041. ipsam Imperatricem durius tractans, imo erga omnes homines asper, quarto regiminis mense throno dejectus, excaecatus, ac in Monasterium detrusus est.

*Constantinus Monomachus* an. 1042. succedens, mox *Zoem* Imperatricem e claustro revocatam sibi copulavit, quam brevi fastidiens vagis amoribus intentus, a Serviis victus, Bulgarorum tamen rebellionem sopivit, auctorem *Maniacem* interficiendo. *Cacicii* et *Tornicii* periculosam rebellionem in Bitynia composuit, Turcas per *Ambustum* saepius profligavit, Pacinatzitas vero post multas clades ad tricennalem pacem compulit. Demum anno regiminis 12. dolore laterum exspiravit. an. 1053. *a*)

*Theo-*

---

*a*) De his omnibus fuse Curopalates, et Zonaras. etc. Cedrenus hic desinit.

*Theodora Virgo.* Post mortem *Constantini Monomachi* Senatus unanimi voto *Thedoram* Imperatricis *Zoe* sororem, quae dudum in Monasterio piam duxerat vitam, per vim ad Thronum collocavit, quae dum alias aetate provecta esset, eodem anno 1053 mortua est.

*Michael Stratioticus*, an. 1054. ut annosus miles ad Imperium vocatus, omnia per Proceres fieri permisit, qui mox cum *Isaacio Comneno* in caput ejus conspirarunt, quod *Michael* resciens, mox deposito Imperio, se in claustrum recepit. an. 1056.

*Joannes Comnenus* an. 1057. succedens ab exercitu Imperator proclamatus, Hungaros et Bosnios ad pacem compulit. Demum in venatione a Spectro, vel juxta alios a fulmine adeo territus erat, ut altero regiminis anno sponte Imperium deponens Monachum indueret, et humilitatem imprimis professus, etiam Portarius claustri fuit.

*Constantinus Ducas*, an. 1059. a *Comneno* Imperator substitutus, pecuniae corradendae magis, quam imperio aptus, qui ex Avaritia milites non alens, ab Uzis Scythiae populis tanto terrore affectus est, ut anno regiminis 7. inglorius obiret, relicta Uxore *Eudoxia* cum tribus filiolis.

*Romanus III. Diogenes* arte *Eudoxiae* viduae ad imperium pervenit, quae priori marito juramento promiserat se viduam mansuram; interim putabat maritum novum *Romanum* titulo Imperatoris contentum futurum; sed

sed *Romanus* mox omne regimen uxori eripiens, contra Turcas expeditionem suscepit, qui initio in Syria felix multas regiones occupavit, demum ab iis victus, et *Andronici* proditione captus, a Sultano *Azane* viliter habitus collum ejus pede conculcando, certis demum conditionibus dimissus est. Interim in ejus absentia Senatus filium ejus *Michaelem Ducam* Imperatorem renunciavit, qui ingratissimus filius, patrem e captivitate reducem, per *Andronicum* ducem oculis privari jussit, et quum ex neglecta cura vermes in effossis oculis crescerent, ex nimio dolore, 4. regni anno mortuus est. *a*)

*Michael Ducas*, an. 1071. succedens, mox infelix imperium experiri cogebatur, nam dum omnia per Eunuchos ageret, *Nicephorus Botoniates* in Asia, *Nicephorus Briennius* in Thracia imperium arripuerunt, imo quum nullam imperii curam haberet, permisit in oriente Turcas omnia ad lubitum dirripere, quo in statu etiam Hungari Imperii fines infestarunt adeo: ut ad Belegradum totum exercitum Graecorum duce *Nyceta* cum omnibus praedis occupaverint. Sed tamen Hungarorum dux *Geysa* humanitate rationali ductus, omnes captivos sine mercede restituit; quare etiam Imperator *Bu-*

*a*) Curopalates. Constant, Manases. Zonaras. Glyras. contrarium tamen in aliquibus dicit Wilh. Tyrius. L. 1. c. 9. seqq.

*Ducas*, mox *Geysae* duci in signum complacentiae Coronam auream affabre factam dono misit, quae hodie cum solita Regali corona conjuncta est. Tandem *Ducas* ob suas levitates, a *Nicephoro Botoniate* auxilio Turcorum throno deturbatus et monasterio inclusus est anno regiminis 7.

*Nicephorus Botoniates.* an. 1078. imperium arreptum inter intestinas factiones, tertio regni anno, poena talionis luit, nam et ipse ab *Alexio Comneno* Duce, throno deturbatus, Monachum induere conpulsus est.

*Alexius Comnenus* filius *Isaaci* Imp. an. 1081. solium obtinens, alias bonus et liberalis, imperandi tamen cupidus, a *Guiscardo* bello vexatus, foedus cum Turcis inivit, contra quos tamen brevi occidentalium auxilium implorans, *a*) *Cruciatae expeditioni* occasionem praebuit, contra quos cruce signatos Latinos utpote insolentes, et terras Graecorum devastantes, se inimicum gessit, eos Turcis prodendo, et e vestigio persequendo. Francos tamen honeste excepit, et Niceam sibi asseruit. Ex uxore *Irene* suscepit tres filios, uti *Joanem* successorem, *Andronicum* et *Isacum* a quo Trapezuntini Imperatores ortum ducunt. Ex quatuor filiabus celeberima est *Anna Comnena Nicephoro Briennio* elocata, quae Graecorum et Patris

sui

---

*a*) Zonaras. L. 17. c. 22. seq. Anna Comnena. L. 3. — 11. Niceph. L. 4. c. 7.

sui facta eleganter descripsit. *a*) Tandem *Alexius* aetatis 70. regiminis 37. mortuus est an. 1118.

*Calojoannes Comnenus*, a Patre adhuc Imperator coronatus, contra Saracenos felices fecit progressus, prout et Latinos in oriente, Pacinacitas et Hungaros ad Istrum infestos profligavit, cum Turcis varia bella gerens, quadam vice ejus filius *Emanuel*, Sultanum *Mahumetem* viriliter aggressus devicit; ob quam relatam victoriam, filii sui generositatem in praesentia exercitus quidem collaudavit; ast quia contra ordinationem patris commiserat, ideo filium, more Turcorum verberare jussit. Ceterum per Ciliciam domum reversus, in venatione contra aprum, propriis sagittis venenatis laesus, regiminis an. 25. mortuus est. a. 1143. Ex uxore *Irene*, *Ladislai* Hungariae regis filia 4. reliquit filios, uti *Alexicum*, *Andronicum* mortuos mature, item *Isaacium*, et minimum *Manuelem* suum successorem. *b*)

*Manuel Comnenus*, fraudibus aliisque vitiis deditus princeps, ut Imperium occidentale, cum orientali conjugeret, sororem *Conradi III.* Imp. *Irenem* in uxorem duxit; qua tamen spe excidit. Christianos ex occidente venientes variis

---

*a*) Zonaras. L. 18. c. 22. Du Fresne. Fam. Byzant. sub hoc Imperatore, Glycas et Zonaras. Historiam terminarunt. *b*) Nicetas. p. 5. — 31. Cinnam. L. 1. c. 2. 3. et 4. Wilh. Tyrius. L. 12. c. 5. et L. 15. c. 23.

riis injuriis affectos, Turcis prodidit, farinam calce miscuit. *a*) A *Rogerio* siculo varias clades accepit, contra Servios et Hungaros feliciter pugnavit, *b*) cum Palaestinae principibus dissensiones habens, frustra Aegyptum oppugnavit, *c*) Venetos infeliciter aggressus, etiam cum Turcis Iconensibus ambigue pugnavit. *d*) Demum a. imperii 38. mortuus est. a. 1180. Ex secunda Conjuge *Maria* natum filium *Alexium* suceessorem reliquit.

*Alexius Comnenus*, imperium intestinis motibus concussum habuit, *Andronicus* enim Patris frater aegre ferebat se non fuisse tutorem *Alexii* nominatum, ideo specioso titulo tutorem dejiciens, ipse tutelam assumpsit, ut se in thronum eveheret, quod et praestitit, nondum exactis quatuor annis *Alexium* aetatis 15. anno, strangulando, ejusque corpus in mare injiciendo. *e*)

*Andronicus Comnenus.* 1183. maximis Latinorum seditionibus exsceptus, domi crudele imperium obtinuit, dum enim altero anno *Isaacio Angelo* duci ob periculosam rebellionem caedem moliretur, populari seditione ipse ab eo captus, dextera manu abscissa, oculis orbatus, Scabioso Camelo impositus, per ludibrium

---

*a*) Nicet. Chon. L. 1. p. 41. seq. Wilh. Tyr. L. 16. c. 20. 21. *b*) Nicet. L. 2. Cinna. L, 3. et 7. seq. *c*) Wilh. Tyr. L. 18. c. 25. 30. seq. Nicet. L. 5. *d*) Nicet. L. 6. *e*) Nicet. Chon. in Alexio. et Manuele. Wilh. Tyrius. L. 22. c. 10. 13.

um circumductus, demum duabus columnis pedibus alligatus, a furenti plebe laniatus est, cumque etiam linea *Comnenorum* exstincta est. *a*)

*Isaacius II. Angelus.* 1185. Imperator constitutus, mox *Wilhelmum* siculum aliosque hostes ex Graecia eliminavit, Bellum Valachicum varia fortuna gessit, cunctis Cruciatis militibus in terra Sancta fortiter se opposuit; *Fridericum Aenobarbum* per Thraciam et Palaestinam castra ducentem dum intercludere conaretur, ejus arma in se provocavit. Demum ab *Alexio* rebelli post multa mala captus oculis et regno privatus est a. regni 10. qui primus Familiam *Angelorum* celebrem reddidit. *b*)

*Alexius III. Angelus*, sumto *Comneni* nomine deliciis deditus, inter varias vicissitudines Imperium tenuit 8. annis, nam licet *Henrico VI.* occidentis Imperatori tributum solveret, tamen dethronisati et excoecati *Isaacii* Imperatoris partes assummens in societate *Bonifacii Montisferrati*, *Balduini* Flandri, et *Danduli* Veneti in Palaestinam proficiscentium Constantinopolim obsidens, *Alexium* deposuit, *Isaacium* vero cum filio *Alexio* ad Thronum reposuit. *c*) a. 1203.

*Isa-*

*a*) Nicetas. L. 1. toto. at L. 2. c. 1.—13. Wilh. Tyr. L. 22. c. 13. Chron. Cavense. ad an. 1185. *b*) Nicet. Chon. de Isacio. Libris. tribus loquitur. Du Fresne. Fam. Byzant. p. 202. seq. *c*) Nicet. in Alex. L. 1. 2. et 3.

*Isacius II.* restitutus cum filio *Alexio*, quum expensas belli Venetis solvere non posset, ipsi Latini totam Graeciam depraedati sunt; quibus in adjunctis quidam *Alexius Mursiphlus* fraude captum juvenem *Alexium* occidit sexto imperii mense, cujus pater *Isaacius* moerore animi contabuit. *Mursiphlas* autem tyrannidem invadens, mox secundo tyrannidis anno a Latinis obsessus et fugatus est. Quo tempore Latini Principes communi voto ad Imperium orientale, de genere Latinorum *Balduinum* Flandriae Comitem evehunt, et Graeciae Imperatorem salutarunt. a. 1204. *a*)

*Balduinus Latinus* suis promotoribus gratus, *Bonifacio* Thessalonicensem ducatum, Venetis vero Candiam concessit. Sub eo Valachi primas in Graeciam irruptiones fecerunt, a quorum duce *Joanne Balduinus* captus praescissis manibus et pedibus miser occisus est, corpus ejus inter pecudum ossa abjecit, ipso regiminis anno primo. Post cujus caedem Imperium partim a Valachis, partim ab aliis regulis discerptum erat, donec post unum annum Imperator electus fuisset. *Henricus b*)

*Henricus*, *Balduini* frater communi Latinorum consensu Imperator electus, turbulentum antea imperium, memorabili clade Valachos

---

*a*) Nicet. in Alexio. L. 3. et in Alexio Duca. Willehard. c. 133. seq. *b*) Nicet. de Imperio Balduini Flandri.

chos superans, utcunque pacavit, eaque recuperavit, quae sub fratre amissa erant; cum autem filio careret, *Jolantam* filiam *Petro Auxere* Gallo copulans, eum simul Imperatorem nominavit, a. regiminis 11. seu 1216. *a*)

*Petrus Auxere*, seu *Antissiodorensis* post sui ab *Honorio* coronationem ex Italia per Macedoniam iter faciens tertio regiminis anno, a *Theodoro Comneno* alias *Lascare* perfidiose captus, et biennio in vinculis detentus, tandem occisus est. *b*)

*Robertus* filius *Petri* ut primum Patris captivitatem, et mortem in Gallia inaudiverat, mox Constantinopolim veniens, a. 1221. patri successit, matrimonio infelix, *c*) infaustum bellum cum *Joanne Duca* et *Theodoro Comneno* gessit, qui occupata *Thessalonica* Imperatoris titulum sumpsit, sub eo vivebant *Isacius* et *Alexius* de stirpe *Angelorum*, qui contra *Robertum* semper in armis *Nicaeae* sedem fixerunt: regnavit 8. annis.

*Balduinus II.* a. 1229. *Roberto* succedens, quod Trapezuntini Imperatoris filiam in uxorem non duceret, a *Theodoro Lascare* et *Joanne Duca* urbe obsessa, in angustias redactus est, qui de urbe ipsa retinenda desperans, in

X occi-

*a*) Nicet. p. 413. Joan. Cuspinianus. in vita Henrici. *b*) Aemillan. L. 6. Blond. Dec. 2. L. 6. Gregoras. L. 1. Georg. Acropolita. L. 1. *c*) Niceph. Gregor. L. 2. c, 1. Georg. Acropolit. c. 15. seq.

occidentem venit auxilium petiturus, interim *Michael Palaeologus* per fraudem Constantinopolim occupans, *Balduinus* in Gallia mansit, privatam vitam ducturus, ubi a. 1250. mortuus est. Sic Latinorum in oriente Imperium quod 58. et amplius annis durabat, exspiravit, totumque ad Graecos denuo redivit. *a*)

*Michael VII. Palaeologus* a. 1250. erat Tutor *Joannis Lascaris* quem pater *Theodorus* pupillum successorem reliquit, sed postquam *Michael* Macedoniae despotam profligavisset, et Constantinopolim ex toto revindicasset, mox a Senatu et militibus Imperator est salutatus; ut que solium sibi firmum redderet, *Joanni Lascari* pupillo oculos eruit; dum autem *Balduinum* profugum occidentis principes ad Graeciae thronum elevare intendissent, mox *Michael* ad pacandos, sibique conciliandos occidentis Principes, juramento promisit *reunionem* Graecae Ecclesiae cum Romana, quam tamen resistente populo stabilire non potuit: interim Imperium contra Bulgaros, aliosque hostes strenue defendens, anno 1282. mortuus est, *b*) filium successorem relinquens

*Andronicum II.* qui omnem *reunionis* Ecclesiae Graecae materiam rescidit, pactis patris non

---

*a*) Niceph. Gregor. L. 2. c. 5. et L. 3. c. 1. — 8. Matth. Paris. p. 405. — 598, *b*) Niceph. Gregor. L. 4. c. 3. 4. Georg. Pachymeres Historiam incipit ab a. 1258. uaque 1308. Item Georg. Acropolita desinit ad an. 1261.

non stando. Turcis in oriente liberam permisit irruptionem, classem quasi sibi non necessariam amicis siculis destruendo; qui brevi post ob continuas Turcorum incursiones Asiam deseruit, unde in odium gentis deveniens, nepotis sui *Andronici* rebellionibus vexatus, demum ab eo regiminis anno 45. throno dejectus et in Monasterium detrusus est, aetatis 70. anno, seu 1328. *a*)

*Andronicus III. Palaeologus* 1328. regnum vi partum, haud felicius administravit, a Turcis enim magna clade affectus, *Nicaeam*, et quidquid in Asia minori possidebat, amisit; quod factum tanta defectio comitabatur, ut *Andronicus* nisi 25. equites, et 500. pedites numeraret, ideo ex nimia tristitia anno regni 13. mortuus, duos reliquit filios, *Joannem* et *Manuelem*, quibus tutorem constituit addictissimum Ministrum *Joannem Cantacuzenum*. 1341. *b*)

*Joannes Cantacuzenus* ut tutor *Joannis Palaeologi* militiam in ordinem redigens, se contra pupillum Imperatorem nominavit, qui ut Imperium sibi firmaret, filiam suam *Urchani* Turcarum Sultano elocavit, et foedus cum eo inivit, sub cujus infelici imperio Turcae in Europam delati, circa an. 1357. Callipolim, dein

x 2 Adria-

*a*) Pachymeres. L. 13. Nicephor. Gregoras. L. 8. 9. et 10. *b*) Niceph. Gregoras. L. 9. et 10. Joan. Cantacuzenus. 4. libros scripsit de reb. Andronici, et suis.

Adrianopolim sui juris fecerunt. Interim cum *Joannes* pupillus maturesceret, etsi ejusdem *Cantacuzeni* filiam *Helenam* in matrimonio teneret, tamen studio *Joannis Francisci Catalusii* Genuensis, socerum suum *Cantacuzenum* de throno deturbavit, Monasterio inclusit, et Imperium avitum deinceps solus gubernavit, sexto usurpationis anno, quo etiam in praemium fidelis servitii *Catalusio* donavit insulam *Lesbum. a*)

*Joannes Palaeologus.* 1347. Turcorum furorem ultro experiri debuit, qui occupatis non contenti, victricibus armis in Thracia Hispalam, et Phisippopolim eripuerunt, quo in periculo Romam profectus *Joannes* auxilium motivo *reunionis* petiturus, sed non obtinens, domum reversus, mox Bulgariae et Serviae Despotarum motibus se opponere compellebatur, quos ut facilius compesceret, inito cum Turcis foedere, Iis omnia ea, quae hactenus in Thracia occupaverant permisit; sed insuper quum Turcicos stipendiaros milites solvere non potuisset, Adrianopolim quoque pro solutione, jure armorum amisit. Tandem a filio suo *Andronico* rebelli, auxilio *Bajazetis* regno exutus, et una cum alio filio *Emanuele* in quadriennalem custodiam conjectus est, unde quum *Bajazeti* 30. millia

---

*a*) Joan. Cantacuz. L. 2. Laonic. Chalcocond. de Turcicis. L. 1. Joan. Leonclat. SS. Musulman. L. 1. et 5.

millia aureorum, opemque contra omnes hostes spopondisset, eliberatus, regnum recepit: atque ab hoc tempore Graeci Imperatores, Turcis tributum solvere coeperunt; qui brevi conspirationem contra se initam advertens, Constantinopolim obsidere coepit, quam tamen ob *Tamerlani* Tartari progessus solvere debuit: inter quae viribus fractus Imperium fastidiens, filio suo *Emanueli* consignavit an. 1392. *a*)

*Emanuel*, an. 1392, Imperium ut Turcarum tributarius suscepit, quem Turcae nimium vexantes, etiam Constantinopolim obsederunt, quam tamen solvere debebant, quoniam *Sigismundus* Rex Hungariae, aliique Christiani principes auxilio advenissent, sed cum ad *Nicopolim* Christiani cladem accepissent, denuo obsidionem restaurarunt; quam certo etiam expugnassent, nisi pro felicitate *Tamerlane* Tartarum rex, Asiam Turcorum jam regionem devastatam occupavisset; Huic igitur *Bajazetes* totis viribus se opponere debuit, a quo Turcae caesi, *Bajazetes* vero captus et in caveam ferream inclusus per provincias circumductus est, cujus ignominiae impatiens, tamdiu caput in ferrum allisit, ut demum disrumperetur. A quo tempore *Emanuel* nihil in Turcas hostiliter exercuit; interim tamen jam imminebant infelicis Imperii Graeci fata, quoniam

---

*a*) Laon. Chalcocond. L. 2. et 3. Blondus. Dec. 2. L. 10. Leonu. d. 5. Hist. Musulman.

niam *Emanuel* precarium tantum Imperii sceptrum tenerat; tandem senex 72. annorum, regiminis 32. mortuus est, quum filium suum *Joannem* successorem nominavisset. *a*)

*Joannes VII. Palaeologus.* Patri succedens deliciis deditus princeps an. 1424. mox imprudenter *Mustapham* contra *Mahometem* juvando, *Amuratem* vehementer adversum se, et obsidionem urbis concitavit: neque profuit quidquam ei Venetos auxilio evocare, iisque Thaessalonicam vendere, nam et hanc *Amurates* expugnans Venetis restitit. Post haec *Joannes* quoniam urbi exicium imminere conspexisset, mox in Italiam cum Patriarcha concessit, ubi Florentiae ut a Latinis principibus assistentiam impetrare posset, Graecas Ecclesias Romanae univit. *b*) Sed domum reversus, cum Graeci schisma deponere noluissent, prae tristitia misere perivit regiminis an. 5. successorem relinquens filium *Constantinum.*

*Constantinus Velimus* an. 1448. princeps infelicissimus thronum conscendens, mox fratrum, Turcorum auxilium expetentium intestinas turbas ferre debebat, demum 5. regiminis anno ipsam Constantinopolim horrendo furore *Mahometis* II. captam vidit, qui tragicus actus post 55. dierum obsidionem contigit. Ferie

---

*a*) Laon. Chalcocond, L. 4. et 5. rer. Turcicar. Joan. Cuspinian. in vita Manuelis. *b*) Laon. Chaleocond. L. 5. et 6. Cuspinian. aliter in Manuele.

ria 3. Pentecostes, an. 1453. die 29. Maji. ubi Imperator, 300. navibus obsessus est, ut que omnem succursum ex parte Europae Mahometes impediret, *Dardanellas* muris et turribus 30. pedibus crassis aedificavit; initio Turcae viso in aëre coelesti igne obsidionem solvere pararunt, quo demum disparente, mox in muros irruunt, et inexplicabili furore urbem expugnant, ubi commissa immani caede ipse *Constantinus* conculcatus exspiravit, igitur urbem occupantes, nullique animae parcentes, nobilissimarum matronarum et parvulorum ad 40,000. tanta laniena interfecerunt, ut sangvinis rivi per canales urbis profluerent. 60,000. hominum intercepta in diram Barbarorum servitutem sunt submissa. Graecorum reliquiae in urbe Trapezuntina quidem postea etiam *Davidem Comnenum* Imperatorem habuerunt, sed etiam hic an. 1461. eversa urbe misere occisus est, cum aliis quatuor minoribus regnis, 200. Urbibus in potestatem Turcorum venit. Atque sic *Mahometes* II. Graecorum antea Vastissimo Imperio luctuosum omnino finem imposuit, in hunc usque diem duraturum. *b*) Unde surexit magnum *Imperium Turcicum*, quod praeter nonnullas Europeas, celeberrimas et ditissimas Asiae, et Africae regiones comple-

---

*a*) Chalcocond. L. 9. Leonclavius. in Hist. Turcor. L. 15. Annal. Turcor. c. 127. seq. Epist. Frider. Imp. ap. Freher. T. II. p. 403. Isidorus Cardinalis. Diss. de capta Constantinopoli.

plectitur, de quibus suo loco nonnulla breviter dicenda erunt.

§. V. *Status Literarum et Artium Imperii Graecanici.* In oriente magnam quidem Literis intulerunt cladem primi saraceni Principes, sed brevi tanto in literas ardore incensi sunt quidam Caliphae, ut scientiarum quasi sedes in Arabia fuisse opinaretur, ubi celeberrimi scriptores erant *Avicenna*, et *Averroes*, qui scripta *Aristotelis*, antea in Europa plane ignota, in Arabicum verterunt. Ceterum inter tantas vicissitudines, barbararumque Gentium excursiones, in Graeco Imperio utcumque floruerunt scientiae usque ad urbis Constantinopolitanae expugnationem, et Imperii eversionem; a quo tempore magnam in cultura subivit mutationem oriens, Graeciae enim Doctores in occidentem profecti, literas eorsum transferentes, oriens sub Turcis in barbariem delabebatur. Interim Jurisprudentiae status plurimum illustrabatur per *Justinianum*, cujus auspiciis, Juris Romani veteris ac Caesarei ordinata est collectio, duce *Triboniano* Jurisconsulto, et quidem primo confectus est *Codex Justinianaeus* a Decem viris, initio Imperii *Iustiniani* sed postea emendandus augendusque, ex Caesarum inde ab *Hadriano* Constitutionibus, quod Universum Jus Romanum in IV. Libros est digestum, quibus etiam nunc in scholis et tribunalibus, pleraeque Europae gentes utuntur. Sunt autem Libri. I. *Codex* II. *Di-*

*Digesta* seu *Pandectae*, III. *Institutiones* seu *Elementa.* IV. *Novellae.* — *Codex* Constitutiones imperiales complectitur. *Digesta* seu *Pandectae* ex veterum Jure Consultorum Commentariis, responsis, aliisque scriptis collectae. *Institutiones* continent Elementa seu Principia Juris *Novellae* autem constitutiones post codicem editas continent. Quod jus post tempora *Justiniani* sensim obsolevit, adeo: ut *solae Novellae* utpote Graeca lingva scriptae permanserint. In occidente autem amplius efferri coepit circa an. 1186. quum videlicet a *Lothario* II. Imp. Normami Italia fuissent pulsi, in *Memphi* urbe repertum erat antiquissimum exemplar Pandectarum, quod dein a Pontifice Romano *Pisanis* erat donatum ob egregie navatam in bello operam, unde *Pisanae Pandectae* dicebantur. Cum autem *Pisae* fuissent a Florentinis subactae, etiam *Pandectae Florentinae* vocabantur: quas Pandectas dein *Lotharius* agente *Irnerio* Celeberrimo in tribunalibus observari, in Gymnasiis vero doceri jussit. Cui successive etiam *Jus Canonicum* accessit: de quo alibi. Exstiterunt porro in oriente variis temporibus Viri, his motivis excitati, qui scriptis aut institutionibus suis generi humano multum profuerunt, et rempublicam sacram aeque ac Profanam imprimis illustrarunt, uti:

*Seculo VI. Procopius Gazaeus* Rhetor, alter a Caesariensi Historico, *Joannes Maxentius* Monachus Antiochenus, Causam de Gra-

tia

tia defendens, cujus libelli exstant. *a*) *Leontius Byzantinus*. *Evagrius* Scholasticus, continuator Historiae Ecclesiasticae Socratis et Theodoreti. *Anastasius* Sinaita, de Corruptibilitate corporis. *Eulogius* Patriarcha Alexam, cujus excerpta reliquit Photius. *b*)

Sec. VII. *Anastasius* Antiochenus, quaestiones et responsiones de variis argumentis in S. scripturam. *Theophilactus Simocatta*, Historicus Byzantinus, res a Mauritio conscripsit. *c*) *Joannes Philoponus* Grammaticus. *d*) *Leontius* Ep. Cypri. *Sophronius*, *Antiochus*, *Georgius Pisides*, *Maximus Abb. Eustratius* Constantinop. de Animis vita functorum scripsit. *e*)

Sec. VIII. invaluerunt praecipue *Germanus* Const. Patriarcha depositus sub *Leone Isauro* ob Imaginum defensionem. *Joannes* Damascenus Chrysorhoas Monachus Presbiter, Assertor orthodoxae fidei. *Georgius* Monachus Chronographus sub *Irenis* filio *Constantino*, *Nicephorus* Patriarcha Auctor Breviarii Historici a *Petavio* primum aditi. *Theophanes* Confessor cujus chronica transtulit *Anastasius* Bibliothecarius. *Theodorus Studita* Abb. eruditione et Eloquentia Iconomachas superans. *f*)

Sec. IX. *Nicephorus* Patriarcha Constantinop. Chronographiae Compendiosae scriptor, et

---

*a*) In Magna Bibliotheca Patrum. Γ. 4. edit. an. 1654. *b*) In Bibl. Codd. 224. et 227. *c*) ap. Photium. Cod. 65. *d*) Idem. cod. 23. et 74. *e*) Idem. cod. 171. *f*) Baron. ad an. 808.

et Breviarii Historici. *a*) *Metrophanes* Smyrnaeus, *Nicetas David* Paphlago, *Stylianus* Neo Caesarien. *Photii* adversarii. *Photius* Patriarcha Const. scriptor Bibliothecae Universalis, Epistolarum, Nomo Canonis, etc. Vir alias inexhaustae doctrinae et lectionis, cui debentur celeberrimi auctores ab interitu vindicati. *Leo* IV. *Sapiens* Imperator scriptor Novellarum, artis tacticae et Regum. *b*)

Sec. X. *Theophylactus* Bulgarorum Archi Ep. *Oecumenius* auctor Catenae et commentariorum in acta et Epist. *Simeon Metaphrastes* in Sanctorum vitas. *Nicon Armenius* de Armeniorum pessima religione Tractatum scripsit. *Saidus Batricides* Patriarcha Alexand. Auctor Annalium Ecclesiasticarum. *c*)

Sec. XI. *Georgius Cedreus* auctor synopseos Historiae, in Corpore Byzantino editae duobus Tomis. Sub *Isaco Comneno* scripsit, potissimum Compilator *Georgii Syncelli* et *Theophanis* Confessoris. *Michael Tsellus* princeps Philosophorum, Praeceptor et Promotor *Michaelis Ducae* Imp. cujus complura scripta Theologica, Philosophica, et Mathematica inedita sunt. *Joannes Scyliatzia* Coaevus *Cedreno*, auctor Historiae ab obitu *Nicephori* Logothetae usque ad *Nicephorum* Botoniatem, seu ad an. 1081.

*a*) Ap. Labbeum. T. 1. Hist. Byzantinae. *b*) Baron. ad an. 911. n. 1. *c*) Judicum de eo vide ap. Hottinger. Hist. Eccles. c. 10. Sect. 1.

1081. *Joannes Xiphilinus* Patriarcha Constant. edidit Epitome Librorum *Dionis Cassii Samuel Marochianus* ex Judaeo Christianus, ejus liber de adventu Messiae exstat latine. *a*)

Sec. XII. Editis operibus celebriores sunt: *Joannes Zonaras* Monachus Annalium scriptor a Condito mundo usque ad tempora *Alexii Comneni*, in tres Tomos a *Volfio*, in duos autem a *Carolo du Fresne* distributus, alias magnae auctoritatis Historicus. *Euthymius* Monachus scripsit contra Haereses *Eustathius* Thessalonicensis Archi Ep. Literis Sacris et Civilibns eruditissimus. *Ex Historicis Byzantinis* inclaruerunt *Michael Glycas* siculus, cujus Historia est in corpore Bizantino. *Constantinus Manasses*, cujus Breviarium Historicum ab orbe condito primum edidit *Meursius* an. 1616. *Annna Comnena Alexii* Imperatoris filia, res patris sui docte complexa est Libris XV. Alexiados. *Joannes Cinnamus* Alexiados Comnenianae continuator usque *Alexium* Juniorem. *Nicetas Choniates* Continuator *Zonarae* usque ad captam a Francis Constantinopolim, seu an. 1204. a quo *Choniatae* continuator Chronicon suum incipit *Ceorgius Logothetes Acropolita* usque ad *Michaelem Palaeologum*: a quo demum Historiam suam incipit *Georgius Pachimeres*. Qui scriptores ultimi ad sequens seculum pertinent, quorum opera in Corpore Byzantino exstant.

Sec.

*a*) In Biblioth. M. Patrum Parisinae. T. 4.

Sec. XIV. Praeter supra memoratos elegantes scriptores hoc aevo inclaruerunt *Theodorus Metochites* de Principis Logothetae stirpe, cujus laudes *Nicephorus Gregoras* Hist. L. 7. imprimis refert. — *Nicephorus Gregoras* ingenuus scriptor Historiae Graecae, inde a *Theodoro Lascari* usque ad *Andronicum* Juniorem. *Joannes Cantacuzennus* prius Imperator dein Monachus, et facile Princeps Historicorum hujus aevi, res potissimum sui temporis scripsit in IV. Libris, multum de eo *Gretserus* in suis notis minus sincere disserit *Georgius Phranza* et *Laonichus Chalcocondylas* ultimi scriptores Graeci, ad initium seculi sequentis inclaruere. Haec igitur de Monarchiae Romano Graecae origine, progressu, et interitu pro compendii ratione dixisse sufficiant; ex quibus suapte patet, Monarchiam Romano Graecam, sua potentia et diuturnitate temporis, alias Monarchias omnino antecelluisse.

---

C A-

# Caput VIII.

*Exhibens Historiam Germanorum, prout eorum status consideratur Antiquus, sub variis Principibus, donec in Francorum Imperium pervenissent per Carolum M.*

§. 1. *Statistico Geographica notio Germanorum in antiquo statu.* Germanos ad *Japheti* progeniem pertinere communis est opinio, *a*) qua statuunt gentis authorem fuisse *Aschcenazem*, cujus successores a Rabbinis *Germani* dicuntur, prius autem *Celtae* vel *Kimbri* appellati, probabilius idem cum *Kimmeriis* Asiae populis, qui Veteris Germaniae plagis resederunt: ubi successive a *Thuiscone* seu *Theuth*, quae vox Celtica lingva *Deum* significat, vocari voluerunt *Teutisci* seu *Theutones.* Hunc *Tuistonem* vel *Thuisconem* Deum terra editum credi-

*a*) Cluverius, de antiq. Germaŋ. L. 1. c. 4. et 5.

crediderunt, juxta antiqua sua Carmina, (quae Annalium loco habebant) qui habuit filium *Mannum* gentis *Manniae* conditorem, quae se *Mennisch* seu ad *Mannum* pertinere dicebat. Huic *Manno* tres filios assignant: *a*) a quorum nominibus totidem gentes nomina mutuarunt, uti *Ingaevones*, *Herminones*, et *Istaevones*. Ceterum *Plinius* *b*) *Aschcenasi* quinque tribuit filios, a quibus totidem genera Germanorum, seu praecipuae nationes originem ducunt uti: I. *Vindili* seu *Vandali* id est ambulantes (die Wandelenden) quorum patriam hodie tenent Pomerani et Megaloburgenses. Ab his *Vindilis* ortum ducunt *Guttones* seu *Gothi*, quorum alii ad Pontum considentes, tardius *Ostrogotki*, alii vero in Daciae tractibus sedem occupantes *Visigothi* dicti sunt. *Burgundiones* Oderae accolae, tardius Rhenum colentes, Galliam invaseruut et regnum ibi condiderunt. — *Varini*, *Anglii*, *Eudoses*, *Suardones*, *Nuithones*, *Caviones et Reudingi* ad Visurgim habitarunt. *c*) *Rugii* et *Lemovii* in Rugia. — *Longobardi* inter Albim et Viadrum, postea in Pannonia et Illyrico, demum in Italia regnum condiderunt. — *Semnones* Lusatiam et Silesiam, — *Deuringi* seu *Thuringi* primo Mecklenburgum dein Thuringiam inhabitarunt. II. *In-*

*gaevo-*

---

*a*) Tacitus. c. 2. *b*) Plinius. L. 4. c. 14. *c*) Orosius. L. 7. Vellejus Paterculus. L. 2. c. 8. Paul. Diac. L. 2. c. 1.

*gaevones*, ad quorum genus pertinebant *Cimbri*, qui eum tractum tenuerunt, quem hodie *Jutae* tenent; et hi erant primi qui Romanos bello infestarunt. *a*) — *Teutoni* seu *Dani* vel *Codani* insulas Danicas, — *Chauci* usque Bremam et Mindam. — *Frisii* Rheni ostium, — *Suecones* Sveciam, — *Sicones* Norvegiam, qui saepe Normannorum nomine Angliam et Galliam devastantes, Neustriam sui juris fecerunt. III. *Istaevones* ad quos pertinebant *Bructeri* irreconciliabiles Romanorum hostes ad Monasterium habitantes. — *Marsi* in illorum vicinitate. *Sicambri* primo ad Hassiam, dein Mosam inter et Rhenum. *b*) *Usipetes* et *Tenkteri* Siccambris successerunt. — *Ubii* ad Rheni rippas, *Juhones* vero et *Mattiaci* Hassiae partem insederunt. IV. Genus Germanorum erat *Hermionum* ex quibus orti sunt *Hermunduri* qui Saxoniae superioris partes incoluere, unde *Freyberga Hermundurorum* est, proprie *Svevi* dicti. — *Narisci* ad Palatinatus partem superiorem, — *Cherusci* inter Visurgim et Albim, quorum dux *Arminius* internecione delevit *Quintilium Varum*. His limitanei erant *Campsani*, et *Cambrivii*, — *Chauci* partem Frisiae, — *Marcomanni* Würtembergensem agrum, — *Quadi* hodiernae Mora-

---

*a*) Plin. L. 4. c. 13. Vellej. Paterc. L. 2. c. 8. *b*) Svetonius. in August. c. 21. Tacitus Ann. L. 11. c. 35.

Moraviae et Hungariae partem, — item *Burii*, *Elisii*, *Marsigni*, et *Osi* tenuerunt Silesiae regiones; — *Catti* hodiernam Hassiam, — *Ansibarii Chamavi* et *Tubantes* ad Visurgim. *a*) V. Gens Germanorum vocabatur *Peucini* seu *Basternae*, Dacis contermini, a dextra Vistulae ripa, usque ad Ostia Istri, ad quos pertinebant *Aestii*, *Hirri*, et *Scyri* Prussiae cultores. — Hae Gentes jam olim communi nomine etiam *Alemanni* vocabantur, quod nomen quidam a vernaculo idiomate *Alle* seu *Allerley Männer* deducunt, et per illos nonnisi *variarum Nationum viros* intelligunt. Porro hi populi etiam *Germanorum* nomine jam olim veniebant; ut sub tempore *C. Marii*, imo *Caesar* jam Germaniae partem in bellis noverat: de qua *Germanorum* origine variae supersunt Scriptorum opiniones: Alii dicunt hoc nomen ipsis impositum fuisse a Romanis, quoniam in omnibus tamquam fratres Germani inter se agerent, sive in bellis, sive in sedibus optinendis. Alii a voce *Ger*, seu *Gar*, et *Männer* ducunt, quod fuerint omni tempore ex toto viri fortes, bellicosi et masculi. Alii autem appellatos dicunt a *Weermannis*, aut *Guerremanis*, quae vocabula bellum et defensionem significant, hinc illi tamquam ad bellum apti et fortes erant declarati. De regione autem *Spartiani* haec est

y Senten-

---

*a*) Idem. L. 61. c. 62, Spenerus. notit. antiq. German. L. 4. c. 3.

Sententia: *a*) *Alemannia omnisque Germania cum ceteris quae adjacent Gentibus.* — *Vopiscus* autem sic disserit. *b*) *Testes sunt Franci, inviis strati paludibus, testes Germani et Alemanni, longe a Rheni semoti Littoribus.* Hinc de Limitibus antiquae Germaniae non consentiunt; Nam Antiquissimi: Rheno, Danubio, Oceano, Tanai, et Ponto Euxino definiverunt. Posteriores: *c*) Rheno et Vistula claudunt. Hodie adnumerantur Germaniae omnes regiones; quorum incolae, lingva, vel dialecto utuntur Germanica, ac proin ultra *Ptolomaei* limites, et ultra Danubium, continet Rhetiam, Vindeliciam, Superiorem Pannoniam, partem Illyrici, usque ad Tridentina Claustra. Ultra Rhenum etiam multas colonias Romanorum occupaverunt Germani, nam ut *Ambrosius d*) testatur. *Rhenus olim Romani imperii limes fuit;* in cujus ripa Praesides Romanorum Germanos oppugnabant, ut eorum incursiones prohiberent. Itaque *Germania* Regio fuit perampla, fertilis, salubri et temperato aere, admodum populosa; ab occidente Rheno; a meridie Alpibus, ab oriente gentium Sarmaticarum confinio, a Septemtrione oceano Germanico et mari Balthico concludebatur, abundans rebus omni-

---

*a*) Spartianus in Vita Marii. *b*) Flavius Vopiscus. in vita Probi. *c*) Strabo. Ptolomaeus, Pompon. Mela, Graeci, latinique scriptores. *d*) Ambrosius. II. Hexame.

omnibus, exposita ideo hostium externorum injuriis, multis tamen fluminibus impedita, multis montibus aspera, maximis item silvis et paludibus invia. Inter fluvios eminet *Danubius* *a*) in Svevia Scaturiens, in mare nigrum influit. *Rhenus* qui duos habet fontes in Alpibus, alios fluvios recipiendo, ad Mosellam confluentes. *Visurgis* in Hassiae monte ortus, *Albis*, *Viadrus* seu *Odera*, *Egra*, *Eger*, *Nabus*, *Sala*, *Fulda*, *Oenus*, *Anasus*, etc. *Sylvae* Romanis cladibus insigniores sunt: *Hercynia* hodie Bohemiam cingens. *Bacenis*, *Semana*, *Gabreta*, *Luna*, *Sylva Caesia*. Montes praecipui erant jugum Hercinium varias Germaniae provincias permeans. Ceterum antiquitus Germania duplex considerabatur, nempe *Germania prima Cisrhenana*, et *Germania secunda* sive *inferior*. *Superioris Germaniae* civitates enumerare volens *Ammianus* *b*) sic ait: Prima Germania, ubi praeter alia municipia Moguntiacus est, et Vangiones, et Nemetes, et Argentoratus barbaricis cladibus nota. De quibus *Brucherius* *c*) haec dicit; In Germania prima Civitates numero quatuor; Metropolis civitas Argentoratensium, et Civitas Nemetum id est Spira, Civitas Vangionum id est Vormen: *in secunda*

y 2

*a*) Pompon. Mela. L. 3. e. 3. Cluver. c. 11. Ptolemaeus. L. 2. e. 11. Bertius. Comment. rer. Germ. L. 1. c. 1. *b*) Ammian. Marcell. L. 1. c. 11. *c*) Brucherius. ex Libello Romanorum refert. L. 1. c. 2.

*cunda* duae; Metropolis civitas Agrippinensium id est Colonia, Civitas Tungrorum: his juncti erant *Treviri.* De quibus populis *Tacitus a*) sic disserit: quod circa affectationem Germanicae originis ultro ambitiosi fuerint, tamquam per hanc gloriam sangvinis, a similitudine et inertia Gallorum separarentur. Hinc lingva indolesque satis Germanos ab reliquis segregat nationibus, semperque sui generis tenacem propaginem, minimeque exterorum connubiis permixtam ostendit; verum innumerabilis populi vastissima amplitudo; tot bellatorum exercitus e gremio sui successive in ruinantis Imperii Romani occiduas, australesque terras effudit, ut procul dubio ejusdem Imperii Romani eversores evaderent, uti Gothi, Vandali, Svevi, Alani, Burgundiones, Anglosaxones, Heruli, Turcilingi, Rugii, Francii, Longobardi, etc. qui primtim pro se quisque singillatim, tum integris agminibus in castris Romanorum merebant, unde sensim bella inter se initium sumsere; quibus in adjunctis ubi pristinam securitatem jam tutam esse non posse cernerent, ad mala hujusmodi procul arcenda, inito consilio, in civitates stabilitae reipublicae rationes adeo feliciter ad bellicam tutelam ordinaverunt, ut iisdem institutis postmodum etiam reliquis genti-

---

*a*) Tacitus. Germ. antiq. c. 28. item Bertius. de de Germ. L. 1. Cluverius. de antiq. Germ. L. 2. c. 30. — 36.

gentibus evaderent superiores. Hinc civitates aedificare, agros colere, armis se instruere, jumenta ad belli usum adsvefacere, a Principibus suis, leges accipere, aliisque artium operibus se amplius exercere coeperunt; quorum solertiam acuebat pauperies adeo, ut gravissima quaequae improbo labore superarent, arma meliora ab advenis, domesticarum mercium commutatione redimerent, quibus ipsa raritas pretium dabat, non enim licuit alicui arma summere, quam Civitas eum sufficientem declarasset, idque pro meritis, unde primum *Feudi* genus invaluit; ut ex principis liberalitate exigere coeperint illum bellatorem equum, vel cruentam victricemque frameam: quoniam ante stipendii loco nisi epulae essent; quae dum tam difficulter obtinerentur, raro deponere, imo tumulis secum inferre solebant, prout reperta sunt. Itaque hujus gentis instituta omnia, artes et honestates ad unicum nempe gloriosum belli studium conferebantur. — Germanorum victus rationem jam *Caesar* sic adnotavit: Major pars victus eorum in lacte et caseo, et carne consistit, non alia pulte quam ex avena vivere, in egestate tamen ut *a*) *Pomponius Mela* refert, et crudis vescebantur carnibus. Comuniter autem cibi erant simplices, recens fera, agrestia poma, et lac concretum. Potus humor ex hordeo aut frumento est: quum autem credidissent nemi-

---

*a*) Mela. L. 3. c. 3. Tacitus. L. 17. et 23.

neminem absque vitio nasci, diem noctemque continuare potando, nulli probrum erat. De vestitu autem *Tacitus* ait: Tegumen omnibus sagum, fibula, aut si desit, spina consertum. Feminis idem habitus qui et viris; tunicae illis erant striatae, ferarumque pelles in honore et usu fuere. Ceterum intecti totos dies juxta focum agunt.

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis.* Germanorum religionem *Julius Caesar* a) sic describit: Deorum numero eos solos ducunt quos cernunt, et quorum opibus aperte juvantur, *Solem*, *Vulcanum*, et *Lunam*, reliquos ne fama quidem acceperunt. *Tacitus* b) autem inquit: Deorum maxime *Mercurium* colunt, cui certis diebus, humanis quoque hostiis litare fas habent. *Herculem* ac *Martem* concessis animalibus placant. Pars Svevorum et *Isidi* sacrificat. Iidem etiam *Herthum* id est terram matrem colunt, unde dicti *Theut*, seu *Theutones*, idest *Deo adhaerentes*. Imagines Deorum non coluerunt, sed locum sacrum ex sola reverentia Deorum nominibus appellarunt uti *Vehiculum Sacrum*, quod *Tacitus* sic describit: c) „Est in insula Oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum veste contectum, attingere uni Sacerdotum conces-

ces-

---

a) Caesar. de bell. Gallico. L. 6. b) Tacitus de morib. Germ. c. 40. §. 9. c) Tacit. ibid. c. 9. et 40.

cessum. Is adesse penetrali Deam intelligit, Laeti tunc dies, festa loca, quaecunque adventu hospicioque dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt; clausum omne ferrum pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos saciatam conversatione mortalium Deam templo reddat: mox vehiculum et vestes, et si credere velis Numen ipsum secreto loco abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit; arcanus hinc terror, Sanctaqe ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident." Divinationem per virgas frugiferae arbori decisas, in surculos amputantes, uti auspicia et sortes quam maxime observant, proprium gentis erat etiam avium voces et cantus interrogare, equorum praesagia et hinnitum experiri. Ex consvetudine vitam omnem in venationibus et studiis rei militaris ducebant, inde a pueris labori et duritiei studebant. Feminae notitiam habere ante 20. annum; turpissimum erat, unde etiam his severa erant matrimonia, singuli uxoribus contenti sunt, exceptis paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur: hinc paucissima adulteria, quorum paena fuit haec maritis concessa: accisis crinibus nudatam coram propinguis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. *a*) Quod educationem attinet: in omni domo infantes sunt nudi

*a*) Tacitus. c. 18. 18.

nudi et sordidi, sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis aut nutricibus delegantur. Dominum et servum nullis educationis deliciis agnosces, lauti cibum capiunt, separatae singulis sedes, et sua cuique mensa. Hospites violare fas non putant: qui quaquae de causa ad eos venerunt, ab injuria prohibent, sanctosque habent; iis omnium domus patent, victusque communicatur. *a*)

§. 3. *Status Politicus et Forma regiminis.* Initio Germanos nullas urbes habitavisse *Tacitus* et *Mela* *b*) sic referunt: sedes colunt discreti ac diversi ut campus vel nemus placuit, vicos locant non connexis et cohaerentibus aedificiis, suam quisque domum spacio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia aedificandi, nec tegularum usus apud illos, materia ad omnia utuntur informi, quaedam tamen loca diligentius illinunt terra ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur; quae habitandi ratio hodie etiam in multis Germaniae locis, in primis Vestphalia obtinet. Porro de Germanorum antiqua Politica cultura, antiquissimaque emendi ratione *Tacitus* sic disserit. *c*) proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in precio habent, formasque quasdam nostrae pecuniae ag-

---

*a*) Tacit. c. 20. et 22. Caesar. L. 6. de bell. Gall. *b*) Tacit. c. 17. Pompon. Mela. L. 3. c. 3. *c*) Tacit. c. 5. de mor. Germ.

agnoscunt, atque eligunt, interiores antiquius et simplicius permutatione mercium utuntur. Inter civilis prudentiae instituta ingenio gentis attemperata, ad ampliorem culturam pomovendam prospicientia, et ad vim repellendam spectantia, antiquissima iis erat juris Naturalis observatio, ac praeter severa matrimonia, mira morum integritas facit, plus enim ibi boni mores valebant, quam alibi bonae leges; nam apud irritabiles et crudos alias animos, etiam lenitati locus erat; Verberare servum, ac vinculis vel opere coercere rarum erat. Homicidia certo armentorum numero luebantur, satisfactione utiliter in publicum recepta: cavebant autem imprimis ne sive suis in bello damnosi essent, sive pacatorum civium fortunas quaqua ratione affligerent, unde cultior eorum prae aliis agendi ratio manifeste commonstratur.

Quod *Regiminis formam* attinet: eam nullam certam habebant, nam neque Reges, neque optimates erant perpetui, Reges ex nobilitate, Duces ex virtute eligebantur. Regum potestas non fuit summa, neque libera, Duces prompti et conspicui in acie magis exemplo quam imperio praeerant. Communi consilio bella sunt decreta, et certus Dux expeditioni praefectus. De minoribus rebus Principes consultant, de majoribus omnes, ita tamen ut plebis arbitrium principes pertractarent. Hinc ad Comitia convenire solebant certis diebus in novilunio aut plenilunio, prout

tur-

turbae placuit, nisi quid fortuitum evenisset, ubi consederunt armati, et silentium per Sacerdotes imponebatur; tunc Rex vel Princeps, prout nobilitate, aetate aut armorum decore aliis perstabat, summa facundia, auctoritate magis svadendi quam imperandi potestate disseruit, ubi probata sententia framearum concussione indicabatur; displicens vero sententia fremitu aspernabatur. In his comitiis eligebantur etiam Judices, qui per pagos et vicos jura dicerent; item Centum Comites ex singulis nationibus, qui iisdem consilio adessent, qui nihil sive publice, sive privatim nisi armati agebant. *a*) Ex his patet, quod Germania olim in plures Principatus divisa, eandem subiverit sortem cum aliis Europae gentibus, nempe in Formam Provinciae Romanae fuerit redacta; nihilominus tamen *Franci* Germanicae originis populi nunquam jugum Romanorum sensisse dicuntur, unde etiam ipsis generale nomen *Francorum* seu *liberorum populorum* adhaesisse videtur. Ceterum inclinatis rebus Romanis, Germania etiam ea, quae Romanis aliquamdiu paruerat, sui juris facta est. quam Franci pedetentim Alemannis, Burgundionibus, Thuringis, Frisiis, Saxonibus et Bojoariis debellatis suam fecerunt, et Imperio subjecerunt; a quo tempore maxima ejus pars diu Comitibus et Marchionibus Francorum paruit. Verum di-

viso

---

*a*) Tacitus c. 11. 12. 13.

viso Francorum Imperio inter tres *Ludovici Pii* filios, Germania in sui juris regnum abiit, propriumque regem nacta est: scilicet *Ludovicum*, quod regnum brevi Italiam, magnosque Vinidorum tractus et Burgundiam sibi adjungens, emporiis quoque foederatis, quae *Hansae* nomine sociabantur opes suas augere instituit. Et licet tardius Germani Helvetiam amiserint, tamen et hodie in multis regnis uti Bavaria, Borussia, Silesia, Livonia et in Hungaria Gubernaculum tenent. Atque haec est prima Epocha Historiae Germanorum, nempe sub antiquo statu. Secundam vero Epocham videlicet *Sub Imperatoribus*, mox sequentibus capitibus exponemus.

§. *Status Belli et Memoria Principum virorum.* Gentis Germanicae conditores, antiquis carminibus celebrarunt *Tuistonem*, Deum terra editum, ejusque filium *Mannum*, cui tres assignant passim filios *a*) uti *Ingaevonem*, *Herminonem*, et *Istaevonem* a quibus diversae Germanicae nationes, a Ducum, aut locorum nomine, originem acceperunt. Sunt qui per *Tuisto*, intelligere volunt *Adamum*, per *Mannum* vero *Noemum*, alioquin totius humani generis, ac proin et Germanorum conditores. Quando autem hae nationes primo communiter *Germani* fuerunt dicti, nulla certa sunt monumenta; Germaniae tamen partem jam *Caesar*

*a*)

---

*a*) Tacit. c. 2. Plinius. L. 4. c. 14.

*a*) noverat. *Tacitus* autem profitetur. *b*) *Germaniae vocabulum recens esse, et nuper auditum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerant, nunc Tungri nunc Germani vocati fuerint, ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox a se ipsis invento nomine Germani vocarentur*, imprimis a studio belli, apud quos pedites magis celebrabantur, cum autem a Gallis et Romanis saepe irrumpentibus detrimenta acciperent, ad eorum impetum sustinendum imparati; ideo ad contrahendas copias, peculiaresque delectus inter se faciendos, *foedus*, inierunt, quod eorum vocabulo *manire* dicebatur, prout et ipsorum expeditio *manitionis* nomen habuit; hinc Germani quod ad statum belli in *Mannias* erant divisi, quae *Manniae* plures ad bellum convenientes *Heremani* dicebantur: idest *in aciem conspirati*, quo nomine probabilius Romanis innotuerunt tamquam *viri belli.* Quorum *pugnandi modus* sequens erat: *c*) Pedites ex omni juventute delectos ante aciem locant, acies per cuneos componunt; corpora suorum etiam in dubiis praeliis referunt. Scutum reliquisse pcaecipuum flagitium : nec sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas est, multique superstites bellorum, infami-

---

*a*) Caesar. de besll. G.ll. L. 6. *b*) Tacit. de mor. Germ. c. 2. *c*) Tacit. c. 6. Cluverius. de Germ. antiq. L. 1. c. 12. — 53.

famiam laqueo finiverunt. Rari gladiis aut majoribus lanceis utuntur; hastas seu frameas gerunt ex angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit pugnent. Et eques scuto frameaque contentus est. Pedites et misilia spargunt, pluraque singuli vibrant. Scuta tantum lectissimis coloribus distingvunt, paucis loricae, vix uni alterive cassis aut galea. Maximum contra hostes incitamentum erat turma matrum filiorumque, qui post aciem ita collocabantur, ut feminarum ululatus, ac vagitus infantium audiri possent: hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores erant. Atque ita constitutis militibus, complures etiam victorias de Romanis reportare poterant; unde *Tacitus* Germanorum fortitudinem, qui sub *Vespasiano* praeses Belgarum fuit, brevi elogio sic ornat: *nemo bellum Germanis intulit impune.* Ita omnium primo experiri debebant Romani vires *Cimbrorum* a. u. 640. cujus belli *Cimbrici* ob illatum Romanis dedecus, cuncti scriptores Romani silentio praeteriisent, nisi *Orosius a*) posteritati sic transmisisset: a Cimbris caesos duos Consulis filios, 80. millia Romanorum et Sociorum trucidata. 40. millia Calonum et Lixarum interfecta, et ex omni Romano exercitu, decem tantum homines, velut cladis nuncios superfuisse. Hujus belli etiam *Tacitus* mentionem

---

*a*) Orosius. L. 5. c. 16.

nem facit. *a*) Porro expertae erant id tres sub *Augusto* legiones superatae, experti erant etiam magni Belli Imperatores *Carbo*, *Cassius*, *Scaurus*, *Aurelius*, *Servilius*, *Caepio*, et *Manlius*, quos aut laesos aut fugatos vidit Germania. *Julius Caesar* binis vicibus Rhenum transivit, et cum *Ariovisto* Svevorum duce pugnavit, sub cujus signis erant *Marcomanni*, *Tribocci*, *Nemetes*, *Vangiones* et *Sedusii*, sed commisso proelio, inde quoque *Caesar* mature metu Svevorum se recepit, nulla re perfecta, quam quod gloriam Rheni altera vice trajecti reportaverit *b*) ac proin ingentes *Caesaris* minae in ludibrium sunt versae. *Augustus Octavianus* etiam tentavit Germaniam, sed infeliciter ut *Florus c*) refert: Germaniam utinam *Augustus* vincere tanti non putasset, magis enim turpiter amissa est, quam gloriose acquisita, sed quia sciebat Patrem suum Caesarem bis trajecto ponte Rheno, quaesisse bellum, in illius honorem concupivit facere provinciam, et factum erat, si barbari tam vitia nostra, quam imperia ferre potuissent. Post *Tiberium* etiam praeter Frisios, Usipios, Tenecros, Marcomannos, et Cheruscos, nemo ex Germanis sub Romano imperio fuit. Atque ab hoc tempore Germani, primum pro se quisque, vel etiam integris agminibus, seu Heremanis in exercitu Romano-

rum

*a*) Tacit. de mor. Germ. c. 37. *b*) Dio. L. 40. *c*) Florus. scriptor. Romanus L. 4. c. 12.

rum stipendia merebant, unde utriusque gentis bella de hinc inter se gesta, initium sumpserunt. Ex quibus gravissimum erat bellum *Marcomannicum*, ab a. 160. — 180. postmodum vero tumultuabantur Franci in Galliis a. 240. Item Gothi in Dacia 244. Alemanni 268. et Saxones 286. contra quorum incursiones Romani securitatis ergo, aggerem longissimum inde a Ferrata usque Bingium superstruxerunt. Postea *Constantinus* Vandalos Pannoniae, *Valens* vero Gothos hospitio excepit. Quorum Germanorum expugnationes, circa an. 400. novorum Principatuum fundamenta posuere: sic

I. *Gothi* Occidentales *Rufini* consilio Italiam Rege *Alarico* invadentes, a. 409. is Romam cepit, sed ea non contentus, signa in Africam transferre cogitavit, cujus tamen successor Galliae regionibus contentus, sedem Tolosatii posuit, unde brevi in Hispaniam excurrens, ea Svevos privavit. Hos Gothos dein ex omni Gallia exturbarunt Franci; ex Hispania vero circa a. 712. Arabes.

II. *Vandalos*, *Svevos* et *Alanos* trans Rhenum habitantes evocavit *Stilico* a. 407. qui Hispaniam devastantes in Africam transiverunt. 429.

III. *Burgundiones* a Moeno, in auxilium a Romanis contra Gothos evocati, in signum gratitudinis Galliae partem dono a Romanis a. 413. acceperunt, brevi post autem a. 435. etiam Helvetiae partem usque Sabaudiam obtinuerunt

qui

qui ibidem cum antiquis incolis terram et servos aequaliter diviserunt, quorum reges Genevae habitantes, in castris Romanorum belli Duces esse solebant, everso autem occidentis imperio, se Byzantinorum clientes profitebantur; his tamen non obstantibus a. 532. a Francis subjugati, tardius jugum excutientes sub *Guelphico* duce thronum eligentes, demum ad Germanos pervenerunt, a. 1032.

IV. *Anglosaxones* contra *Honoricum* a Britannis in auxilium evocabantur, qui arepta oportunitate ibi complures civitates exstruentes, demum circa a. 828. in unum regnum coaluerunt.

V. *Heruli* cum sociis erant Romanorum fiduciarii, qui oblatae mercedi haud acquiescentes, quum more aliorum Germanorum terras non obtinuissent, Regem sibi *Odoacrum* constituentes cum furore Imperium Romanum occidentale everterunt a. 376. quibus demum brevi Gothi Italiam sub *Theodorico* rege extorserunt a. 493. His autem Longobardi ademerunt a. 568. qui usque aetatem *Caroli M.* seu a. 774. dominatum in Italia tenuerunt.

VI. *Franki* jam circa a. 200. in Romano Imperio noti erant, circa a. 400. citeriorem Rheni partem sibi vindicare statuerunt, unde quum aliquamdiu arcerentur, tandem ad a. 486. dum Romae nemo Imperator esset, eorum dux *Clodovaeus* reliquam Galliam, a Gothis, Alemannis, et Burgundionibus nondum

occu-

occupatam, sibi subjecit: atque hoc erat Francici regni initium. Ex quibus patet, quod Imperii Romani occidentis eversores Germani extiterint. Ex cujus Imperii occidentalis cinere condita sunt regna nova, uti Germania, Hispania, Portugallia, Britannia, Francia, Polonia, Hungaria, Moscovia, Svetia, Dania, etc. quorum fata singillatim inferius percensebimus.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Utut initio Germani rudes et ad artes inepti fuere, tamen successive studiose artes cum laude exercuerunt, quod ipsum praeter civilis prudentiae instituta, etiam ratio bellandi ab ipsis praescripta, uti et Comitiorum celebratio probat. Illorum agricultura, mulsa, quam *medonem* vocabant, et cerevisia, jam ab antiquo memoria celebrantur. Loca quaedam, terra ita pura ac splendente illiniendi ratio, ut picturam ac liniamenta colorum imitetur, dudum usitata sensim intercidit, ob barbararum gentium incursiones, continuasque ipsorum demigrationes, quibus omnis doctrina et eruditio naturaliter profligatur. Interim tamen Germanorum culturam probat etiam usus commerciorum, auri et argenti aestimatio quo ad formas pecuniae, ut *Tacitus* refert. Auget animi candorem ipsorum Hospitalitas; et proba moralitas, prout idem *Tacitus* testatur: Nemo apud Germanos vitia ridet, nec corrumpere nec corrumpi, seculum vocatur; plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges.

# Caput IX.

*Exhibens Historiam Germaniae sub Imperatoribus Restaurati Imperii occidentalis, a Carolo M. usque ad Magnum Interregnum, seu ab an.* 800. *usque a.* 1250. *seu Friderici II. obitum.*

§. 1. *Statistico Geographica notio Imperii Romano Germanici.* Sacra Romani Imperii sedes, quae in occidentem et orientem olim divisa, variis diversarum Gentium excursionibus labefactata, disidiis lacerata, demum occidens mole sua ruinata, tandem restaurata ita, ut relicta Italia, non in alia regione, quam in Germania praesidium, robur, et salutem quaerendo invenerit, electo in Imperatorem *Carolo Magno* Francorum rege, qui natione *Germanus* fuit, utpote ex Francia orientali oriundus, *Francones* autem Germani populi sunt, ut supra vidimus. Francia duplex est, uti orientalis et occidentalis. Ad *orientalem* Franciam pertinebant Thurin-

Thuringi, Saxones, Frisii, Bojoarii, Svevi, Lotharingi etc. Ad *occidentalem* vero Gallia Belgica, Celtica, Lugdunensis. etc. *a*) Hinc *Carolus M.* Rex Francorum dicebatur, quod tantumdem significavit ac si fuisset nominatus *Rex Germaniae et Galliae*, nam eo tempore tota Gallia Transalpina et etiam Germania a montibus Pyreneis usque in Pannonias *Francia* dicebatur. Erant igitur Ditionis Germaniae praecipuae partes, Bohemia, Avariae pars etsi alterius quam Germanicae sit lingvae, ita Germaniae adjungebatur Saxonia superior, Austria, Holstein, Meklenburgum, Pomerania, Luneburgum, Lauveburg, Brunswyk, Meinsen, Silesia, Moravia, Cleve, Berge, Franconia, Bavaria, Wirtemberg, Svevia, Palatinatus Rhein, Palatinatus Bavariae, Hassia, Turingia, Alsatia, Brandeburgum, Baden, Ebden, Oldenburg, Benthem, Lip, Dieppolt, Mansfeldt, Anhalt, Stolberg, Tirolis, Livonia, etc. successive Germania ex his provinciis alias amisit, et nonnullas acquisivit, Limites tamen jussu *Caroli M.* quaqua versum erant muniti, in Galliae littoribus classis fuit parata; sic etiam a. 808. ad Albim contra Bohemos castrum *Dresdam* aedificavit. *b*) Ad Salam contra Sorabos et Vandalos ne Thuringiam vastarent posuit *Numburgum.* Contra Danos munire jussit *Hamburgum.*



---

*a*) Joan. Nauclerus. genarat. 27. *b*) Regino ad an. 808.

*burgum.* *a*) Utque commertium Politicum promoveri possit, pontem Moguntiae exstruxit *b*) ut Renus transiri valeat. Regias duas, unam *Ingelheimii*, aliam *Neomagii* exstruxit. Sub est Germania VI. VII. et VIII. climatibus inter gradus Latitudinis 47. et 55. Longitudinis vero inter 24. et 46. coelo satis clementi gaudet ac temperato. Terra hordeo, tritico, siligine, milio, avena, ac omni leguminum genere gaudet, prata laeta, optanda tamen ubique major frumenti copia quoad impopulationem. Dives tamen argenti, aeris, ferri, plumbi, aliorumque metallorum thesauris. Salis fodinae praestantes. Lapides primarii, et hortorum deliciae non desiderantur. Vina odoris et saporis generosa. Annimalium copia, ut *Julius Caesar* refert: *multa in Sylva Hercynia genera ferarum nasci, quae reliquis in locis visa non sunt.* etc. A temporibus *Caroli M.* amoenissimis Urbibus castris, pagis ornata et exculta est sensim adeo, ut aliis regnis non cedat. Ex liberis Civitatibus praecipuae sunt: Colonia Aggrippina, Wirtemberga, Lubeka, Luneburgum, Francofurtum, Brema, Lypsia, Spira, Argentina, Friburgum, Augusta Vindelicorum, Tubinga, Heidelberga, Ratisbona, Vienna, Praga, Buda, Sabaria, etc. Fluvios alibi notavimus. Opera publica et privata varia. Statum Ecclesiasticum quod

quod

---

*a*) Regino. ad an. 809. die 13. Martii Fundamenta jacta sunt. *b*) idem. ad. an. 792.

quod attinet Germaniae, VII. Archi Episcopatus numerantur, quorum provinciae sunt definitae. Academiae jam olim celebres complures fundatae. Opificia omnis generis studiose et laudabiliter pertractabantur. Diversa naturae producta et artefacta, confinialibus suis, et remotioribus etiam gentibus per diversos commercii canales subministrant.

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis, In Imperio Germanico.* Germani usque finem seculi VII. Gentilismo erant contaminati, quo tempore, imprimis vero seculo VIII. diffusum est Christi nomen ad Thuringios, Francos, Westphalos, Saxones, Hassos, Bavaros, Frisios, aliosque Germanos qui nondum erant conversi. Propagationis hujus duo erant clarissima instrumenta. I. *Ecclesiasticum* nempe *Winfridus* Monachus Anglo Saxo, postea dictus *Bonifacius* Hermanorum Apostolus et primus Archi Ep. Moguntinus et Fuldensis Abbas, sanctitate et miraculis clarus, multarum Ecclesiarum in Germania et Episcopatuum Pater, uti Moguntini, Salisburgensis et aliorum sub *Gregorio* II. et III. item *Zacharia*, et *Stephano II.* *a*) Pontificibus. Aliud instrumentum validius erat *Carolus M.* qui mortuo fratre *Carolomanno* an. 771. solus dein Francorum rex

*a*) Caesar. Baron. Tom. 9. res et Laudes Bonifacii refert. et Tom. 6. Concil. Edit. Labb. Aventin. Ann. L. 3.

rex *a*) mox Ecclesiae vindicem se exhibuit, collapsam in Clero et monasteriis disciplinam variis Synodis celebratis et editis constitutionibus viriliter restaurando; Doctrinam ac ritus a variis erroribus et superstitionibus repurgando; demum bello subactas gentes ad Ecclesiam perducendo; quas exemplo suo mire in religione confirmavit, ubicunque enim esset divinum officium religiose peragi curavit, Sermones Patrum, homilias sanctorum et Martyrologia diligenter conscribi jusit; *b*) imo optimus Princeps ornandae et propagandae Eccle-
777 gratia sequentes Episcopatus fundavit, an.
Hal. Salingstadensem seu Ostervicensem. 778. burberstadensem. 780. Padebornensem et Osnadevgensem. 785. Mindensem. 788. Saxonibus siaeictis libertatem restituit ita, ut Bremensem Episcopatum instituant, eique vicina Saxonum regio decimas solvat. 791. Mimingerodensem, hodie Monasteriensem. Item Hildesheimensem. Bardovicensem seu Verdensem. Schirensem, qui dein Magdeburgum translatus est. 811. Hamburgensem. Laodicensem vero et Trajectensem bonis et privilegiis dotavit. *c*) Ad Disciplinam vero Ecclesiasticam promovendam, et collapsam restaurandam XVI. Synodos celebravit variis annis, uti: Wormatiae duas. In Vil-

---

*a*) Petavius. Rat. Tecmp. T. 3. de Success. p. 218. *b*) Crantz. L. 2. Saxon. c. 9. *c*) Regino L. 2. item Christ. Mathie, Theatr. Hist. p. 825.

Villa Duria duas an. 775. in quibus statutum est: ut Suffraganei suis Episcopis subsint. Ut Regulares et Monachi secundum regulam vivant. Ut Episcopis omnes Clerici pareant. Ut incestuosi per Episcopos corrigantur. Ut nulli liceat alterius Clericum recipere aut ordinare. Ut Decimas recusantes puniantur. Ut homicidae et alii rei qui juxta leges mori debent, si ad Ecclesiam confugerint non excusentur. etc. *a*) 780. In Saxonia ad fluv. Lippam. 785. Paderbornae. Ingelhemii Reginoburgi. Francofurti ad Moenum, 794. coram 300. Patribus, ubi haeresis *Adoptianorum* damnata fuit, agebatur item de cultu imaginum, et de Canonibus Synodi Nicenae II. rejiciendis. *b*) Compostellae in Hispania, 803. et Parisiis, Salisburgi, In palatio Saltz. .Arelatum. Moguntiae, Cabilonae. Turoni. etc. Sub *Caroli M.* successoribus etiam mire crevit Ecclesia conversione Danorum, Svecorum, item Slavonicae gentis dispersae per Bohemiam, Poloniam, et Illyrici provincias ultra Danubium per *Cyrillum* et *Methodium* Episcopos , quibus gentibus permissum ab Ecclesia Romana erat ut lingva sua Slavonica sacra celebrare possint, audita coelitus voce: *Omnis lingva Laudet Dominum.* *c*)

lis

---

*a*) Regino. L. 2. Hist. Magdeb. Cent. 8. c. 9. p. 573. *b*) Aventin. L. 4. Eginhard. in vita. Caroli. M. c. 69. Regino. L. 2. Blond. Decat. 2. L. 1. *c*) Aventin. Ann. L. 4.

Iis fere temporibus Bulgariae, et Russiae populi ad ritum Graecum conversi snnt. Denique *Carolus M.* lege etiam sanxit: ut Laici ter quotannis ad minimum poenitentiam agerent, et Sacra Synaxi uterentur. *a*) Ipse vero *Carolus* semper praeferri sibi curavit nudum gladium cui hae Literae erant insertae: D. P. C. C. A. D. C. idest: *Decem praeceptorum custos Carolus a Deo Coronatus.* Cujus institutis etiam successores firmiter adhaesere.

§. 5. *Status Politicus et Forma regiminis Imperii Germanici ante Interregnum Magnum.* Romano Germanicum Imperium, summae dignitatis Imperialis auctorem habuit *Carolum M.* qui patre *Pipino* mortuo, regnum paternum cum fratre suo *Carolomanno* ita divisit, ut *Carolomannus* regnum Galliae, *Carolus M.* autem regnum Germaniae obtineret, qui mox regiam *Wormatiae*, tardius vero ob tractus amoenitatem *Aguisgrani* defixit an. 768. Verum brevi quarto nempe anno fratre suo *Carolomanno* 771. mortuo; statim solus regnare coepit, ac tertio anno Ecclesiae Romanae auxilium ferens, *b*) Longobardorum regnum in Italia evertit, hinc Saxones perdomuit, *c*) Saracenos in Hispa-

---

*a*) Crantzius. L. 2. *b*) Desid.erum Longobardum superavit teste Aimoino. L. 4. c. 69. 70. Eginhard. in vita Caroli. M. item. Monachus Engolismen. ap. Pithaeum. Ann. Fuldens. Sigebert. Gemblae. *c*) Aimoin. L. 4. c. 70. Crantzius. in Saxon. L. 2. c. 4. seq. ab an. 772. — 804. bellum duravit.

spania terruit, Britanniae partem, et totam Bojoariam sibi subjecit, *a*) quibus gestis inclitus *Magni* nomen in orbe meruit, ac restaurati occidentis Imperii, communi Senatus et Populi acclamatione Romanorum Imperator Salutatus et coronatus est a *Leone III.* Pontifice in ipso Nativitatis festo Christi an. 800. ter acclamante populo Romano inter Missarum Solennia, haec verba: *Carolo Augusto a Deo coronato, magno et pacifico Imperatori vita et victoria. b*) Ad hoc Imperii Romani culmen *Carolus M.* triplici jure pervenit: nempe I. *Jure Belli* quia victo Longobardorum rege, Italiae regnum bellica virtute obtinens, illud jure victoriae sibi asseruit. II. *Jure transactionis*, *c*) quia *Irene* orientis Imperatrix, ut et ejus successor *Nicephorus* missis ad *Carolum M.* legatis, occidentis Imperii Jus ei concessit. III. *Jure Electionis*, nam populus Romanus unanimi voto *Imperatoris* titulum ei detulit: de qua electione inter alios *d*) *Onuphius* sic refert: Cum *Carolus* primum Imperator et Augustus renunciatus fuisset, a Romano Pontifice ungebatur, auroque diademate coronabatur, tamquam Ro-

---

*a*) Aimoin. L. 4. c. 78. Britania minor in Gallia rebellans. idem. de Bojoariis L. 4. c. 79. seq. Aventin. Ann. Bojor. L. 3. Brunnerus. Ann. Bojor. L. 5. *b*) Nauclerus. Volum. 2. Generat. 37. *c*) Aimoin. L. 4. c. 91. Graecor. Miscell. L. 23. item Ann. Fuldens. *d*) Sigebert. Gemblat. Aventinus. Marianus Scotus. Aimoin. L. 4. c. 90.

Romani Imperii uno totius orbis primario Sacerdote: more accepto ab Imperatoribus orientalibus, quia a Patriarchis Constantinopolitanis primariis Graecanici Imperii Pontificibus consecrati, corona redimiebantur. Unde patet quod *Leo III.* Pontifex, Imperrium occidentale ad Francos seu Germanos haud traustulerit, Nam nemo id alteri conferre potest quod non habet; deinde advertenda est distinctio inter Constitutionem et inaugurationem Imperatoris, quia omnis Imperator vel per successionem, vel per electionem constituitur, et taliter constitutus, per solennem coronationem non nisi publice pro tali vero, et legitimo declaratur, ut ejus realitas in omnium perveniat notitiam. Unde sequitur Pontificem non fuisse *Dominum* Imperii Romani, sed tantum *Ministrum* coronationis; cui jam dudum Pontifex ansam praebuerat. Haec Imperii Majestas jure successionis mansit in stirpe *Carolina* 106. annis: qua deficiente translatum est imperium ad *Conradum* Franconiae ducem quem ex eadem, qua *Ludovicus IV.* Imp. matre natum quidam contendunt, alii rero negant, asserentes stirpem Carolingicam jam in *Ludovico IV.* defecisse. Ceterum *Conradum* sequutus est *Henricus Auceps* e Domo Saxonica, unde prognati tres *Ottones* sequebantur, quorum ultimus quum intellixisset Italos regnandi cupidos Imperii titulum affectare, *a*) et *Chrescentium* Consulem

*a*) Lamb. Schffn. Sigebert. Gembl.

lem Romanum Imperatorem deposcere, mox coacto exercitu Romam profectus cepit, impetravitque a *Gregorio* Pontifice, ut Jus eligendi Romanum Imperatorem deinceps perpetuo apud Germanos permaneret; obtinuit autem hac lege; ut electus primum vocaretur *Caesar* et *Rex Romanorum*, postea vero accepta a Pontifice corona, titulum *Imperatoris Augusti* haberet. An autem hoc tempore Electoralis dignitas *Septemvirorum* in eligendo Imperatore inceperit, variae sunt scriptorum sententiae, *a*) quorum opiniones *Heigius* enumerans sic statuit: *b*) ab initio Electores sub *Ottone* III. constitutos ut electionem deinceps de Imperatore habendam, velut Principes senatus moderarentur, et reliquorum auditis suffragiis, et collectis votis id tandem statuerent, quod e republica esse cognoscerent; donec tandem ob enatas factiones utilissimum visum fuisset, in strictius Electorum Consilium revocare; quod primum occultis initiis coeptum et per aliquot annnos usurpatum erat, donec *Ludovici Bavari* vel rectius *Caroli IV.* Sanctione stabilitum fuisset; a quo tempore circa ele-

*a*) Sethus Calvisius in Thes. Chronol. an. 998. Schardius de Elector. origine. item Bernhart. a Mallinkrot. de Archi Cancenlariis. Rom. Imp. L. 2. c. 2. Bertius L: 3. c. 7. Comment. rer. Germ. *b*) In Illustrib. quaest. 3. seq. ap. Rulandum. in tractatu de Commis. et Commissioni. P. 2. L. 5. c. 4. n. 18.

electiones suffragia, Imperium divina dispensante providentia habuerit, quoniam jure haereditario dehinc ad posteros transiret. Ceterum ab his Electoribus Germanis, post mortem *Ottonis* III. primus in Imperatorem electus est *Henricus II.* Sanctus, quo an. 1024. defuncto, Imperium translatum est ob defectum stirpis Saxonicae, in Domum *Franconicam*, nempe legitima electione in *Conradum II. Salicum* Franconiae ducem ejusque posteros. Sed illa etiam exstincta, pari jure Imperium pervenit ad quartam Dynastiam *Svevorum et Brunsvicensium* in *Conrado* III. qua demum an. 1250. in *Friderico II.* exstincta, sequebatur *Interregnum Magnum*, quod viginti tres annos duravit, ob continuas Germaniae Principum turbas, qui sex candidati de Imperio variis factionibus decertabant, de quibus sequenti capite agemus. Nunc igitur videndae erunt restaurati Imperii occidentalis constitutiones, quibus *Corolus M.* Imperium firmatum successoribus suis reliquit.

Igitur *Carolus M.* primus e Gente Germana Imperator Romanorum constitutus, tantum Genti suae decus attulit, ut respectu potentiae et aestimationis ad finem usque seculi duraturam nobis non abs fundamento pollicemur. Nam ipse fundator Imperii tantae authoritatis erat, ut cunctis gentibus et Regibus formidabilis videretur, unde conciliandae gratiae ergo, Legationes remotissimarum etiam Gentium

ad

ad eum mitterentur. Sic *Irene* Imperatrix non modo ad renovandum foedus, et concedendum Imperium occidentale legatos suos expedivit, sed etiam conjugium ipsi obtulit. *Nicephorus* fraternam ac perpetuam pacem cum eo inivit, *a*) quam et *Nicephori* successor confirmavit. Persarum etiam Rex honorifica legatione excoluit, exquisitisque muneribus honoravit, interque erat horologium ex aurichalco mira arte mechanica confectum. *b*) Ex Africa etiam legati comparuerunt, inter alia reliquias Martyrum adferentes. Patriarcha Hierosolymitanus eidem misit claves Sancti Sepulchri, et Urbis. *Leo* vero Pontifex rogavit eum: ut Romanos in fide confirmaret *c*) Qui etiam magnam justitiae administrandae rationem habens, lege vetuit quidquam mendicis et vagabundis tribui, verum jussit unam quamque regionem suos alere miseros, ideo proventus Ecclesiarum in tres partes divisit: *d*) et duas egenis, unam vero partem sacerdotibus attribuit. Severe item prohibuit ne quis alterum ad potandum provocaret, insuper ebrium, deinceps aquam potare coegit. Longobardorum leges congessit et observari praecepit; constituitque ut in omni regione summus sacerdos et Praetor ter omni anno ad Jus dicendum

---

*a*) De Irenis et Nicephori legatis testantur. Regino Puminensis. Annales. Fulden. Aimoinus. L. 4. c. 91. Miscell. L. 23. Aventinus. *b*) Regino. et Chronicon. Carionis. fol. 327. *c*) Regino. et Sigebert. *d*) Aventinus. Annal. L. 4.

dum considerent, causas definirent, quo in judicio ante omnia esurientes pauperes, langvescentes orphanos et gementes viduas audirent, inimicos reconciliarent, et lites ne different, aut calumniis locum admitterent; quae Justitiae administrationis forma porro etiam apud Successores Imperatores in suo vigore perstitit. Leges in Comitiis ferebantur seu synodis, ubi Praelati primas tenuerunt partes, unde consvetudo invaluit apud Germanos inde a *Caroli M.* aetate, ut Praesules ad omnia Comitia et Senatus Consulta vocarentur. Igitur tota primae Reipublicae forma non aliunde videtur profluxisse, quam unde religio profecta est; haec enim duo arctissima necesitudine conjuncta semper ab iisdem sive Magistratibus, sive Legislatoribus dimanarunt, prout omnis temporis exempla docent.

§. 4. *Status Belli, et Memoria Principum Virorum* I. *Carolus M.* sciens optime etiam constitutum Imperium diu salvum esse non posse, nisi etiam ipsius Imperii defensores certis legibus manutenerentur, ideo etiam disciplinam militarem in ordinem redigens, publico edicto vetuit et transgressores graviter punivit; ne milites ex agris vicinorum et incolarum praeter herbam, ligna et aquam inter profiscendum attingerent. *a*) Quantopere autem Milites aestimaverit, eosque in fraeno servaverit, patet ex illa

*a*) Aventinus. Annal. L. 4.

illa oratione, quam devictis Saxonibus et Longobardis, ad milites domum dimissos, his verbis habuit: Ite Milites mei! vos heroes vocabimini, Socii Regum, Judices criminum, vivite post hac laboris expertes! — Vos autem cavete ne tantum decus, tantumque privilegium, justo bellorum labore partum, aut ebrietatis, aut scurrilitatis, aut alio quovis vitio maculetis; ne quod largimur vobis ad gloriam, redundet ad poenam, quam de vobis summendam, si forsan excesseritis, nobis et successoribus nostris Romanorum Regibus perpetuo reservamus. Insuper *Carolus* dum ad pugnam se parasset, et jam in procinctu esset, una cum Ducibus suis, semper publice Sacra Confessione et Communione usus est; sicque in nomine Dei hostes fortiter agressus, mirum non est, quod continuo celebres reportaret victorias: qui bellum I. habuit contra *Longobardos* a. 772. *causam* bello dedit *Bertha* vidua *Carolomanni*, quae relicta Francia ad *Desiderium* fugiens, se et filios in ejus clientelam obtulit, et *Carolum* occupati regni reum detulit; unde *Desiderius* jam etiam ob repudiatam suam filiam iratus, decrevit *Carolomanni* filios per novum Pontificem *Hadrianum* Reges Franciae consecrare. Sed cum planum *Desiderio* non successisset, rem aperto bello tentandam statuit, licet infeliciter. Alia belli causa fuit, Injuria Pontifici Rom. a. *Desiderio* illata. *Desiderius* enim novo Pontifici *Hadriano*, Urbes a *Pipi-*

no

*no* Pontificibus datas, ad Exarchatum Ravennae pertinentes, Faventiam, Ducatum Ferrariae et alias occupavit, firmisque praesidiis munivit, imo et ipsum Pontificem intercipiendum statuit; hinc Pontifex rei indignitate motus, a 773. *Carolum* per Legatos in auxilium evocavit qui dum seriis etiam admonitionibus et legationibus *Desiderium* ad meliora consilia revocare non potuisset, justi belli causam cernens, mox collectis copiis. ad *Vercellas* cum *Desiderio* pugna congressus, felicem reportans victoriam, *Desiderium* in fugam egit, Veronam aliasque Urbes deditione cepit. Ipse vero *Desiderius* cum tota familia *Papiae* inclusus, dum decem mensium obsidionem propter invalescentem famem et pestem ultro tolerare non posset; tandem se uxorem et Liberos in potestatem *Caroli* detulit a. 774. qui etiam cum tota familia *Leodium* relegatus, ibidem in exilio decessit. Cujus thesauros *Carolus* mox exercitui distribuit, regnum Longobardorum evertens *a*) Italiam sibi asseruit, Pontifici omnia quae *Pipinus* Ecclesiae contulerat restituit, quare omnium Procerum voto *Romanus Patricius* est appellatus, imo collata ei potestas est, ut non tantum Archi Episcopos et Abbates investiret, sed etiam sedem Apostolicam ordinaret. *b*) Tunc *Caro-*

*a*) Marsil. Patavin. de translat. Imperii. c. 7. seq. Aimoinus L. 4. c. 69. seq. Eginhard. in vita Caroli. Sigebert. Gembl. Annal. Fulden. *b*) Sigonius. L. 4. de regno Italiae.

*Carolus* Insignia Italiae ex veteri instituto *ferream Coronam* per Mediolanensem Archi Ep. accepit, posterisque suis, ut perpetuum esset, instituit. Italiae statum rite ordinavit, limites et oppida Comitibus gubernanda plena jurisdictione mandavit, limitibus *Marchiones* praefecit: utque Comitum vigilantiam acueret, legatos quosdam majore potestate instituit, quos *Missos* vocavit, ut lites inter Principes et Magistratus in ordinem redigerent. etc.

*Saxonicum bellum* a. 772. suscepit longe atrocissimum, quod 33. annis duravit, non tam dilatandi regni cupiditate, quam propagandae religionis Christianae studio, qui armata manu Saxoniam ingressus, diu varia agrorum devastatione cum duce *Witekindo* decertavit, quibus saepe victis, omnem libertatem restituit, nullaque tributa iis imposuit, praeterquam ut decimas Episcopis a se constitutis darent, ut ita religionis praetextu sensim jugum ferre discerent: sed hi saepius a fide data deficientes, tandem duobus proeliis decretoriis ad *Hazam* fluvium nempe et ad *Asneggi* montem fracti, mansvetudineque *Caroli* permoti, in perpetuum se dediderunt, et sacrum baptisma suscipientes, in fide data continuo perstiterunt; *a*) qua victoria regnum in Ducatum mutatum est, quod triennio post etiam Bojoariae evenit. *Radbodum*

a a Friso-

*a*) Crantzius. L. 2. Saxon. c. 4. — 23. Aimoin. L. 1. c. 69. — 77. Regino Prumens. ad a. 772.

Frisorum regem, religionem Christianorum abhorrentem regno pepulit. Contra Saracenos in Hispània feliciter pugnavit. *Hunnorum Avarorum* inquieta gens, Daciam et Pannoniam jam antea occupando regnum condidit, nunc vero in Germaniam a *Thassilone* Bojoariae duce excitata, magno furore irruebat, *a*) sed variis cladibus a *Carolo* attrita, demum rex eorum *Tudunus* a. 795. suscepta Christiana fide, se suaque *Carolo* submisit; quo facto Avarorum regnum eversum est. Dein ad a. 805. Bohemos Slavos Christianos persequentes, bello aggressus, victos sibi subjecit, *b*) Demum contra Daniae regem *Godefridum* ingenti exercitu profectus, brevi trucidato a satellite rege, classis Danorum desparata redivit, *Carolus* vero Hamburgum occupans victricibus armis quaquaversum terrorem spargens, tandem a. 811. cum *Hemmingo* Danorum rege pacem fecit, et Hamburgum restituens, ibidem Episcopatum instituit. A quo tempore, contra Slavos, Sorabos et Danos *c*) limites imperii munitis urbibus firmavit. Tandem duobus filiis morte amissis, unicum superstitem *Ludovicum* a. 813. Imperatorem constituit, et sequenti anno maximis meritis et virtutibus clarus Imperator Aquis-

grani

---

*a*) Regino. L. 2. Aventin. Annal. Bojor. L. 4. Eginhard. in vita Caroli. Aimoin. L. 4. c. 8. seq. Franc. Foris. Otrokocsi. orig. Hung. P. 1. c. 5. *b*) Annal. Fulden. Hist. Magdeburg. Cent. 9. c. 5. *c*) Regino Prumens.

grani febri correptus, 28. Januarii 814. placida morte diem suum obiit, a. aetatis 72. regiminis 47. et Imperii Romani 14. *a*)

II. *Ludovicus I. Pius.* Patre *Carolo M.* matre *Hildegarde* natus 778. ob singularem in Deum pietatem *Pius* dictus. *b*) Imperator a. 814. vivo patre proclamatus, et a *Stephano V.* Pont. coronatus est, uxores habuit duas, prima *Irmingardis* filia *Ingrami* Ducis Saxoniae, ex qua tres suscepit filios *Lotharium*, *Pipinum* et *Ludovicum.* Ex secunda uxore *Juditha* tenerrime dilecta unicum *Carolum Calvum* genuit; quos optime educatos a. 817. Aquisgranum convocatos, disponendo *Lotharium* imperii collegam sumsit, *Pipinum* regis Aquitaniae, *Ludovicum* Bojoariae regis titulo ornavit; *Bernhardum* vero, quem adhuc pater Logobardiae regem constituerat, nunc rebellionem molientem *c*) oculis privavit. Imperator hic pietate et justitia inclytus, imperium bonis legibus firmatum contra rebelles Duces et Praefectos fortiter defendit; sic 818. *Ludovicum* Britonnum Praefectum seditiosum interfecit et Britanniam minorem recepit. *Ludovicum* Pannoniae inferioris ducem saepius victum suppressit. Vasconiam per *Pipinum* filium pacavit. Saracenos

aa 2 tota

*a*) Annal. Fuld. Aimoin. L. 4. c. 100. seq. et de morte Caroli. c. 102. Eginhard. in vita Caroli. M. Aventinus. Annal. L. 4. *b*) Bodin. L. 3. de Mag. c. 1. Aimoin. L. 1. c. 102. et L. 5. *c*) Regino, et Aimoin. L. 5. c. 44.

tota Italia expulit. Verum longe majorum turbarum occasio evasit *Juditha*, quae adulterii accusata *a*) et in monasterium data est. *Pipinus* tantum scelus aegre ferens contra patrem exercitum collegit, eumque Pontifici tamquam Imperio indignum accusare non abhorruit, imo in Monasterium detrudendum statuit; qui licet captus, in Conventu tamen Noviomagensi Imperio restitutus, uxorem legitime purgatam in thorum recepit: ex qua nato *Carolo Calvo* dum partem provinciarum transferre intenderet, denuo majores filios in se concitavit adeo, ut impii filii eum interciperent et Monasterio includerent; *b*) verum rursus consensu meliorum Procerum, adnitente filio *Lothario*, Imperium recepit; post quae filii ad patrem venientes veniam delictorum orarunt, quos singulari indulgentia, leni verborum castigatione contentus, in gratiam recepit. Tandem Valetudinarius *Lotharium* Imperatorem nominans, (mortuo jam Pipino) testamento statuit, ut inter tres alios filios imperium divideretur, ita tamen, ut regna illa a *Lothario* feudi loco haberent. Rebus igitur dispositis, animam Deo commendans, a. 840. obiit aetatis 64. imperii 27. Verum post ejus mortem, vastum illud Francorum Imperium cum divisum fuisset, testamento patris non

---

*a*) Marian. Scotus. ad a. 831. Aimoin. L. 5. c. 42. seq. *b*) Regino. Aimoin. L. 5. c. 16. Marian. Scotus.

non contentus *Lotharius* primogenitus, omnia regna sibi vindicare volens, cruentum bellum inter fratres concitavit, quo etiam tota Francorum potentia concidisse videtur. Tandem post varia certamina conventum est: ut *Lotharius* cum Imperatoria dignitate Italiam et Lotharingiam ab ejus nomine sic dictam: *Ludovicus* Germaniam, unde *Germanicus* dictus, et *Carolus Crassus* Galliam regeret. *a*)

III. *Lotharius I. Ludovici* pii ex *Irmingarde* filius, uxorem habuit *Hugonis* Comitis filiam *Irmingardem*, ex qua suscepit tres filios, *Ludovicum* successorem, *Lotharium* et *Carolum.* Ceterum ut vidimus distractis et occupatis bello civili fratribus, exterae gentes oportunitate usae, ex omni parte graves esse coeperunt: sic in Saxonia servile bellum erat excitatum. Normani Galliae littora erant depopulati. Bohemi, Sorabi et Marcomanni tumultuabantur. Verbo Principatus *Lotharii* magnis cladibus insignis fuit. Saraceni enim Italiae fines depopulati, Apuliam, Anconam, Calabriam, Campaniam, et alias urbes in suam potestatem redegerunt. Tandem imperii a. 15. regnum suum filiis gubernandum relinquens, conscientia stimulante ob ingratitudinem in patrem *Ludovicum Pium* commissam, attonsa coma, Coenobium Prumiense apud Treviros ingressus, *b*) et

*a*) Nithardus. L. 3. Annal. Fuld. Sigebert. Gembl.
*b*) Regino. Ann. Fuld. Chron, Funecii. fol. 402.

et Monachus factus, cum dolore poenitentiam egit de patrato facinore, ubi etiam brevi e vivis excessit, a. 855.

IV. *Ludovicus II.* patre *Lothario* I. matre *Irmingarde* natus a. 829. uxorem habuit *Luitgardam Eticonis* Welphi filiam, ex qua unicam filiam *Hermingardin* suscepit desponsatam *Bosoni* Duci. *a*) *Ludovicus* hic Imperator summa cum laude, pietate, ac beneficentia imperium administravit, contentus provinciis Italicis, quum interea patrui variis dissidiis agitarentur. *b*) Interim nec *Ludovico* deerant bella, cum enim Saraceni Italiam crudeliter vastarent, ipse etiam ingenti cum exercitu a. 866. feliciter profligavit, et agro Beneventano ejecit. Normannorum direptionibus Franciam vindicavit. *Adalgiso*, cui Ducatum Beneventi commiserat, contra se insurgenti, ad primam deprecationem veniam concedens, pristinae dignitati restituit. Inter haec de vera religione nimium sollicitus, eandem factis multum provexit, sub eo Bulgari et Russi conversi erant. *c*) Avarorum Rex *Theodorus* baptizatus. *d*) Tandem anno imperii 20. nullo masculo haerede relicto Mediolani obiit a. 875. sub eo saevissima hyems fuit, mare enim Adriaticum 859. glacie constrictum erat ita, ut Venetias pedibus ire licuit. 860. 23. Maji, in festo Ascensionis, terraemotu

---

*a*) Ex hoc connubio natus est Ludovicus Rex Italiae a Berengario excoecatus. *b*) Regino. Aimoin. L. 5. c. 21. *c*) Zonaras. T. 3. *d*) Aventinus. Hist. Magdeburg. Cent. 1. c. 2.

tu Constantinopoleos muri dejiciebantur. 873. locustae Gallias depopulatae sunt. 874. In Italia sangvine de coelo pluit.

V. *Carolus Calvus* patre *Ludovico Pio*, matre *Juditha* natus, ex prima uxore *Hermintrude* quatuor suscepit filios, *Ludovicum Balbum*, *Lotharium* mature mortuum, *Carolum* inopinate occisum, et *Carolomannum* ob affectati imperii crimen oculis privatum; ex altera uxore *Richilde* duas proles mature defunctas. Imperium *Carolus Calvus* sic obtinuit, mors nempe *Ludovici* II. mox *Carolum Calvum* Franciae, et *Ludovicum* Germaniae reges ad imperii certamen accendit, sed contentio mox jure comitiorum sopita est, ubi *Carolo Calvo* communi consensu imperium delatum erat, *a*) agente imprimis Pontifice *Joanne VIII.* quem multi satis imperite mulierem fuisse dicunt, probabilius ob muliebrem faciem, aut effaeminatum vigorem; ceterum hic Pontifex magnis donis erat ab Imperatore excultus. Interim *Ludovicus* Germaniae rex praereptum sibi imperium aegre ferens, mox Galliam armis invadens crudeliter devastavit, unde precibus statuum permotus, dum domum rediret moritur, terras suas filiis *Carolomanno*, *Ludovico*, et *Carolo Crasso* relinquens, *b*) quos Imperator *Caro-*

*a*) Aimoin. L. 5. c. 32. *b*) Hac divisione accepit Carolomannus Bavariam, Austriam, Bohemiam. Ludovicus Saxoniam. Thuringiam, Belgium. Crassus vero Sveviam, Alsatiam. Lotharingiam, ut refert Aimoin. L. 5. c. 34. et Ann. Fuldem.

*rolus* mox cum 50.000. exercitu aggressus Germaniam irrupit, unde tamen a *Ludovico* clade victus, turpi fuga in Galliam remeavit: ubi servandae securitatis gratia *Berengarium* Forojuliensibus, *Vidonem* vero Spoletanis Duces dedit, magnarum Italiae turbarum auctores futuros. Nam *Carolus Crassus* Imperatoris titulum *Calvo* eripere volens, valido cum exercitu Italiam subiit, cujus militari copia territus *Calvus*, sine certamine exercitum amittens ex Italia fugit, eamque Germanorum praedis reliquit. *a*) Has domesticas insidias brevi externa vis excepit, *Britones* enim Francorum fines non modo igne vastarunt, sed insuper Imperatoris castris et praedis ditati sunt. *b*) Ex alia vero parte *Rollo* Danus cum Normannis a. 876. in tantas angustias *Carolum* redegit, ut ei Normanniam cum multis urbibus concederet, ita tamen, ut Normanni religionem Christianam discerent. Tandem quum in bello fraterno per Alpes in Galliam rediret, in febrim incidit, cui medicus Judaeus *Sedecias*, quem nimium dilexerat, venenum porrigens, ex eo undecimo die, nempe 6. Octobr. 877. mortuus est imperii a. tertio, aetatis 37. *c*)

VI.

---

*a*) Idem. Aimoin. ibid. *b*) Regino. Rogerius. Ann. Francor. mortem vide ap. Aimoin. L. 5. c. 35. Regino. et Ann. Fulden. *c*) Regino. L. 2.

VI. *Ludovicus III. Balbus.* filius *Caroli Calvi*, primam conjugem habuit *Ansgardam*. ex qua *Ludovicum* et *Carolomannum* suscepit, verum ex consilio patris ea repudiata, *a*) aliam duxit *Adelheidem*, quam moriens gravidam reliquit, et brevi peperit *Carolum Simplicem* dictum, Regem Franciae. *Ludovicus Balbus Joannem* VIII. Pontificem e captivitate *Carolomanni* profugum ad se venientem Lugduni honorifice excepit, a quo etiam in legitimum Imperatorem coranatus est, licet amplius nihil in Italia possideret, quoniam eam *Carolomannus* jam sub ejus patre ut vidimus sibi subjugaverat, hinc *Ludovicus* non nisi purum titulum, *Carolomannus* vero rem et regnum Italiae tenuit. Sed et hoc nudo Imperatoris titulo, exiguo tempore fruitus est *Ludovicus*, nam post 18. mensium imperium an. 879. veneno sublatus est. *b*) Post cujus mortem status Galliae ambos filios ex *Ansgarda* Reges Galliae proclamarunt, qui post sex annos infeliciter perierunt, nempe *Ludovicus* in venatione, *Carolomannus* vero in equitatione exspiravit.

VII. *Carolus III. Crassus*, a corporis habitudine dictus, patre *Ludovico* Germaniae rege, matre *Hemma* natus, uxorem habuit *Richardim* Scotorum regis filiam, quam intactam re-

---

*a*) Regino L. 2. *b*) Aimoin. L. 5. c. 39. Regino. ad an. 878.

relinquens, demum ex falsa adulterii suspicione repudiavit, quae dein Virginum coetui se dicavit. *Carolus Crassus* fratre suo *Carolomanno* paralysi mortuo, Italiam et Imperium jure haereditario obtinens, a *Joanne VIII.* Pontifice in festo nativitatis Christi an. 880. Imperator coronatus, initio magnam virtutis et gloriae materiam arripuit; cuncta enim ei prospere successerunt, *Bosonem* Italiae regem se efferentem Italia expellendo, Italiam Saracenorum irruptionibus fatigatam, tutam reddendo, *Hugonem* Galliae Tyrannum opprimendo, *a*) Normannos e Scandinavia Franciam populantes acie profligando, quos non modo amicos et socios, sed etiam affines fecit, data *Godefrido* regi in matrimonium *Lotharii* defuncti Galliae regis filia, cui dotis loco Frisiam contulit. His tamen Normanni non contenti, *Rollone* duce *Neustriam* antea dictam invadentes, majora pericula Imperio ostentabant; quae ut *Carolus* amoveret, novum foedus cum iis pepigit, vi cujus Neustriae partem, cujus caput *Rotomagum* erat, in perpetuum iis concessit, a quo tempore Neustria a novis colonis *b*) *Normannia* dici coepit: quorum promotione illecti alii, finibus suis egressi id ipsum tentarunt. Ob hoc turpe foedus initum et inertiam adeo se exosum suis reddidit, ut quamplurimi Germaniae

niae

*a*) Regino. L. 2. *b*) Aimoin. L. 5. c. 40. P. Aemili. L. 3.

niae populi irritati, eum jam non satis animi compotem deseruerint ita: *a*) ut solus relictus, non modo ministris, sed et victu quotidiano destitueretur, unde ex concepto animi moerore post sex hebdemodas remotionis ab imperio, in vili Sveviae pago obiit an. 888. Cujus loco subrogatus est *Arnulphus.*

VIII. *Arnulphus*, *Carolomanni* ex *Carentina* naturalis filius, uxorem primam ei tribuunt *b*) *Agnetam* Orientis Imp. filiam, ex qua Arnolphum cognomento *malum*, et *Vernerum*, ex altera vero conjuge *Jutta* seu *Ludgarda Guelphi* Bavariae ducis filia *Ludovicum* in Imperio successorem suscepit. Postquam *Corolus Crassus* throno deturbatus erat, successio Imperii ad *Arnulphum* delata est, licet spurius fuerit, (nam *Carolus simplex Ludovici Balbi* filius tunc pupilus sub tutela *Ottonis*, annuente *Arnulpho*, titulo regis Galliae ornatus, sed imperii iucapax erat.) Hic *Arnulphus* ut se in Imperio firmaret, concedere cogebatur, ut *Berengarius* et *Guido* de Italia decertarent. *c*) item ut *Rudolphus* Burgundiam, *d*) *Ludovicus* Narbonensem Galliam, *e*) *Otto* Aquitaniam regis

---

*a*) Regino ad an. 887. et 888. Ann.. Fuld. ap. Freher. ad an. 887. *b*) Munsterus in Cosmograph. fol. 773. *c*) Ann. Fuld. Regino ad an. 388. sigeb. Gembl. referunt. Berengarium Forojuliensem, Guidonem Decem Spoletanum fuisse, qui se reges Italiae dicebant. *d*) Regino. ad eundem. an. *e*) Ann. Fuld. ad an. 888.

regis titulo occuparent. *a*) *Zuentibaldo* autem Duci Moraviae sponte regnum Bohemiae titulo amicitiae donavit; qui dein contra *Arnulphum* rebellans, auxilio Hungarorum oppressus est. Hac enim tempestate nova Hunnorum manus e Scythia in Pannonia consedit; ubi hi populi *Hungari* sunt appellati, et Regno Hungariae nomen dederunt: qui *Ludovico Arnulphi* filio debellato, sibi stipendiariam fecerunt Germaniam. *b*) Quo facto *Arnulphus* grandem errorem commissit, barbarae huic genti portas Germaniae aperiendo. Ceterum *Arnulphus* potentes jam Normannos tanto proelio profligavit, ut pauci ex 90. millibus superstites remanerent, *c*) Similiter *Guidonem* ex Italia et regno Lombardiae profligavit, et *Berengario* ad se profugo sponte restituit, quare a *Guidonis* vidua *Agiltrude* deceptus, quae ei poculum amatorium veneno infectum propinavit, ex qua potione in morbum incurabilem incidens, ad tertium diem stertisse scribitur, cui ex corrupto sangvine *d*) vermes nati sunt; hinc *Lu-*

*a*) Otto Tutor, Caroli simplicis, ut ait Aimoin. L. 5. 41. *b*) Luitprandus. L. 2. c. 1. et 2. Conradus a Lichtenau abbas Urspergensis in Ludovico. Lambert.. Scaffnab. sigebert Gemcl. *c*) Ann. Fuld. ap. Freher. fuse. Regino, et Herman Contractus. *d*) Luiptand. L. 1. c. 9 Velius autem tale Epigramma fecit: Normannos vicit, sed non animalia tetra; a quibus ut quondam, Sylla peresus obit.

*Ludovico* filio imperii haerede relicto, mortuus est *Oetinge* in Bavaria, et Ratisbonae sepultus an. 899. in templo ad D. *Emeranum.*

IX. *Ludovicus IV.* patre *Arnulpho* Imp. matre *Jutta* natus an. 892. post mortem patris licet septem tantum annorum esset, tamen ab Imperii proceribus *a*), Imperator declaratus, Tutorem accepit *Hattonem* Archi Ep. Moguntium, et *Ottonem* Saxoniae Ducem; uxorem adhuc Juveni desponsarunt *Mathildam* Ducis Saxoniae *Ludolphi* filiam, ex qua nullam prolem suscepit. *Ludovicus* hic quoniam Italia et Germania bellis arderet, Romam venire non valens, nunquam a Pontifice fuit coronatus, ideo mox *Ludovicum Bosonis* filium adversarium accepit, qui pulso *Berengario*, Italiam occupans, *b*) a Pontifice Imperator coronatus est, sed absque procerum consensu: quare etiam *Berengarius* hunc *Ludovicum* Pontificis Imperatorem an. 904. captum oculis privavit, et Italiam amissam recuperavit, quam inter continuas barbarorum incursiones 20. annis tenuit. Hungari enim pervastatis Bavariae et Saxoniae finibus, ipsam etiam Italiam invadentes, ipsam regni sedem *Papiam* oppugnarunt, sed a *Berengario* multis suorum amissis fugati, omnes prae-

---

*a*) Frustra contradicente Zventiboldo. Arnulphi spurio. aut Regino. ad an. 900. Otto Frising. L. 6. c. 14. Aventin. L. 4. c. 21. *b*) Luitpand. L. 1. c. 11. Marian. Scotus.

praedas reddere voluerunt, modo incolumes redire permitteret; qua rejecta, Hungari in desperationem acti, Italos magna clade attriverunt, felicitate armorum animati, Tarvisum, Vicentiam, Patavium et Venetias foeda populatione deformarunt; demum accepta a *Berengario* grandi pecunia, auro non armis victi domum redierunt. *a*) Qui sequentibus annis in Germaniam irruentes pari populatione cuncta impleverunt, qnibus *Ludovicus* ad oppidum *Augspurg* se opposuit, sed infelici successu caesus, florentissimam Germaniae partem amisit, imo aliquot cladibus acceptis, vix anno decimo pecunia et promisso annuo tributo removere potuit. *b*) Cum interim in Italia *Lambertus Guidonis* filius ope Pontificis Imperium recepit, cui occiso *Berengarius* de novo successerat. Ob quos infelices successus, et turpe tributum promissum, *Ludovicus* a suis contemptus, ex moerore animi decessit, an. imperii 12. aetatis 19. cum quo stirps *Carolingica* 911. plane defecit. *c*) Hoc tempore Germani ob frequentes Hungarorum incursiones arces et praesidia in montibus ponere coeperunt, in quae se et res salvarunt, quorum rudera hinc inde et hodie visuntur.

X.

---

*a*) Regino ad an. 901. Luitprand. L. 2. c. 4. *b*) Idem, ibid. c. 6. Regino Prunien. desimil. an. 905. ejus continuator. Marian. Scotus. Lamb. Schaff. Herman. Contract. *c*) Herman. Contract. Otto Frising. L. 6. c. 15.

X. *Conradus I.* cujus filius fuerit, scriptores variant. Uxorem habuit *Placentiam Ludovici* Germaniae regis filiam, ex qua nullam suscepit prolem. Jam mortuo *Ludovico IV.* Imperii proceres *Ottonem* Saxoniae Ducem, a prudentia et rebus gestis commendatum sibi Imperatorem exoptarunt; qui ob senectutem onus imperii assumere nolens, *a*) Francorum Ducem *Conradum* virum strenuum ad imperii habenas commendavit, *b*) quem etiam pietate moderatione excellentem mox variae adversitates exceperunt: Bavariae enim proceres sibi regem crearunt *Arnulphum*,qui inita cum Hungaris societate se *Conrado* opposuit, sed eum *Conradus* devicit et in exilium misit. *c*) Potentissimi etiam Germanicae Principes tumul tuabantur, uti *Arnulphus Malus* Bavariae, *Giselbertus* Lotharingiae, et *Burchardus* Sveviae Duces, qui relicto *Conrado* Imp. *Carolum Posthumum* ex Gallia ad Imperium evocarunt. *d*) His adjunxit se *Henricus Auceps*, cui vitae insidias struebat Imperator opera *Hattonis* Moguntini Archi Ep. unde funetissimum exortum est bellum, quo *Henricus* tanta Franco-

---

*a*) Otto Frising. L. 6. c. 15. Siffrid. Presbyt. Misnensis. L. 1. *b*) Conradum, Carolingis adnumerat Godefred. Viterbiens. parte. 17. hinc dubia quaestio, an regnum Francorum. an Theutonicorum sit. Otto Frising L. 6. c. 17. *c*) Witteinkind. L. 1. Aventin. L. 4. *d*) Sibert. Gembl. ad an. 914. Wittek. de reb. Sax. L. 1.

corum clade devicit Imperatorem ejusque fratrem *Eberhardum*, ut inde proverbium oriretur: *Ubi tantus infernus inveniri posset, qui tot Francos caesos caperet.* Verum brevi *Conradus* mutavit suam de *Henrico* sententiam ob ejus generositatem et sapientiam adeo, ut eum licet antea inimicum, nunc tamen Imperii successorem eligens, proceribus enixe commendaret. Interim ferventibus his civilibus bellis, Hungari quoque an. 914. annuo tributo olim pacto non contenti, irruptionem in Bavariam fecerunt, quos Imperator duplici proelio fractos redire coegit: qui mox signa in Ltaliam vertentes, inde post multas populationes, muneribus *Berengarii* amoti: denuo an. 917. Germaniam aggressi, Saxoniam, Thuringiam, Franciam, dein Rheno trasmisso Lotharingiam et Alsatiam horribili grassatione percursarunt, ipsumque *Conradum* ad pacem redimendam annua pensione coegerunt. *a*) qui tandem anno regni 7. viribus fractus obiit. Sepultus in Monasterio Fuldensi, an. 919. Post quem Imperii dignitas a Francis ad Saxones devoluta est. In eo commendandae erant tres animi virtutes, quos facto ostendit, uti gratitudo erga *Ottonem.* clementia erga *Hinricum Aucupem.* et prudentia in successore eligendo, salutem publicam

---

*a*) Aventin. Ann. Bojor. L. 4. Continuat. Reginonis. ad an 912. — 917. Herm. Contract. an. 916, seq. Chron. Augiense. ad an. 913. 915. 917.

cam privatae praeponens; juxta Axioma Politicorum: *Salus Rei — Publicae suprema lex esto a*)

## Imperatores Saxonici.

XI. *Henricus Auceps*, Patre *Ottone* Duce Saxoniae, matre *Ludgarda Arnolphi* Imp. filia natus, primam uxorem habuit *Hatburgam* monialem, ex qua suscepit filium *Danckverdum*: qua demum repudiata, aliam duxit *Mechtildem Dideri* Comitis piissimam filiam, ex qua suscepit filios plures, uti *Ottonem* suum successorem. *Henricum Rixosum*, et *Brunonem* Episcopum Coloniensem. — Filias vero habuit V. uti *Mechtildem*, *Gerbergam*, *Adelheidam*, *Rixam* et *Anonimam.* — *Henricus* hic, quod aucupio Imperii insignia per legatos accepisset, vulgo *Auceps* dicitur, *b*) Princeps Imperio utilissimus, illud summa Laude administravit, Duces sibi resistentes partim armis partim Blanditiis ad officium redigendo; *c*) compositis igitur domi rebus cum *Burchardo* Sveviae et *Arnulpho* Bojoariae Duce, mox gravia bella cum exteris feliciter gessit, Lotharingiam enim aliquandiu a *Carolo Simplice* possessam *d*) revindicavit; Vandalos

 sae-

---

*a*) Wittekim. L. 1. Crantzius. Saxon. L. 3. c. 2. *b*) Godorf. Viterb. part. 17. Witték. L. 1. Dit. mar. L. 4. *c*) Wittek. L. 1. Crantz. L. 3. c. 4. *d*) Contin. Regim. ad an. 923. et 924. Witekim. L. 1. p. 638. Otto Frising. L. 6. c. 18.

saepe Imperio infestos ad mare Balticum, 120. millium clade profligavit. Contra Danos devicto eorum rege *Gormone*, Marchiam *Slesvicensem* condidit; Slavos subegit; Dalmatas tributarios fecit; Bohemos expugnata Praga, Legibus Imperii subjecit, *a*) et cum vicinis gentibus ad fidem Christianam adegit. Contra Slavos Marchiam *Brandeburgicam* *b*) et *Misnensem*; contra Hungaros *Austriae* constituit. Cum Hungaris duplex bellum gessit, quos primo post magnas clades acceptas, muneribus placavit, *c*) a quo tempore Germanos ad Civilem vitam et armorum tractationem docuit. *d*) Post quae tamen non modo *Hugonis* Arelatensis tyrannidem pati cogebatur, sed in super etiam novas Hungarorum irruptiones ob ignominiose negatum tributum: quos Thuringiamet Saxoniam vastantes, maxima clade an. 933. ad *Merseburgum* affecit, Germaniamque a tributo pendendo immunem praestitit. *e*) Atque ab hoc tempore Germania institutis *Ludis Equestribus* sensim robustior et tucior redebatur. Tandem *Henricus* optimus Princeps Romam profe-

*a*) Wittek. L. 1. p. 639. seq. Ditmar. L. 1. p. 327. *b*) Crantzius Vandal. L. 3. c. 6. *c*) Luitprand. L. 2. c. 8. seq. Sigebert. an. 924. Herm. Contr. ad. an. 925. seq. *d*) De divisione Germanorum in Cives et Colonos. Crantzius. L. 3, c. 7. Saxon. *e*) Luitpr. L. 2. c. 9. Witteck. L. 1. Otto Frinsin. L. 6. c. 18. Crantz. Saxon. L. 3. c. 8.

fecturus an. 936. obiit aetatis 60. Imperii 18. anno. *a*)

XII. *Otto Magnus* patre *Henrico Aucupe*, matre *Mechtilde* natus. Uxorem primam habuit *Editham*, ex qua *Ludolphum* Sveviae ducem, et *Wilhelmum* Ep. Moguntinum, item filias *Ludgardam* et *Mechtildem* suscepit. Ex secunda vero uxore *Adelhaide Rudolphi* Burgundorum regis filia genuit *Henricum*, *Brunonem*, et *Ottonem* II. in imperio successorem, item filiam *Adelheidam* quam *Hugoni Capeto* Comiti Parisiorum, et Franciae Regi elocavit. *b*) *Otto* hic a rerum gestarum amplitudine *Magnus* dictus, ob corporis et animi dotes *Amor mundi* vocatus communi omnium gaudio paternum imperium obtinuit, *c*) et sumu cum laude administravit, cujus industria multa monasteria instaurata, ampliata et edificata sunt. Hic multis dificultatibus toto Imperii cursu agitabatur adeo: ut tota Europa in caput, perniciemque ejus conspirasse videretur, conabantur enim cuncti Principes eum Imperio dejicere, cum quibus *Otto* necessario congredi debuit, cujus bellicam fortitudinem et prudentiam omnes experiri cogebantur; signanter primo *Tanquardus Ottonis*



*a*) Wittekind. L. 1. Contin. Regim. Herm. Contr. ad an. 936. *b*) Chron. Funecii. fol. 138. *c*) Wittek. L. 2. c. 3. Ditmar. Merseb. L. 2. Luitpran. Ticinen. L. 4. 5. 6. Godorf. Viterb. prat. 17.

Imperatoris frater, qui *Ottoni* Imperatori, ob collatum an. 937. *Geroni* Comiti Marchionatum Brandeburgicum, iratus, mox cum *Eberhardo* Palatino foedus contra Imperatorem inivit, *a*) qui tamen in praelio ineundo, ab iratis militibus confossus, cum multis rebellibus vitam finivit. *Eberhardus* Palatinus et Franconiae dux, licet veniam delictorum obtinuisset, tamen anno sequenti 939. novum foedus contra Imperatorem inivit cum *Henrico* fratre Imperatoris, et *Giselberto* Lotharingo, Moguntino Episcopo, quos rebelles Imperator adeo terruit, ut vitam fuga salvare cogerentur; qui demum resumptis animis fortunam tentantes, mox ab agricolis proditi sunt, ubi *Eberhardus* trucidatus, *Giselbertus* vero fugiens in Rheno submersus est. *Henricus* ita solus sibi relictus, ad Imperatoris fratris sui genua procidens suplex veniam petiit et obtinuit. *b*) *Ludovicus* vero *Transmarinus* Rex Galliae, qui se his nefarie miscuerat, rebus desperatis, tandem an. 942. pacem ab Imperatore petere coactus est. *c*) *Hugonem Capetum* Parisiorum Comitem an. 945. *Ludovico* Galliae regi, regnum in societate Normamorum eripere conantem, per milites stramineis pileis ornatos, adeo de-

*a*) Wittekind. L. 2. p. 643. seq. Ditmar. L. 1. Luitprand. L. 4. c. 7. seq. *b*) Wittek. L. 2. p. 644. Contin. Regim. ad an. 937. seq. Ditmar. L. 2. Ann. Saxo. an 938. *c*) Wittek. L. 2. p. 646. seq. Luipr. L. 4. c. 9. 10. — 17. Ann. Saxo. an. 939. — 942. Sigebert ad an. 940. — 943.

devicit; ut eum ad pacem petendam, suamque insolentiam simul detestandam compelleret; *a*) *Ludovicum* affinem in regnum restitueret; totamque Lotharingiam sui juris faceret: quam dein *Conrado* Francorum duci et suo genero *b*) contulit. Post haec erupit *bellum Italicum* an. 950. *Lothario* enim Italiae rege veneno occiso, *Berengarius* III. *Berengarii* I. ex filia nepos, Veronae a populo rex acclamatus, regnum Italiae una cum *Adalberto* filio accepit, illudque liberalissime administrare instituit: *c*) hanc *Berengarii* temeritatem *Otto* bello frangendam statuens, *Conradum* generum cum valido exercitu contra eum misit, qui brevi eum ad pacis conditiones accipiendas coegit, quare *Berengarius* in Saxoniam tendens; in celebri procerun Germaniae conventu *Moguntiae*, nexis cum filio *Adalberto* manibus, cuncto spectante exercitu, regiae potestati et Clementiae se permisit: ubi *Otto* mox *Berengario* ejusque filio fidelitatem promittenti, Regni Italici insignia reddidit ea conditione: ut annue Centum triginta pondo auri penderet. Verum has res praeclare gestas, nova domestica calamitas excepit; *Conradus* enim gener, et *Ottonis* filius *Ludolphus* rebellarunt, quod *Brengarium* in gratiam recepisset; eique Italiam

---

*a*) Wittek. L. 3 Crantz. Soxon. L. 3. c. 23. *b*) Contin. Regin. an. 913. Ann. Saxo. *c*) Luiptr. L. 6. c. 6.

liam contulisset; quos tamen intra biennium vicit, et deprecantibus veniam dedit. *a*) Sed hi brevi denuo rebellarunt, offensi parentis nuptiis, quod *Adelheidem* viduam *Lotharii* captivam liberasset et in uxorem duxisset, timens imprimis Ludolphus ne per hoc secundum matrimonium sibi in successione derogaretur; hinc subsecuto in bello *Ludolphus* ab omnibus suis foederatis desertus, aliquamdiu Ratisbonae obsessus quum fame etiam urgeretur; tandem nudis pedibus et vili veste se ad Patris pedes prostravit, multisque lacrymis culpam deprecatus, in gratiam receptus est an. 954. 17. Decemb. *b*) Hungaros etiam saepe Germaniam infestantes, memorabili proelio ad *Augustam Vindelicorum* 955. ad internecionem 100,000. clade profligavit, *c*) roburque eorum ita imminuit, ut redire amplius non sint ausi. Capti sunt tres Hungarorum reguli, qui ad *Henricum* Bavariae ducem missi, et Ratisbonae suspensi sunt. Ob hanc victoriam *Pater Patriae* appellatus, et ejus auctoritas apud omnes gentes maxima esse coepit. Post haec *Heraldum* Daniae regem devictum ad fidem Christi suscipiendam *d*) coegit. Slavos penitus supressos, Christianos fieri compulit. *Nicephorum Phocam* Graecorum Imperatorem ob commissam fraudem, quum privignam

*a*) Wiitek. L. 3. Luipr. L. 6. c. 6. *b*) Wittek. L. 3. *c*) Idem. ibid. p. 656. Regin. Ann. Saxo. Herm. Contr. ad. an. 955. Aventin. Annal. L. 4. *d*) Hetmold. L. 1. c. 9. Albert. Stadensis. ad an. 948.

nam suam *Theophaniam*, quam filio suo *Ottoni II.* in sponsam promiserat una cum dote regno Apuliae, postea non modo denegatam, sed et ejus legatos perfide occisos, de sede Imperatoria per *Jnannem Zimiscem* dejecit; Apuliam et Calabriam armis occupavit, et Graecos ibi habitantes partim occidit, partim naribus truncatos Constantinopolim transmisit. *a*) An. 970. Ab *Ottone* petiit *Helena* Rugorum regina Episcopos et Presbyteros, qui gentem eam ad Doctrinam Christianam imbuerent an. 960. Eodem Ottone Cooperante an 965. in Regno Poloniae Religio Christiana inducta est, quorum princeps *Mieslaus* Gnesnae baptismum suscepit. Sub eo accidit an. 968. quod *Hatto* ex Abbate Fuldensi Episcopus Moguntinus, quum magna esset per Europam frumenti inopia, pauperes panem implorantes quasi exaudivisset in horreum suum congregaverit, ubi cibum expectantes misere comburi jussit, qui dum plorassent, superbe dixisse fertur: *audite quomodo illi mures frumentarii sibillant!* verum *Deus* ob hanc inpietatem brevi in copia supra *Hattonem* mures immisit, qui eum etiam in medio Rheni fluvii, ubi turrim ad se salvandum posuerat, vivum devorarunt. *b*)
Tan-

---

*a*) Vittek. L. 3. Otto Frising. L. 6. c. 24. Contin. Regin. et Ann. Saxo. ad an. 967. Sigon. et Zonar. *b*) Trihemius. et Frider. Vendelinus. c. 2.1. de admirandis Niti. sed Serrarius negat. L. 4. Mogunt. fol. 692.

Tandem *Otto magnus*, virtutibus plenus an' 973. post celebria Comitia *Quedlinburgensia* placide mortuus est, Imperii an. 37. et Magdeburgi sepultus, cujus in Sarcophago hi versus erant:

*Tres luctus causae sunt sub hoc marmore clausae,*
*Rex, Decus Ecclesiae, summus honor Patriae.*

XIII. *Otto II.* Patre *Ottone I.* matre *Adelheide* natus, a. 955. uxorem habuit *Theophaniam Nicephori* Imperatoris Graeci privignam, ex qua suscepit *Ottonem III.* successorem, et *Hugonem* seu *Ulricum*, inter filias nominatissima fuit *Jutha. Otto II.* vivo adhuc patre, septennis Imperator coronatus; demum mortuo patri a. 973. in imperio succedens, *a*) paternae virtutis aemulus factus, imperium cum laude administravit: Ecclesiae enim et Reipublicae salutem summo studio quaesivit; Imperium tamen internis et externis bellis multum fuit agitatum. Intestinis *b*) cccasionem dedit ejus patruelis *Henricus* Bavariae dux, regni cupidus, qui brevi victus et judicio imperii, exilio una cum filio mulctatus est. Postea *Heraldum* Daniae regem *Henrici* foederatum aggressus adeo attrivit, ut pacem petere cum annuo tributo cogeretur. *c*) Bellum cum Bohemis suscepit ob

*a*) Ditmar. Merseburg. L. 3. Godofr. Witerbien. Wittek. L. 3. Herm. Contr. Lamb. Schaffnab. *b*) Ditmar. L. 3. Lamb. Schaff. Georg. Fabricius. Orig. Saxon. L. 2. *c*) Lamb. Schaff. ad an. 974. Ditmar. L. 3.

ob filiam suam *Jutham*, quam Ratisbonae in monasterio educatam, *Udalrici* Bohemiae regis filius *Bisetislaus* rapiendo sibi copulavit, quam contumeliam vindicaturus *Otto* exercitum in Bohemiam ducens, obvia quaeque ferro et igne depopulatus est. Cumque duo exercitus jam e minus constitissent, *Jutha* inter primas acies, crinibus sparsis, scissaque ungvibus facie prosiliens, patris alloquium imploravit; quod obtinens, precibus et lacrymis suis adeo patris iracundiam mitigavit, ut matrimoniale vinculum ratum probaretur; imo mox aparuit coram Imperatore et ipse juvenis *Bisetislaus* prostratus in genua, et facinoris non ex malitia, sed amoris igne commissi, veniam obtinuit. *a*) Posthaec *Otto* rebus in Lotharingia componendis intentus, quoniam a. 977. *Carolum*, *Lotharii* Galliae regis fratrem Ducem Lotharingiae renunciavisset, id *Lotharius* aegre ferens, aperte arma in *Ottonem* vertit; *b*) quod bellum dein Imperatoris voluntate ut jam fecerat terminatum est. His peractis Imperator mox in Italiam profectus est a. 980. ubi contempta ejus auctoritate, Graecos Saracenorum auxilio Italiam vindicantes adoriebatur; sed Italorum perfidia tanta clade affectus est, ut Apuliam et Calabriam

---

*a*) Geraldus. in vita S. Udalricii. c. 28. §. 80. seq. Ann. Laxo, ad an. 975. 976. *b*) Sigeb. Gembl. ad an. 977. 978. Ann. Saxo. ad an. 977.

labriam amittens, ipse aegre evaderet; *a*) cumque domi *Slavi* rebelles acerbe a Germanis castigati fuissent, Italorumque perfidiam punivisset; mox in tanto vitae periculo copias colligens, a. 983. Saracenos tanta cruenta navali pugna vicit; ut *pallida mors Saracenorum* diceretur: *b*) interim in hac pugna ipse *Otto* sagitta venenata vulneratus, brevi mortuus et Romae sepultus est an. aetatis 29. imperii 11. cujus memorabile est testamentum de rebus mobilibus distribuendis, thesauros enim in IV. partes divisit; et *unam* partem Ecclesiis; *alteram* pauperibus: *tertiam* Matri, sororibus et filiis: *quartam* Consiliariis, Equitibus et servis, qui cum ipso in Italiam profecti fidele servitium exhibuerunt, legavit.

XIV. *Otto III.* patre *Ottone II.* matre *Theophania* 972. natus, dictus *puer* quoniam vix 11. annos habens, tamen a Principibus Imperator erat electus, et ex consilio Patris et ordinum consensu *Willigiso* Episcopo Moguntino educandus ac erudiendus fuit traditus, qui etiam praeclaras educatoris partes implens, dignìtatem Electoralem imperio est consecutus; qui conditionis suae, (patre rhedario natus,) memor, dicere solitus est: *Willigise Willigise, recole*

---

*a*) Mercatoris nomine et Graeco sermone liberatum ait: Georg. Fabricius. orig. Saxon. L. 2. Ditmar. L. 3. Sigebert Gembl. *b*) Sigon. L. 7. de reg. Italiae. Ditmar. L. 3. Aventin. L. 4. Sigebert. Gembl. Annal. Saxo.

*recole unde veneris, et prioris tuae fortunae memor, quis nunc sis, considera. Otto* igitur vivida indole praeditus initio statim varias de successione experiri debuit contentiones, *Henricus* enim Davarus fiducia nonnullorum ordinum ad Imperium adspirans, ut illud facilius consequeretur, praetextu tutelae *Ottonem* puerum ad se transtulit; sed principum consensu eum matri et imperio *a*) restituere, ipseque gratiam implorare coactus est a. 984. Bohemos Misniam infestantes una cum duce *Miescone* ad pacem adegit. *b*) Danos ad Albim Saxoniam vastantes, 20. millium hominum caede profligavit. *c*) *Lotharium* Galliae regem Lotharingiam recuperare adnitentem, a plano, pace removit. *d*) Italos per matrem suam aliquo tempore in officio continuit, donec *Crescentius* Consul Romanus, cum multis Italis regnandi cupidus seditionem excitando tyrannidem arripuisset, et *Gregorium* Pontificem de sede dejiciens, *Joannem XVI.* suffecisset. Imperator igitur Italiam tendens, magno honore ob clementiam et sapientiam a Romanis exceptus, mox a 998. *Crescentium* cum suo Papa ex fuga retractum, tamquam multarum turbarum reum, vili jumento impositum aversa facie per urbem circumduci, dein

longo

---

*a*) Ditmar. L. 3. Georg. Fabrici. de orig. Saxon. L. 4. c. 21. seq. *b*) Ditmar. L. 4. Annal. Saxo. ad an. 986. *c*) Ditmar. L. 4. Helmodus. L. 1. c. 15. *d*) Wilhelm. Nangius, et Sigebert. Gembl. ad an. 985.

longo cruciatu laceratum ad Portam cum 12. sociis suspendi jussit. Antipapa vero a populo virgis caesus, oculis privatus, et confossus est. In alios quoque turbatores exilio animadvertens *Gregorium V.* Pontificem sedi restituit. *a*) Quo adnitente ut in futurum electio Romani Imperatoris foret pacifica, electoralem dignitatem VII. Virorum excogitans publica constitutione, Imperatoris eligendi Jus Germanis Principibus asseruit, *b*) unde ejus *prudentia* patuit. *Clementiam* exhibuit *Mariae* conjugi, cui ob rem cum juvene quodam habitam ignovit: sicuti et *Henrico Rixoso* Bavariam restituit. *Magnificentiam* in Polonia ostendit, ubi *Boleslaum* ex Duce in Regem inauguravit, eique Coronam *Gnesnae* manibus suis imposuit; prout et Hungaria eo connivente Regium titulum usurpare coepit, quem dein S. *Henricus* confirmavit. Statum etiam Subditorum suorum et urbium diligenter inquisivit. *Justitiae* exemplum in uxore sua *Maria* impudica reliquit, quae

*a*) Ditmar. L. 4. p. 354. Arnulphus. de gestis Mediolan. L. 1. c. 10. Chron. Casin. L. 2. c. 13. Ann. Saxo. ad a. 998. *b*) Electorum originem quidam huc falso referunt. vide Sethum Calvisium in Thesi Chron. an. 998. sim. Schardium de Electorum origine Bernh. a. Mallinkrot, de Archi Cancell. Rom. Imp. L. 2. c. 8. Bertius. L. 3. c. 7. Comm. rerum. Germ. De hac re optime Rulandus scribit in Tractatu de Commiss. et Commission p, 2. L. 5. c. 4. n. 18. qui ad Carolum IV. Imp. rejicit.

quae juvenem muliebri vestitu sibi servavit; quod ubi innotuisset, juvenis vestibus spoliatus et vivus combustus est. Imperatricis impudica vita, post innocentis Comitis cujusdam decapitationem, magis apparuit, decapitati enim Comitis vidua in conventu, quo Jus viduis more veteri dicebatur, cum ejulatu petivit causam suam recte cognosci, et legum auctoritate defendi, quae mulier mariti sui caput in medium projiciens exclamavit: O Imperator! hunc maritum meum contra jus et fas capite mulctasti! Ad haec mox Imperatoris jussu, allatum ferrum ignitum mulier sine ulla offensione apprehendens et ad constitutum locum deferendo innocentiam suam abunde probavit: quo facto Imperator commotus, viduam multis muneribus et quatuor castris donavit, suam vero conjugem *Mariam* igne cremari jussit. *a*) Sub eo haec etiam prodigia evenerunt. 986. Constantinopoli enormis terrae motus, quo templa corruerunt. 987. Annona in Albania, et pisciculis in Saxonia pluit. 991. Ignis de Rheno ascendit, et villas vicinas absumsit. 994. Hyems saevissima ad Majum usque duravit, ut aqua ad usus humanos non suppeteret: demum pestilentia sequebatur *b*) Interim *Otto* III. maximis virtutibus clarus, victima mulieris evasit.

---

*a*) Casp. Hedion. in Hist. Eccl. Cosmograph. Munster. L. 3. *b*) Chron, Funcci fol. 140. Chron. Saxo. fol. 176.

sit. Nam quum ex Italia reditum in Germaniam appararet, vidua *Crescentii* rebellis nuper suspensi, cum qua *Otto* ob pulchritudinem familiariter conversari solebat, seque futuram Imperatricem sperabat; qua tamen conjugii spe se excidisse advertens, ex vindicta aut zelotypia, astute ipsi *Ottoni* chirothecas affabre factas sed veneno imbutas misit, ex quarum usu aut contactu infectus et extinctus est a. Ch. 1002. aetatis 30. Imperii 19. corpus Aquisgranum delatum est. *a*)

XV. *Henricus II. Sanctus.* Patrem habuit *Henricum Hezelo* Bavariae Ducem, *Henrici Rixosi* fratris *Ottonis M.* nepotem, Matrem *Bertham* alias *Giselam* Lotharingiae ducis filiam. Uxorem vero *Cunegundam Sigefridi* Palatini filiam, castitatis laude celebrem faeminam, cum qua continuo virginitatem coluit; quam etiam moriturus suis consangvineis his dictis resignavit. *b*) *Recipite quam mihi tradidistis virginem Vestram.* Ceterum *Henricus S. Ottone* III. sine haerede defuncto, post gravem contentionem, et fere quinque mensium interregnum, Moguntiae Rex coronatus, mox Princeps religione maximus, munificentia erga Ecclesias et pauperes, castitate, clementia, et rebus bello fortiter gestis insignis evasit; a cujus salute pende-

---

*a*) Ditmar. L. 4. Sigebart. Gembl. ad a. 1002. Crantz. Sadon. L. 4. c. 26. *b*) Fulgosus L. 4. c. 3. Egnatius. L. 4. c. 3. Sigon. L. 7. de reg. Italiae.

pendebat status orbis terrarum, qui sicut suis recte profuit, ita hostibus Imperii obfuit. Ante omnia primum eos compescendos censuit, qui ejus electionem impedire conabantur; inter quos erat *Echardus* Saxoniae Marchio *Ottonis M.* pronepos, quem *Lotharius* et *Brenno* Duces Saxoniae interfecerunt. *Henricum* Austriae Marchionem res novas cum filio *Ernesto* molientem ipse *a*) suppressit. *Hermannum* ducem Sveviae cum *Brunone* Episcopo Augustano, ad culpam suam deprecandam sapientia sua permovit. Quibus in Germania compositis, profectionem in Italiam suscepit, cujus tres erant *causae*: I. ut possessionem Imperii in Italia confirmaret. II. ut *Harduinum* Marchionem Eporediae, quem Itali Imperatorem nominarunt, opprimeret. III. ut in Italia tumultuantes Graecos et Saracenos repelleret. Igitur Italiam ingressus mox *Harduinum* tyrannum dupplici proelio victum *b*) fugavit, et Italiam sibi vindicans, coronam Mediolani a *Willigise* Archi Ep. accepit, et a. 1014. Romam veniens, una cum uxore corona aurea a *Benedicto* VIII. Pont. solenni ritu decoratus est. *c*) Dein quum Graeci auxiliantibus Saracenis Italiam foede vastarent, mox *Henricus* in Apuliam et Calabriam

*a*) Ditmar. L. 5. 6. 7. Herm. Contr. Aventin. L. 5. Brunnerus. L. 8. Sigeb. Gembl. *b*) Arnulph. Mediolan. L. 1. c. 12. seq. Ditmar. L. 5. e. 6. Herm. Contr. et Annal. Saxo ad a. 1014. *c*) Otto Frising. Sigon. L. 7. de rog. Italiae.

am tendens, praelio commisso, magna clade utrosque affectos oppressit, *Trojam* Graecorum Urbem munitam evertit, sicque Apuliam et Calabriam occupans, Loca quaedam Normannis donavit, *a*) ut contra Graecos et Saracenos de hinc tuerentur. Gravia bella gessit *Henricus* S. etiam contra *Polonos*, quos ad pacem adigens tributarios fecit. *b*) *Balduinum* Flandriae Comitem, Lotharingium ad se transferre meditantem, felicibus armis fractum, *c*) in gratiam recepit. Bohemos et Moravos *d*) sibi subjecit. *Rudolphum* Burgundiae regem a suis pulsum restituit. Quibus reipublicae laboribus fatigatus, tandem versa valetudine, postquam *Conradum* Franconiae Ducem virum strenuum sibi successorem ordinibus commendasset, an. 1024. calculi doloribus correptus, placide *e*) mortuus est Groningae, anno aetatis 52. imperii 23. cum quo Imperium occidentis apud stirpem Saxonicam esse desiit, et ad Francos devolutum est.

Impe-

---

*a*) Chron. Casin. L. 2. c. 37. Leo Ostiensis. L. 2. c. 37. Aventin. Crantz. *b*) Ditmar. L. 6. et 7. pugnae ad Misnam, Budissam, Glogoviam. commissae. *c*) Ditmar. L. 6. Sigebert. Gembl. ad a. 1006. *d*) iidem et Crantzius. Aventinua. Cuspiniani Chron. *e*) Wippo. Herm. Contr. Annal. Hildesheim. ad an. 1024.

## Imperatores Francorum.

XVI. *Conradus II. Salicus*, filius *Henrici* nepotis *Ottonis* ducis Carinthiae, qui ex *Conrado Sapiente* et *Luitgarda Ottonis I.* filia natus erat. *a*) Uxorem habuit *Giselam* Viduam *Ernesti* ducis Svaeviae, et *Lotharii* Regis Franciae filiam, ex qua *Conradus* suscipit filium *Henricum III.* successorem. Imperium ad eum pervenit per translationem et legitimam *electionem* etiam quoad ejus posteros. Nam mortuo *Henrico S.* sine haerede, Principes Germaniae magno numero confluentes, post duorum mensium interregnum, tandem communi voto *Conradum Salicum* Imperatorem renunciarunt; qui compositis in Germania rebus, Imperium virtute, Sapientia et praeclaris institutis stabilivit, restitutione Burgundiae, quae 130. annos suae gentis reges habuerat, auxit. Item liberalitate, cura Ecclesiae et pauperum insignis; in consilio prudens, iu rebus vero gerendis felix fuit adeo: ut aliis regibus formidabilis videretur, quare eum tanquam summum Monarcham Orbis Christiani venerati sunt. Cujus justitiam testatur fundata ab eo *Lex Salica* de proprietate Sylvarum et jure venationis: item de Bonis Ecclesiae non abalienandis. His ita ccnstitutis, Itali seditionem moliti



*a*) Wippo. in vita Conradi. ap. Pistorium. T. 3. p. 424. seq. Herm. Contr. Ditmar. L. 5.

liti cunctis viribus ad resistendum *Conrado* se se pararunt: quo Imperator armata manu veveniens, in rebelles graviter animadvertit; *a*) inter quos erat *Herbertus* Antistes Mediolanensis. Quibus pacatis in Germaniam conspiratione turbatam reversus, eam armis ad pacem adegit. Bellum contra Hungaros causa successionis in Bavariam suscepit, an. 1030. qui cum fortissimo exercitu Hungariam usque Jaurinum ferro devastans, quoniam inopia commeatuum premeretur, in Germaniam rediit, et quia etiam *Emericus* ad quem Bavaria jure materno pertinere putabatur, mortuus esset, *Stephanus* Rex pacem per *Henricum* Imperatoris filium petens *b*) obtinuit. *Miesconem* Polonum; qui ad exemplum patris *Boleslai* in Imperatoris contumeliam nomen regis sumserat, post longum et difficile bellum, vastatosque centenos pagos, in angustias redactum pacem petere coegit. *c*) Tandem *Conradus* postquam filium *Henricum* imperii consortem nominavisset, morte subitanea an. imperii 15. exstinctus est, et sepultus *Spirae* in templo S. Mariae a se adificato. *d*)

XVII. *Henricus III. Niger*, patre *Conrado II.* Imp. matre *Gisela* natus, primam conju-

---

*a*) Herm. contr. an. 1026. Arnulp. de gest. Mediol. L. 2. e. seq. Urppo in vita Conradi. *b*) Wippo. ibid. Herm. Contr. *c*) Wippo. p. 432. seq. Otto Frising. L. 6. c. 31. Ann. Saxo. an. 1030. Annal. Hildesheim. an. 1028. *d*) Chren. Cassin. L. 2. c. 65. Otto Fris. Lamb. Schaff. an. 1039.

jugem habuit *Cunildam Canuti* Angliae et Daniae regis filiam, sed brevi peste extinctam: Alteram *Agnetem Wilhelmi* Pictaviensis Principis filiam, ex qua suscepit *Henricum* IV. suum successorem, et *Conradum* mature mortuum; filias vero *Mathildem Rudolpho* Svevo, *Juditham Boleslao* Polono, *Sophiam Salamoni* Hungariae Regi elocavit. *Adelheidem* et *Agnetem. Henricus III.* patri omnium Germaniae Principum consensu succedens, *a*) *Bretislaum* Bohemorum ducem Poloniam infestantem an. 1041. feliciter *b*) profligavit. Dein Hungaros ob *Petrum* Regem exauctoratum aggressus, *Ovone* seu *Aba* rege devicto, post varias Hungariae illatas clades, *Petrum* pulsum in integrum *c*) restituit. Tum exorto Romae Schismate inter *Benedictum* XI. *Sylvestrum III.* et *Gregorium VI.* de Papatu decertantes, Romam veniens, tribus illis exauctoratis, Episcopum Banbergensem *Clementem II.* dictum Pontificem creavit; *d*) a quo an. 1046. cum *Agnete* uxore coronatus est, qua occasione confirmatum ei erat Jus Majestatis, ne post hac sine ipsius autoritate Pontifex Romanorum crearetur, quam Imperii Majestatem et Jura, dein contra



---

*a*) Otto Fris. L. 6. c. 32. Chron. Saxo. an. 1039. *b*) Cosmas. Pragen. L. 2. p. 28. seq. *c*) Otto Fris. L. 6. c. 32. Lamb. Schaff. Ann. Saxo. an. 1041. — 1044. Joan Thuroczius. Chron. P. 2. c. 34. seq. *d*) Otto Fris. L. 6. Chron. Casin. L. 2. c. 79. Herm Contr. an. 1046.

Pontificum artes acriter dufendens, etiam conservavit. *a*) Post haec in Germaniam reversus, an. 1049. *Godofredum* Lotharingum et *Balduinum* Flandrum rebelles ad officium *b*) redegit: sed expeditonem in Hungariam ad mortem *Petri* regis vindicandam haud feliciter *c*) repetiit. Similiter etiam contra Slavos Lusatios exercitum mittens, magna clade affectus est, *d*) quam jacturam aegre ferens, brevi morbo correptus, vel ut alii volunt buccella panis grandiore suffocatus an. 1056. aetatis 39. imperii 18. sepultus *Spirae* ubi natus erat. *e*)

XVIII *Henricus IV.* patre *Henrico III.* matre *Agnete* natus, primam uxorem habuit *Bertham Ottonis* Italiae Marchionis filiam, ex qua suscepit filios *Canradum* et *Henricum*, *Conradus* cum svasu Pontificis se Italiae regem nominavisset, eum pater in Comitiis *Cloniae* exhaeredavit 1099. et alium filium *Henricum* regem creavit; quae res bellum paritura erat, si *Conradus* vixisset. Ceterum *Henricus* IV. a morte patris, sextum aetatis annum agens ejus loco Mater *Agnes* prudentissima faemina, tutelem filii sibi commissam magna fide et diligentia, de consilio *Henrici* Augustani Episcopi

---

*a*) Blandus L. 2. decad. 2. Aventin. L. 5. Ursperg. *b*) Otto Fris. L. 6. c. 33. *c*) Herm. Contr. Thurocz. Chron. P. 2. c. 43. Bonfin. Dec. 2. L. 2. *d*) Herm. Contr. ad an. 1046. a quo Slavi Lintici vocantur. *e*) Otto Frising. L. 6. c. 33. Godofr. Viterb. part. 17.

pi per quinque annos gessit, ac in imperio tranquillitatem, magna prudentiae laude conservavit: cum tamen sucessive Proceres moleste ferrent sibi feminam imperare ideo an. 1062. *Otto* regulus Bavariae, *Hanno* Archi Ep. item *Egebertus* Saxoniae dux eo machinatione rem perduxerunt, ut *Agnetae* matri tutelam et imperii administrationem eriperent; idcirco navem in Rheno exornant, matri persvadent, ut liceat filio *Henrico* navem perlustrare, mater consentit, et *Henricum* mox versus *Colonias* avehunt. *Henricus* quum se abduci videret, vim metuens, e navi in Rhenum prosiliens periturus erat, nisi *Egebertus* in Rhenum prosiliens *Henricum*, et se servasset. Mater hac dere conturbata, ne amplius vitae humanae fraudes perspiceret, se in Monasterium contulit. Post haec Proceres *Henricum* sibi relinquentes, mature multis vitiis se polluit, adultior tamen factus mores mutando eximiis virtutibus deinceps praeluxit. *a*) *Ottonis* rebellionem in Saxonia supressit. In Hungarica expeditione ob exauctoratum *Salamonem* regem suscepta *b*) varias clades incassum pertulit. Lusatios Vandalos sibi subjecit. Omnium tamen gravissimam contentionem habuit cum Pontifice *Gregorio VII. Hildebrando* dicto, de *Investitu-*

*ra.*

---

*a*) Lambert. Schaff. Contin. Herm. Contr. ad an. 1062. *b*) Turoczius. Chron. P. 2. c. 44. Bonfin. Dec. 2. L. 2

*ra.* Haec Investitura erat Jus non tantum constituendi Episcopos et Abbates, sed simul iis cum traditione baculi et annuli, etiam Jurisdictionem spiritualem conferendi: quod Jus uterque atrociter sibi vindicabat. Imperator enim dicebat a se nullam innovationem fieri jura sua tuenda, quae decessores ejus exercuerunt. *Gregorius* vero dicebat: ipsius solius esse beneficia Sacra in Ecclesia conferre, quoniam indigna esset Sacerdotiorum nundinatio, ut a Principibus exerceri solebat. Quum tamen constet etiam deinceps Pontifices omnia venalia habuisse, patet: quod non tam de jure, qam de sordido lucro omnem contentionem viguisse. Interim quum Saxones eo tempore an. 1075. adversus Imperatorem arma sumsissent, qui ve profligati, Imperatorem multorum scelerum apud Pontificem accusavissent, *Gregorius* Pontifex egregiam sibi occasionem vindicandae Ecclesiasticae libertatis datam existimans; *Henricum* Imp. ut accusationi Saxonum respondeat, Romam evocat, et ni paruerit anathema minatur. Ad haec Imperator Legatos mittit, qui ignominiose ex urbe ejecti sunt, *Gregorius* vero solenni verborum formula Imperatorem excommunicavit. Imperotor ad haec indignatus, cum tamen videret multorum principum et Episcoporum animos in sui perniciem tendere, neque potentiae conjuratorum resistere posse, fidelis Ecclesiae filius Imperator, a suis desertus, prudenti Consilio ut in gratiam cum Pontifice rediret,

diret, media hyeme in Italiam profectus an. 1077. laneo habitu nudisque pedibus super glatiem cruda hyeme ante portam Pontificis per triduum supplex stetit, veniam petens; tandem precibus *Matildis* (quae Tusciae Domina Ditiones suas Ecclesiae Romanae donasse dicitur. *a*) obtinuit: sub his duris conditionibus, ut in controversia cum Saxonibus et aliis Papam arbitrum acciperet, ne quid interim pro imperio ageret, ut omnes subditos a juramento, quo sibi obstricti erant absolveret, ut in omnibus Pontifici cederet, et obediret, suosque Consiliarios omnes dimitteret. His ita actis, tamen *Gregorius* interim a rebellantibus Saxoxonibus electum Imperatorem *Rudolphum* confirmavit, eique Coronam auream submisit cum hac inscriptione; *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.* His cognitis *Henricus* mox in Germaniam nulla excommunicationis aut absolutionis habita ratione, imperii insignia recipiens, adversus novum Imperatorem et conjuratos exercitum instruxit, et magna felicitate omnes superavit, ubi ipse *Rudolphus* dextram manum amittens, brevi moriturus adstantibus Episcopis, dixisse fertur: *b*) *condignam ego per-*

*a*) Chron. Casin. L. 3. c. 49. Chron. Halberstadense. p. 128. negat autem Arnoldus Lubecensis. L. 3. c. 10 n. 4. *b*) Ursperg. Lamb. Scaffn. ad an. 1080. Aventin L. 5. Chron. Spangenh. fol. 204. seq. Marian. Scotus. Helmold. in Hist. Slavon L. 1. c. 29. Bonfin L. 3. Dec. 1.

*perjurii accipio mercedem: ecce haec est manus, qua Domino meo Henrico fidem sanctissime juravi!* Caeso ita *Rudolpho* mox *Henricus* an. 1081. totam belli molem in Pontificem convertit, vindicaturus occupata Caesarum jura. Qui omnes feliciter opprimens, mox consensu Episcoporum in Norico, deposito *Gregorio* VII. novum Pontificem Clementem III. creavit, qui vastando urbi plurimum nocuit. *Gregorius VII.* his in adjunctis scripsit ad status Germaniae, ut in novo Imperatore eligendo attenti essent; utque is imprimis fidelis sit Pontifici Romano, ideo etiam perscripsit verba, in quae eligendus Imperator juraret: *Ab hac hora et deinceps fidelis ero per rectam fidem Beato Petro Apostolo, ejusque Vicario beato Gregorio, et quodcumque ipse mihi praeceperit, sub his verbis observabo.* etc. Ad haec Saxonnes et alii Principes Bambergam concurrentes, mox *Hermannum* Luzesburgensem Imperatorem elegerunt, qui etiam Franciam orientalem devastavit. *a*) *Henricus* interim urbem *Leoninam* occupans, ipsam etiam urbem magna ex parte incendit; quo terrore perculsus *Gregorius* Lateranum reliquit, et *Robertum* qui Graecos infestabat in auxilium evocavit. Interim *Henricus* ipsum Capitolium occupans, post multas acceptas et datas clades, tandem *Gregorium* ad Normannos fugavit, ubi etiam an. 1085. mortuus

---

*a*) Helmold. L. 1. c. 30. Ursperg.

tuus est. Posthaec *Henricus* etiam Normannos Pontifici adhaerentes castigavit. *a*) Sequentibus vero annis contra *Welphum* et *Egbertum* Saxonem feliciter bellavit, quo trucidato tandem an. 1090. Germaniae quies tantisper restituta est: quam brevi domestica mala exceperunt. *Conradus* enim filius, Italiae rex, rebellionem concitando, Patrem persequebatur, quo dein mortuo; iterum alter filius Imperatoris *Henricus*, Pontificis *Paschalis* III. miris artibus seductus adolescens, aperta vi patrem persequi coepit, a quo etiam post varia certamina insignibus Imperii exutus, brevi ex concepto animi moerore *Leodii* mortuus est an. 1106. imperii an. 50. aetatis 55. *b*)

*Memorabilia quaedam, et cruciata Expeditio in Terram Sanctam.* Sub *Henrico* IV. et *Urbano II.* Pontifice, an. 1095. decretum fuit: Ecclesiam ab omni servitute Regum liberam esse, et Investituram a Laicis non esse accipiendam. Idem Pontifex praecepit jejunium quadragesimale a die cinerum esse incipiendum. Svasit insuper expeditionem Cruciatam ad terram Sanctam recuperandam, in quem finem Episcopos et Aabbates ad hortandos populos dimisit; sanxitque, ut omni die preces ad

---

*a*) Sigebert. Gembl. Mutius L. 15. fol. 134. seq.
*b*) Otto Frising. L. c. 12. Sigebert. Gembl. ad an. 1106. Helmold. Hist. Slavon. L. 2. c. 33. Ann. Saxo. et Albericus. ad an. 1106.

ad B. V. Mariam a Sacerdotibus funderentur, et salutatio Angelica saepius recitaretur: quas ut numerare possent, jussit Clericos, ligneos globulos in filo habere, qui dein *Rosaria* dicti sunt. Cujus hortationes tantos successus habuerunt, ut ad 600. millia peditum, et 100. millia Equitum, vario itinere expeditionem in Palaestinam suscipientes, quasi universus occidens in Orientem demigrare videretur. Ex quibus etiam per Hungariam, sex agmina, maximo regni damno transiverunt. *a*) Praecipuus Dux Sacrae militiae fuit *Godefridus Bullionaeus* Lotharingus cum fratribus *Eustachio* et *Balduino.* Item *Hugo M.* Philippi Galliarum regis frater. *Boamundus* Rogerii Apuliae Ducis frater. *Robertus* Normanniae Dux, *Robertus* Comes Flandriae. *Petrus* Eremita. *Valterus.* etc. Milites hujus expeditionis, crucem ex lana humeris assutam gestabant, unde *Cruce signati* dicti sunt: qui plenam omnium peccatorum remissionem obtinuerunt. Primus conflictus cum Saracenis erat a. 1097. ubi victores exstiterunt, ac eodem anno *Nicaeam* expugnarunt, ac dein quatuor annorum spatio alias Asiae provintias, uti Lycaoniam, Ciliciam, Mesopotamiam, Comagenam, caesis Turcomannis eripuerunt. *Antiochiam* a. 1098. novem mensium acri obsidione expugnarunt, et 100. millia Saracenorum occi-

---

*a*) Paul. Nagx. Hist. Pragmat. Regni Hungariae. edit. II. Tom. I. p. 265. seq.

occiderunt. Anno 1099. Urbs *Hierosolymitana*, 15. Julii, 38. obsidionis die Saracenis erepta est: ubi tantum humani sangvinis fusum erat, ut caesorum corpora, unda sangvinis implente nataverint. In hac victoria quoniam *Godefridus Bullionaeus* spectantibus omnibus, conscensis moenibus, primus in Urbem irrumperet, communi consensu primus *Hierosolymorum* Rex creatus est. Cui loco Coronae aureae, flexis genibus ad sepulchrum Domini procumbenti spineam coronam fuisse impositam tradunt: qui etiam ibidem pie mortuus est a. 1100. *Prodigia* vero horrenda apparuerunt a. 1099. fulserunt igneae acies, exauditi sunt strepitus confligentium exercituum: in coelo cruenta arma visa, faces ardentes, monstrosi partus editi, locuti infantes in utero matris, panes fracti fluxere sangvine, muscarum ignotarum exercitus in aere volitarunt: 1059. ex stupenda hyemis asperitate et diuturnitate, fames et pestis secuta est. 1086. Aquarum inundatio in Italia et Flauria maxima etiam aedificia corrupit. 1091. In Normannia fons sangvinis per triduum ebuliit. Terraemotus et ventus in Graecia enormis grassabatur. Locustae tantae volitarunt, ut solem obscurarent ex quarum putridis cadaveribus pestis sequebatur. etc.

XIX. *Henricus V. Henrico IV.* patre, et *Bertha* matre natus, uxorem habuit *Mathildem*, ex qua unam filiam *Christinam* suscepit. *Henricus* hic per vilentiam patrem suum de

solio

solio dejiciens vi Imperium rapuit, *a*) qui etiam toto imperii tempore sinistra fortuna conflictatus, paenas dedit violati patris; quos quos enim antea instigatores habuit, mox infensissimos hostes invenit. Interim ut circa Sacra amissum imperii jus revindicaret, primo rem cum Vicinis componere voluit; ideo Hungariam cum exercitu invadens, quum frustra *Posonium*, ob tot peregrinantes in orientem occisos, obsideret, eodem anno 1108. cum suorum jactura domum *b*) reversus; mox sequente anno Polonos in Silesia aggressus, cum incassum *Glogoviam* obsideret, *Boleslaus* Polonus de pace ineunda per legatos agere coepit; qua non obtenta, acerrimum inter Imperatorem et Polonos proelium commissum est ad *Wratislaviam*, ubi Germani magna clade victi, et insepulti canibus relicti erant, *c*) unde locus ille *campus Caninus* dictus est. Dein a. 1115. contra Saxones tumultuantes Imperator profectus, eos quidem primo proelio commisso et duce eorum *Sigefrido* caeso, utcunque sedavit; sed ii denuo duce *Lothario* rebellantes, maxima clade Caesaris copias attriverunt: *d*) ex utraque enim parte 45. millia occubuerunt. Gravissimam tamen

---

*a*) Chron. Maleacense. a. 1106. Otto Fris. in vita Friderici I. L. 1. c. 10. *b*) Otto Fris. L. 7. c. 13. Chron. Saxo. et Albericus. ad a. 1109. *c*) Dlugoss. L. 4. Matthias de Michovia. L. 3. c. 9. Cromer. L. 5. Salamon. Neugebaur. L. 3. *d*) Crantzius. L. 5. c. 35.

tamen contentionem habuit cum *Paschale II.* Rom. Pontifice ob *Investituram*, quare a. 1110. in Italiam profectus, *a*) captis plurimis Urbibus, tandem anno 1111. strenuum se juris Imperatorii defensorem exhibuit, et non sine sangvinis effusione *Paschalem II.* comprehensum in custodiam conjiciens eo adegit: ut facta transactione, praesentibus et consentientibus Cardinalibus non solum Imperii coronam solenni ritu Imperatori contulerit, sed etiam *jurejurando se obstrinxit, jus investiturae sacerdotum cum anulo et baculo, Henrico et ejus successoribus integrum esse debere.* His actis *Henricus* in Germaniam rediens, mox *Paschalis* Pontifex concilium in *Laterano* convocavit, et Privilegium de Investitura *Henrico* traditum revocavit, ipsumque *Henricum* anathemate percussit; qua perfidia iratus Imperator maximis copiis in Italiam profectus pristinam dignitatem vindicaturus; ubi recte mortuo *Paschali II.* mox sua auctoritate constituit Pontificem *Gregorium VIII.* — A Clero autem constitutus est *Gelasius II.* cui brevi mortuo suffectus est *Calixtus II.* qui dum rem severius urgeret, eumque excommunicatione notaret, tandem investiturae jus in Pontificem transferre constituit ut sedi Apostolicae reconciliaretur, ideo a. 1122. in Comitiis publicis *Wormatiae* liberam in omnibus Ecclesiis electionem et Consecrationem,

---

*a*) Otto Fris. L. 7. c. 14. Viterbien. Part. 17.

nem, omnem etiam per annulum et baculum investituram, Deo ejusque Apostolis Petro et Paulo concedit: tantum ut consecratus, intra sex menses regalia per sceptrum a Rege accipiat. *a*) Sub eo, a. 1118. Ordo *Templariorum* est institutus, quum latrones, peregrinos in terram Sanctam spoliarent aut occiderent; ideo quidam inventi sunt ut suam operam Patriarchae Hyerosolimitano in illis coercendis conferrent. Author ordinis fuit *Hugo de Paganis* et *Godefridus de S. Almaro* quorum professio erat ut pie et caste more Canonicorum viverent, et vias a latronibus securas redderent, hi brevi ex munificentia Christianorum ad tantas divitias pervenerunt, ut cuivis regi in alendis militibus *b*) aequales essent. Hoc aevo *Otto* Bambergensis Ep. *Pomeranos* ad religionem Christianam a Gentilismo perduxit. *c*) Tandem *Henricus* a novo Gallorum apparatu, aut intestinis motibus territus, ex morbo decessit a. a. 1125. *Trajecti* a. imperii 19. — Ad an. 1124. Pestis et fames tanta afflixit Germaniam, ut tertia pars hominum interiisse dicatur, et vix qui cadavera sepelirent, superstites erant. *d*)

XX. *Lotharius II. Saxo*, patre *Gebhardo* comite in *Supplenburg*, matre *Hedvige*, filia *Fride-*

---

*a*) Otto Frising. L. 7. c. 16. Ann. Saxo. ad. a. 1122. Ursperg. p. 267. Bullarium Magnum. T. I. p. 32. seq. *b*) Tyrius. L. 42. c. 7. Aemylius. L. 5. *c*) Crantzius. L. 7. c. 17. et L. 8. c.28. *d*) Sigonius. L. 10. de reg. Ital.

*Friderici* Bavari natus a. 1070. uxorem habuit *Rixam*, *Henrici* Comitis Northemi filiam, ex qua suscepit filium *Lotharium* sed brevi mortuum, filias duas: *Gertrudem Henrico superbo* Bavariae Duci, et *Hedvigem Ludovico Barbato* collocatas. *Henricus IV.* sine haerede masculo defunctus, licet ex sorore sua *Agnete* duos filios *Fridericum* Ducem Sveviae, et *Conradum* Ducem Franconiae successores imperii constituere intendisset; quoniam tamen jam *Henricorum* familia nimis exosa esset, status Imperii agente potissimum *Alberto* Moguntino Archi Ep. Pontificis Legato, *Lotharium II.* Saxoniae Ducem Imperatorem crearunt; *a*) qui Religionis Catholicae et Pontificum observantissimus magnis laudibus continuo celebratur; imprimis autem ob innatas tres speciales virtutes: I. quod Literarum et Literatorum summus Fautor exstiterit; postquam enim antiquas Romanorum leges Latino sermone scriptas in Apulia invenisset a. 1135. mox leges antea obliteratas per Juris Consultum *Irnerium* in Scholis explicare ordinavit, utque huic Legum Professioni debitus honor adderetur, Gradum Doctoratus et Magisterii in Academias introduxit. *b*) II. Princeps fuit justissimus ut ex ejus Symbolo patet. *Audi et alteram partem*, juxta illud tritum carmen: *Judicium non ante feras, quam audi-*

---

*a*) Otto Frising. L. 7. c. 17. Chron. Casin. c. 87.
*b*) Chytraeus. in Chron. p. 309.

*audiveris ambos.* III. Princeps fuit pacis studiosissimus, qui virtutem posuit non in difficillimis bellis gerendis, sed in Imperio tranquille gubernando. quare etiam plurimum de Germania et Italia meritus est. Bella quidem contra aemulos Imperii nempe *Fridericum* Svevum et *Conradum* Francum, qui Imperii quodam Juris titulo propter matrem sibi vindicantes, gerere coactus fuit; sed eos adeo politice repressit, ut inde parum incommodi in Imperium redundaret. *a*) Bellum contra *Sobieslaum* Bohemiae ducem, quem Germani *Ulricum* vocant, tentavit, *b*) sed fraude belli plurimos amittens, mox desiderata pax utrinque colauit. In Italiam bis expeditionem suscepit, primam ad compescendos motus propter *Innocentium II.* et novi Pontificis *Anacleti* electionem, qui *Rogerium Siculum* Imperatorem coronavit: *c*) ideo *Lotharius* a. 1133, Romam adiens, *Innocentio* in cathedra Lateranensi restituto, ibidem ab eo Imperator coronatus est. *d*) Secundam expeditionem in Italiam suscepit a. 1136. contra *Rogerium* Campaniam et Apuliam injuste possidentem, quem brevi ex tota Italia pellens, ibidem pera-

---

*a*) Otto Frising. L. 7. c. 17. et 19. Chron. Saxo. et Ann. Hildesheim. an. 1127. *b*) Cosmas. Pragen. L. 2. p. 33. et L. 3. p. 70. seq. Chron. Saxo. ad a. 1126. Otto. Fris. de gest. Frid. I. L. 1. c. 20. *c*) Baronnius. an. 1130. refert. Bullam Anacleti. Chron. Casin. L. 4. c. 97. *d*) Chron. Casin. L. 4. c. 97. Ursperg. ad a. 1133.

*Rainaldum* ducem constituit; sed Imperatore domum reverso, facile *Rogerius* amissa recuperavit, *a*) quoniam Imperator in reditu morbo correptus a. 1137. 6. Decemb. mortuus est, aetatis 67. imperii, 13. Ceterum eo regnante ad a. 1135. tantus fuit aestus, ut frugibus omnibus exsiccatis, valida fames oriretur: sylvae arserunt, Rhenus ita exsiccatus fuit, ut ubivis sine periculo pedibus transiri potuerit. Similis et inaudita siccitas fuit et a. 1137. qua plurimi homines siti periverunt.

## Imperatores e Domo Svevica.

XX. *Conradus III.* patre *Friderico* Duce Sveviae, matre *Agnete* filia *Henrici* IV. natus, uxorem habuit *Gertrudim* Comitis *Sultzbachi*, filiam, ex qua suscepit *Henricum* et *Fridericum*, primum peste, alterum obsidione Urbis Romae cum multis amisit. Filiam habuit *Juditham Ludovico* Landgrafio Thuringiae elocatam. Mortuo *Lothario* Principes Imperii metuentes ne *Henricus Superbus* Dux Bavariae et Saxoniae qui a defuncto Socero *Lothario* ob spem successionis etiam Imperii insignia acceperat, imperium vi raperet; quem Proceres dudum ob fastum et insolentiam odio habuerunt, mox anticipato tempore *Conradum* ducem Sve-



---

*a*) Chron. Casin. L. 4. c. 105. seq. Otto Fris. L. 7. c. 20. Chron. Saxo. Annal. Hildesheim. an. 1137.

viae ex sangvine *Henricorum* per lineam faemineam descendentem, in Imperatorem Moguntiae eligentes, in media quadragesima an. 1138. coronarunt: *a*) qui etiam imperium summa cum laude administravit; Imperium, varias urbes: uti Norinbergam, Lubecam, Ulmam et alias instaurando exornavit, iisque gradum fecit ad eam majestatem, quam hodie tenent. *Henricus Superbus* ita omni spe imperii se dejectum esse videns, mox *Conradum* bello persequi coepit, quem brevi *Conradus* fugato ejus exercitu, utroque ducatu privavit, Bavariam *Leopoldo* Austriae Marchionis filio, Saxoniam vero *Alberto Urso* Marchioni Brandeburgensi contulit, quae res dein gravissimarum turbarum causa evasit, sic *Henricus* rebus desperatis moerore animi dein obiit an. 1139. relicto filio *Henrico Leone b*) Post haec Imperator rebus Germaniae componendis intentus, mox dificillimo bello agitari eoepit: *Guelfus* enim defuncti *Henrici Superbi* frater ingentes animo concepit iras ob ereptum puero *Leoni* ex fratre nepoti paternum regnum, et in aliam familiam translatum, ideo *Rogerium* potentissimum Siciliae Regem in societatem belli evocavit; cumque per aliquot annos in Svevia et Bavaria varia fortuna pugnantum esset, tanden

---

*a*) Otto Fris. L. 7. c. 22. seq. Chron. Casin. l. 4. c. 127. Annal. Saxo. 1138. *b*) Otto Fris. L. 7. c. 25. Ursperg. p. 293.

dem ad oppidum *Winsberg* quo *Guelfus* vires suas contulerat, memorabili proelio victus *a*) (in quo *Gvelforum* et *Gebellinorum* nomem ortum est) et intra urbem compulsus, ubi dura obsidione pressus, tandem deditionem hac conditione inivit: ut obsessis illud salvum esset, quod mulieres in dorso exportarent, quod cum impetrassent, mulieres neglecta omni supellectili et militibus praedae relicta, maritos suos humeris exceptos ex oppido, cunctis spectantibus, et industriam admirantibus asportarunt. Quod pietatis Spectaculo adeo commotus est *Conradus* ut quibus iratus erat, clementer omnibus noxam mox remisserit, omnesque regali convivio exceperit. Ducibus autem suis indignantibus ob leges deditionis isto dolo violatas, respondit: *non decere verbum Regium immutari.* unde *Conradi* clementia et humanitas manifeste patuit; qui victricibus armis etiam *Rogerium* ultro persequi potuisset, sed mira placabilitate et ipsi ignovit: fecitque sibi ex inimico fidelissimum amicum: nam is *Conradum* in Terram Sanctam proficiscentem rebus omnibus fideliter juvit. Inter haec Romani antiquum statum restituturi, *Conradum* in Italiam vocabant, *b*) sed eo non statim comparente, anno 1145. ab *Eu-*



*a*) Nauclerus. Chron. Generat. 38. Joan. Trithem. Ursperg. in Lothario. *b*) Otto Frising. de gest. Frider. Barb. L. 1. c. 28. Epistolas Romanorum refert. Item illius Chron. L. 7. c. 27. — 34.

*genio III.* Tiburtinorum auxilio supprimebantur. His rerum adjunctis quum fama percrebuisset *Edessam* saracenis fuisse ereptam, mox auctore *Eugenio* Pontifice et classicum canente *Bernardo Claraevallensi*, certatim Principes imprimis *Conradus* Germaniae, et *Ludovicus* Galliae reges cum magna peditum et Equitum multitudine an. 1147. in Palaestinam profecti sunt: quae tamen expeditio infructuosa fuit *Manuelis* Graecorum Imperatoris fraude, qui primo calcem farinae admiscuit, unde magna pars Germanorum periit, eos ubi potuit pecunia spoliavit, Turcis omnia *Conradi* consilia prodidit, insuper *Conrado* duces addidit, qui ipsum in avia loca et insidiis oportuna deducerent. Inter tantas Graecorum fraudes *Conradus* tamen in Palaestinam veniens, *Damascum* Regno Hierosolymitano adjiciendum statuit; a cujus obsidione ob principum dissensiones domum redire statuit; qui re infecta, per infesta Graecorum loca tandem Romam, inde in Germaniam *a*) rediit: ubi ad pacandam Italiam itineri intentus, quum paulo ante fratris filio *Friderico* insignia Imperii tradidisset, eique filium suum parvulum commendasset, non sine veneni suspicione an. 1152. *Bambergae* obiit, anno Im-

---

*a*) Expeditio legatur. ap. Otto Fris. de de gest. Frid. Barb. L. 1. c. 23. 45. Nicet. Choniat. L. 1. et 2. de Manuele. Guil. Tyriens. L. 16. c. 20. seq. et L. 17. c. 1. — 8. Crantzius. L. 6. 14.

Imperii 14. sub eo famosa factio *Gvelfica* et *Gebillina* est exorta. Item *Ordo Hospitalis S. Joannis Baptistae*, seu *Theutonicorum* initium sumsit in Jerusalem. an. 1142.

XXII. *Fridericus I. Barbarossa*, a rubra barba dictus, patre *Friderico* Sveviae Duce, matre *Juditha* filia Henrici nigri Bavariae ducis *a*) natus, an. 1121. primam uxorem habuit *Adelheidem* sed brevi ob propinquam sangvinitatem dimissam. Alteram duxit *Beatricem Reginaldi* Comitis filiam, ex qua 5. filios suscepit, *Henricum* in Imperio successorem. *Fridericum* ducem Sveviae. *Ottonem* Comitem Burgundiae. *Conradum* ducem Franconiae, et *Philippum* ducem Hetruriae, qui post *Henricum VI.* fratrem imperavit. Filias vero habuit *Sophiam* et *Beatricem*. *Fridericum Barbarossam* a defuncto *Conrado* Imp. summe commendatum, Imperii Principe unanimi consensu, ut aetate sic virtute efflorescentem, an. 1152. Francofurti Imperatorem elegerunt: *b*) ex illa potissimum causa, famosam illam *Gvelficam* et *Gibellinam* factionem, quae 400. fere annis duravit, componeret; sperantes id eum facile efficere posse, quoniam ille ex *Gebellina* stirpe paternam, ex *Gvelforum* vero maternam originem duceret; Hae enim duae potentes familiae in orbe Romano adfines Galliae et Germa-

---

*a*) Cruisius. part. 2. fol. 328. Otto Frising. cit. loc.
*b*) Otto Fris. de gest. Frid. L. 2. c. 1.

maniae hactenus Imperatores una, altera vero magnos Duces producere solebat; qui inter se aemulantes, Reipublicae quietem multoties perturbarunt, imprimis a quo tempore contentiones inter Imperatores et Pontifices Romanos invaluissent; *Gebellini* enim Imperatorias, *Gvelfini* autem Pontificias partes bello paceque acriter tuebantur. Ceterum *Fridericus Barbarossa* fuit princeps religiosissimus, ut plurima Regularium collegia ab eo aedificata docent; ut in illis studia Doctrinae Christianae colerentur; fuit enim addictissimus Arcium Liberalium studiosis, in quorum favorem constitutionem fecit, cujus initium sic sonat: *a*) *Decernimus, ut nullus de caetero tam audax inveniatur, qui aliquam Scholaribus injuriam inferre praesumat.* Quod ad *Jus Publicum* vero, ordinem Electorum ab *Ottone III.* ut creditur institutum, confirmavit. Jus feudale, tunc plane dispersum et vagum, Scripto complecti, et ordinare instituit. Ut fures laqueo suspendantur decrevit. Regalia Imperatorum beneficia per Italiam mortificata, suscitavit: unde factum est ut ad 20. millia talenta in fiscum annuo vectigali fuerint redacta. Praeterea sicut literis, ita etiam militiae laboribus instructus, praeclara fortitudinis et artis bellicae specimina edidit: sex enim expeditiones in Italiam suscipiens, continuo victor domum reversus est. Sic Me-

*a*) Codice IV. titulo 13. L. 5.

Mediolanenses rebelles postquam perdomuisset, an 1155. Romae imperii coronam a Pontifice *Hadriano* a) accepit. Inde an. 1157. *Polonos* felici expeditione b) humiliavit. Unde mox contra Pontificem et Mediolanenses denuo rebellantes in Italiam profectus, ibi cruento bello exceptus, c) severitatem *Mediolani* excidio exhibuit, nam eos dura obsidione expugnans, mox urbis muros dejici, omnesque domos everti jussit, ac per ruinas murorum urbem ingressus, solis templis parcens, per medium urbis aratrum in crucis formam traxit. Hinc *Slavorum* ditiones circa mare Balthicum penitus d) delevit. Veronenses et Venetos e) opressit. Romam an. 1167. cepit: f) contra Lombardos expeditione nova suscepta, tandem post multas clades an. 1177. cum *Alexandro* Pontifice g) pacem inivit. *Henricum Leonem* an. 1180. Ducem Bavariae et Saxoniae ob va-

va-

---

a) Otto Fris. de gest. Frid. L. 2. — c. 4. — 22. Crantz. L. 6. c. 16. Radevicus L. 1. c. 8. — 10. b) Idem ibid. Frising L. 1. c. 3. — 5. Guntherus. in Ligur. L. 6. c) Otto Fris: L. 2. c. 15. qui an. 1160. desinit. apud eundem de S. Blasio. in append. ad Chron. Otton. c. 15 Gunther. fuse. L. 7. 8. 9. Crantzius. in Saxon. L. 6. c. 36. d) Helmold. Chron. Slavor. L. 1. c. 88. 89, e) Baron. T. 42. f) Otto. de S. Blas. c. 20. Helmold. L. 2. c. 10. g) Collum Friderici ab Alexandro calcatum refert Marinus Torsellus. in Secret. Fidelium crucis. L. 3. part. 9. c. 4. alii negant. Chron. Saxo. an. 1177. pacta ap. du Mont. T. 1. P 1. n. 165. 178. seq. Murator. T. 7. p. 244.

varias turbas proscriptum, et ditionibus suis exutum, in rebellione tamen persistentem, *a*) demum reportato triumpho an. 1182. Imperatoris clēmentiam exorare coegit. Tandam ingentem expeditionem in terram Sanctam cum 150. milibus propria persona suscepit an. 1189. ubi post multiplicem Graecorum perfidiam repressam, ingentes victorias reportatas, castris omnibus Turcorum potitus, Ciliciam eis eripuit, et in tantam trepidationem eos conjecit, ut de Asia relinquenda consilium caperent; *b*) potuissentque tunc Saraceni exstingvi, aut saltem Syria et Aegypto expelli, nisi Imperator cunctorum Christianorum dolore, insperata morte fuisset extinctus in fluvio *Saphar* seu *Sera*, ubi se an. 1190. lavare volens, submersus est, anno aetatis 70. imperii 39. cujus corpus inventum per filium *Fridericum* itineris Comitem *Tyrum* deductum, publico luctu sepultum est. Postea exercitus fame, morbis et armis compressus, accepta ingenti clade domum remeavit.

XXIII *Henricus VI. Asper*, patre *Friderico Barbarossa*, matre *Beatrice* an. 1165. natus, uxorem habuit *Constantiam Rogerii* siculi

---

*a*) Otto. de Blat. c. 24. Arnold. Lubecen. Chr. Slavor. L. 3. c. 15. Crantz. Sax. L. 6. c. 38. *b*) Otto. de Blas c. 30. seq. Arnold. Lubecen. c. 26. ap. Leibnit. T. p. 675. Jac. de Vitriaco. in hist. Orient. L. 3. c. 99. ap. Martene. T. 3.

culi filiam, ex qua jam quinquagenaria unicum suscepit filium *Fridericum* successorem *a*) *Henricus* IV. qua quinque annorum puer adhuc a patre suo Aquisgrani fuit coronatus; defuncto autem in Palaestina Patre, mox a. 1190. imperium assumens, in Italiam profectus est partim ut coronam Imperii acciperet; quam etiam a *Coelestino III.* Pont. accepit: *cui adoranti Papa, cum antea coronam capiti imposuisset, pede elevato coronam decussit: quo facto significavit, in sua potestate esse, dare et auferre Imperatoribus Imperium, quando voluerit b*) partim ivit ideo: ut sibi regni Siciliae, Apuliae, et Calabriae possessionem post mortem *Wilhelmi* jure uxorio vindicaret; ubi jam consensu populi *Tancredus* spurius invito Imperatore tenuit usque a. 1194. cui tum successit filius *Vilhelmus III.* quem Imperator eo anno armis regno exuit; *c*) Siculi interim cum defectionem molirentur, eos magnis cladibus compescuit, in auctores exquisitis suppliciis animadvertit, aliis excoriatis, aliis vero ad ignem assatis, aliis excoecatis et in palos actis, aliis qui regnum affectarunt, corona ferrea candente coronatis, et claviculis affixis, ob quam Severitatem, *Asper* dictus est. Dein turbis in Grae-

---

*a*) Sigon. L. 15. de reg. Italiae. *b*) Baron. an. 1191. P. 2. p. 456. Otto de Blas. c. 38. Arnold. Lubecen. L. 4. c. 4. *c*) Chr. Siciliae. c. 17. — 24. Arnold. Lubecen. L. 4. c. 5. seq. Otto. des Blas. c. 39. — 41.

Graecia excitatis uti volens, mox *Alexio* orientis Imperatori *a*) tributum imposuit: et anno 1196. validum exercitum contra Saracenos *b*) misit. *Richardum* Angliae regem e Palaestina redeuntem a *Leopoldo* Austriae duce captum, sibique traditum, *c*) magno argenti pondere se redimere coegit. Interim dum *Henricus* arma in Siciliam transferret, *Messanae* in febrim, probabilius ex *d*) veneni potu incidit, cum fratri *Philippo* filium commendasset a. 1198. obiit, aetatis 32. imperii 7. sepultus *Panormi*. Vivus voluptatibus et libidinibus proclivior, quam Reipublicae, sub eo decessit domitor et terror orientis *Soladinus* Aegypti Sultanus.

XXIV. *Philippus*, defuncti *Henrici VI.* fratrer iisdem parentibus natus, uxorem habuit *Irenem Alexii* Graecorum Imp. filiam, ex qua 4. filias suscepit: *Cunigundem Venceslao* Bohemiae regis filio: *Elisabetham Henrico* duci Brabantiae postea regi Hispaniae: *Mariam Richardo* Comiti Thusciae: et *Beatricem Ottoni* Saxoniae duci elocatas. *e*) *Philippus* hic non sine turbis imperium obtinuit, quoniam alii *Bertholdum* Zaringensem, alii *Ottonem* Saxoniae ducem eligerent; interim *Philippus* post diuturnum 9. annorum bellum, tandem inter utrumque

---

*a*) Nicet. Choniat. p. 307. seq. *b*) Otto de Blas. c. 42. *c*) idem. c. 38. Chron. Triveti. ap. Acher. T. 3. p. 175. *d*) Chron. Siciliae. c. 22. Otto de S. Blasio. c. 45. Ursperg. p. 318. *e*) Castrutius. L. 3. fol. 232.

que convenit, ut quamdiu superstes esset, fasces Imperii *Philippus* retineret: *Otto* vero a Regio titulo abstineret. *a*) *Philippus* itaque imperium, cum *Friderico* nepote cujus tutor erat, summa cum laude administravit, et pacata Germania, Imperium certo legibus exornaturus, foris vero bellis externis amplificaturus erat, si vitam producere potuisset; sed a. 1208. die 22. Julii, dum Bambergae post venae sectionem quiesceret, *Otto* Comes Palatinus cubile ingressus, ferro vita eum privavit, anno imperii 10. *b*)

XXV. *Otto* Dux Saxoniae, patre *Henrico Leone* Duce Bavariae et Saxoniae, matre *Mechtilde Henrici* Regis Angliae filia natus. Uxorem primam *Mariam* Ducis Brabantiae filiam ob consangvinitatem repudiare debuit, ideo aliam duxit *Beatricem Philippi* Imp. filiam, sed quarto a nuptiis die, morbo correpta, brevi mortua est; cujus sepulchro haec insculpta sunt: *Filia formosa, jam cinis, ante Rosa.* Ceterum *Otto IV.* ex pacto, quod *Philippus* et Status Imperii cum eo fecerant, imperium obtinens a. 1209. Imperator inauguratus est; qui ut Imperium in pace servaret, nihil temere, sed adhibitis prudentissimis viris, quod de republica *c*) videbatur instituit. Porro primo sta-

de

---

*a*) Otto. de S. Blas. c. 48. *b*) Arnold. Lubecens. L.. 7. c. 14. Otto de S. Blasio. c. 50. Chron. Metense ad an. 1208. *c*) Sigonius. L. 10.

tim anno comitia *Francoforti* indixit, ubi lex de eligendo Imperatore ab *Henrico* lata, abolita; et nova sancita est haec: *Imperatorem nullus haereditariam dignitatem sibi vindicato. Principes sex, Sacri ordinis tres, a) Profani totidem, eum eligunto, hi si discordes fuerint Bohemiae regem cooptanto.* Hanc legem deinceps etiam fuisse observatam *Albertus Stadensis* docet *b*) Anno 1209. expeditionem movit in Italiam, ubi initio *Innocentium III.* amicum, dein infensissimum hostem habuit ob vindicandas imperio provincias, ubi Pontifex subito tumultu excitato, Imperatorem magna civium caede depulit, quare Imperatore copias ad bellum Pontifici inferendum collegit; quapropter excommunicatus est: unde Principes contra eum ruentes proelium commiserunt, ad pagum *Bovinas*, ubi *Otto* cum foederato rege Angliae succubuit. *Otto* igitur a suis derelictus, et belli sumtibus exhaustis, sponte anno imperii quarto ab Imperio destitit. Et privatam vitam ducens, dein a. 1218. obiit. *c*)

XXVI. *Fridericus II.* Siciliae Rex, patre *Henrico VI.* Imp. matre *Constantia* natus, egre-

---

*a*) Moguntinus. Trevirensis. et Coloniensis. Profani vero: Comes Palatinus Rheni. Dux Saxoniae. et Marchio Brandeburgensis elignnt. *b*) Albertus Abbas Stadensis. in suo Chronico, quod scripsit. an. Chr. 1256. *c*) Otto. de S. Blas, qui in hac expeditine desinit. Crantz. Saxon. L. 6. c. 36. Vincentius L. 30. c. 1. Albert. Stadeus. ad a. 1218.

egregiis corporis et animi dotibus praeditus, Uxores habuit sex, I. *Constantia* ex qua natus est *Henricus senior* ob rebellionem in perpetuos carceres damnatus, ibi misere obiit. II. *Jolanta* quae in puerperio cum nato *Conrado* mortua est. III. *Agnes* repudiata. IV. *Rutina* brevi mortua. V. *Isabella Ludovici* Bavari filia, ex qua nata est *Agnes* alias *Margareta*, *Alberto* Thuringiae Landgrafio nupta. VI. *Mechtildis* filia *Joannis* Angliae regis, ex qua suscepit *Henricum Juniorem* sed brevi mortuum. Hic Imperator a multis etiam concubinis notatur. *a*) *Fridericus II.* agente imprimis Pontifice *Inocentio III.* a principibus Germaniae ex Sicilia evocatus et Imperator electus, magnanimus, Sapiens, animo intrepido, ultimus Majestatis Imperatoriae adversus Pontifices vindex; trium enim Pontificum anathematibus *b*) minime cedens, forti animo imperii sui jura vindicavit. Constitutiones ejus de usibus feudorum in 11. capitibus *Codici Justinianeo* insertae sunt: ubi etiam libertates eximiae Agricultorum deprehenduntur. Fuit Literarum et Lingvarum gnarus, unde etiam viros doctos in pretio habuit. Multis provinciis et Civitatibus magnifica privilegia concessit, et bulla aurea confirmavit. Ducibus Austriae *Archi Ducum* titu-

---

*a*) Spangenk. Cent. 13. fol. 1325. Sigon. L. 17. *b*) Honorii, Gregorii IX. et Innocentii IV. a quibus quinquies fuit excommueicatus.

titulum tribuit. Academiam Viennae in Austria 1237. fundavit. In obsidione *Parmensi* a. 1274. cum pecunia destitueretur, de *corio monetam* induxit, quam postea aureis singulis redemit. Interim *Fridericus II.* toto vitae tempore gravissima bella interna et externa, impulsu imprimis Romanorum Pontificum gerere debuit: qui pacatis utcunque patriae rebus, in Italiam profectus est, ut a Pontifice Imperator declararetur, prout ab *Honorio* a. 1220. coronam etiam accepit, ubi ut coronationis beneficium remuneraretur, *Fuldensem Comitatum* Ecclesiae Romanae perpetuo jure possidendum contulit: quo cum, ejusque successoribus paullo post varias de Ecclesiae libertate, et expeditione in terram Sanctam suscipienda, lites habuit. *a*) Uxore ducta *Jolanta*, jura regni Hierosolymitani in se recepit. *b*) Bella gessit etiam cum Saracenis, ingens enim ex Europa in orientem mittebatur exercitus a. 1227. quem Imperator morbo prius impeditus nonnisi a. 1228. sequebatur, qui *Ptolomaidem* veniens *Joppen* munivit. Interim Pontifex *Gregorius* magnis molitionibus domi et foris eum vexare non desiit, qui exercitum in Apuliam mittens, terras Imperatoris sibi subjecit; literasque in Palaestinam misit, ut omnes ibi Imperatorem desererent.

Cete-

---

*a*) Ursperg. p. 335. Matth. Paris. de reb. Henrici. III. p, 232. Thomas Fazellus de reb. Siculicis. Dec. 2. L. 8. c. 1. *b*) Jacob. de Vitrario L. 3. Hist. Hierosol. Marian. Torsellus. L. 3. P. 2. c. 4.

Ceterum Imperator Hierosolymis rex coronatus a. 1229. honeste cum *Sultano* pactus *a*) elusisque hostium fraudibus, domum reversus, mox in Apulia quaequae Pontifex per ejus absentiam occupaverat, *b*) recuperavit, et interventu Principum Pontifici conciliatus est. Dein a. 1235. filii sui *Henrici* rebellionem supprimens, denuo contra Pontificem et Longobardos feliciter arma vertens, post Sardiniam Saracenis ereptam excommunicatus, mox a. 1264. aemulos Imperii *Henricum* Hassum, eo vero mortuo *Wilhelmum* Hollandiae Comitem habuit, quos post cruentum etiam bellum *c*) *Innocentius IV.* Augustos declaravit. His actis *Fridericus* in Apulia in morbum incidens, dum reconvalesceret, filius *d*) ejus *Manfredus* spurius, injecto in os patris decumbentis pulvino ipsum Suffocavit, a. 1250. aetatis 57. imperii 38. Memorabilia sunt sub eo: a. 1216. Cruces candidae et Cerulei cometae in coelo apparuerunt a. 1220. Pestis in oriente: et 1222. Terraemotus in occidente, multa millia hominum interemit 1224. multae pluviae, grandines ovorum

---

*a*) Richardus. de S. Germano. a. 1228. Albert. Stadens. et Rainaldus. ad an. 1229. Matth. Paris. p. 343. seq. *b*) iidem. ibid. et Urspergens. Abb. qui hic desinit. *c*) Albertus Stadensis. ad a. 1246. et 1247. Math. Paris. p. 682. Petrus de Vinei c. 32. et 36. Raynaldus. ad a. 1247. *d*) Petr. de Vineis. L. 2. c. 34. Matth. Paris. p. 739. — 786. Muratorius. T. 8. p. 497. Rolandinus L. 6. c. 10.

rum magnitudine segetes et homines contriverunt: in Anglia venti naves etiam submerserunt. 1226. Nix in Syria in Sangvinem versa est; et Romae tribus diebus Sangvine pluit.

## Interregnum Magnum.

Ab obitu *Friderici II.* Imp. magnas turbas passa fuit Germania usque an. 1273. ac proin turbulentum hocce temporibus spatium viginti trium annorum, passim *Interregnum Magnum* appellatur; ut pote ex diversis Nationibus et Familiis Imperium obtinere volentes, novae Epochae, seu Dynastiae fundamentum posuerunt: qua tempestate sex Candidati de Imperio decertabant et nascendi conditione, et opibus, et factiosorum numero dispares: qui vel mutuo se subverterunt, vel alio casu exstincti sunt, vel sponte demum dignitatem dignioribus cesserunt, erant autem Imperii competitores hi: I. *Henricus Raspo* Landgrafius Hassiae et Thuringiae qui telo in obsidione *Ulmae* confossus est. II. *Conradus IV.* quem frater *Manfredus* spurius, ut Sicilia ocyus potiretur veneno peremit. III. *Wilhelmus* Comes Hollandiae. V. *Richardus* Cornubiensis (*Cornval*) VI. *Ottocarus* Rex Bohemiae: qui post obitum *Friderici II.* distractis Procerum Germaniae studiis et de novo Imperatore eligendo dissentientibus, statum Germaniae in miram rerum omnium perturbationem deduxerunt: nunquam

quam enim Sacri Romani imperii Majestas magis periclitata fuit, quam fatali interregno durante; bella namque civilia, et externa universam Imperii compagem violento impetu eversura videbantur. Italia, quae magna ex parte adhuc ad imperium pertinebat, intestinis dissidiis et factionibus flagrabat. Germania continuis bellorum incendiis tota ardens, Anarchia lacerabatur, nam ob funestas Principum furias, omnia ad ruinam et interitum tendebant: nam confusis omnibus Divinis humanisque juribus, exquisita scelera passim ab omnibus impune committebantur. Hinc Civitates ad Rhenum sitae ad tranquilitatem conservandam, veteraque sua Jura conservanda, contra violentiam turbatorum foedus inter se percutere cogebantur, quod foedus deinceps aliorum etiam Principum accessione amplius firmabatur. Ceterum dum ita conturbatus esset status Germaniae, ex enumeratis tamen jam competitoribus.

XXVII. Conradus IV. *Friderici II.* Imp. filius, vivo adhuc patre an. 1235. Vormatiae omnim Germaniae Principum consensu, Imperii consors renunciatus, nunc *Henrico Raspone* in obsidione Ulmae occiso, Imperium Germaniae sibi stabilivit, *a*) Italiae partem non sine crudelitate subjugando. His actis brevi eum *Manfredus* frater spurius veneno intoxi-



---

*a*) Matth. Paris. p. 850. seqq. Aventin. Annal. Boj. L. 7.

cavit, *Conradus* autem vim veneni sentiens filium suum *Conradinum* ex *Elisabetha* uxore filia *Ottonis* Bavariae ducis natum, eidem *Ottoni* commitens, *a*) mortuus est an. 1254. cujus filio *Conradino* mox *Manfredus* non tantum Imperium Romanum, sed etiam avita, Siciliae, et Apuliae regna eripere adlaboravit. Contra quem perfidum *Manfredum* Pontifex *Urbanus* IV. mox *Carolum* Comitem Andegavensem, *Ludovici* regis Galliae fratrem provocavit, qui etiam in Italiam veniens Romae Rex Hierosolymorum, et Siciliae renunciatus, statim an. 1266. *Manfredum* praelio ad *Beneventum* vicit, et per proditionem interfectum insepultum abjecit: *b*) deinde ipsum *Conradinum* an. 1268. bello agressus ad lacum *Fuscinum* proelio devicit, et *Clementis* IV. Pontificis svasu, novo et indigno exemplo, caput ejus securi amputari jussit: ob quod horrendum facinus, mox *Petrus* Arragoniae rex literas ad eum misit, et his verbis increpavit: *Tu nerone Neronior, et Saracenis crudelior es.* Quibus tamen nihil motus, etiam alium *Friderici II.* filium nothum *Fridericum* Antiochenum ducem, persecutus, captum, oculis privari, et suspendi jussit. Quo facinore tota *Friderici II.* posteritas deleta, et vetustissima stirps Ducum Sveviae Imperio

*a*) Matth. Paris. p. 865. *b*) Idem. ibid. et Crusius Annal. Part. 3. fol. 108.

rio et rebus gestis clarissima, factionibus exstincta est, cum imperasset annos 115.

XXVIII. *Wilhelmus* Comes Hollandiae, patre *Florentino* Comite, matre *Mechtilde Henrici* ducis Branbatiae filia natus, a Principibus contra *Conradum* IV. Imperator fuit electus, sed a *Conrado* brevi victus, dein viribns impar in inferiori Germania delituit, tandem contra Frisios Hollandiam devastantes profectus, eos debellavit, sed cum exercitum reduceret viciniam explorans, in glaciem delatus cecidit, et coenosa palude haerens occissus, aut galea suffocatus *a*) est an. 1256. *Wilhelmus* hic habuit sororem *Margaretham* Comitissam *Hennebergensem.* quae an. 1276. aetatis 40. *Hagae* in Hollandia, die Parasceves uno partu vivos infantes tercentos sexaginta quinque masculos, et foeminas, magnitudine pullorum gallinarum peperit, qui postquam per Episcopum sufrageneum Trajectensem *Guidonem* praesentibus multis proceribus in pelvi Sacramentum baptismi accepissent, et masculis *Joannis*, foemellis autem *Elisabeth* nomen impositum fuisset, una cum matre omnes eodem die decesserunt; et in Monasterio *Losduno* tumulati sunt.

XXIX. *Richardus* Comes Cornubiae, et XXX. *Alphonsus* sapiens Rex Castelae, mortuo



*a*) Math. Paris. de bello cum Frisiis. p. 805. seq. Cuspinians in vita ejus. Albert. Stadensis ad an. 1256. Joan. Beka in Chron. Comit. Hollandiae. p. 87.

*Conrado* IV. et *Wilhelmo*, proceres mox ad comitia concurrentes an. 1257. de novo Imperatore eligendo agere ceperunt, sed distractis studiis, alii elegerunt Imperatorem *Richardum* fratrem *Henrici* regis Angliae. *a*) Alii *Alphonsum* Castellae Regem Astronomiae scientia celebrem, Romanorum regem renunciarunt. *Alphonsus* in Germaniam nunquam venit. *Richrdus* vero eodem anno *Aquisgrani* coronatus, mox effusis opibus facti poenitens, an. 1259. in Angliam reversus, solo regni titulo contentus, vixit *b*) usque an. 1271. Cum itaque nemo esset, qui magnam reipublicae curam gereret, interregnum amplius invalescens *c*) multas contentiones peperit. Quae rerum perturbatio occasionem praebuisse creditur, institutioni *Septem Electorum*, penes quos jus esset eligendi Imperatores, quod tandem *aurea bulla Caroli* confirmatum est. Hinc passim exploditur eorum sententia, qui ad *Ottonis* III. tempora Electorum institutionem referunt. Ceterum hi motus non prius sedati sunt, quam summa Reipublicae administratio ad *Rudolphum*

*a*) Metth. Paris p. 910. — 922. Mariana. Hist. Hispaniae L. 13. c. 10. et 20. Monachus Paduanus. p. 501. seq. *b*) Continuat. Matth. Paris. ad an. 1271. *c*) Joannes Nauclerus. Generat. 42. Georg. Fabricius. Origo. Saxon. L. 6. Matth. Paris. ad an. 1259. qui hoc anno desinit: et ejus continator Guil. Rishangerus an. 1273. totum opus claudit.

*phum I. Habsburgium* delata fuit: et Germanorum Foedus *Hansaeaticum* dictum coaluit. *a*)

§. 5. *Status Literarum et Artium in restaurato Imperio Romano usque Interregnum Magnum, seu Rudolphum Habsburgium.* — *Carolus M.* ut Imperii Romani, ita etiam Literarum restaurator in occidente exstitit, nam sicut in Literarum rudimentis uti Rhetoricis, Dialecticis, Astronomicis, et Musicis, sub celeberrimis suis Magistris *Petro Pisano*, et *Alcuino* egregie profecerat; adeo scientiarum amans evasit, ut spissam priorum seculorum ignorantiam et caliginem magno animo discutere statueret: quare ut suo exemplo alios quoque ad scientias accenderet, ipse viros doctos in in summo honore habuit, et cum iis continuo conversabatur; ideo etiam Magnates moniti sunt: ut *viros Literatos ament, et in pretio habeant.* Item lege sanxit: us Episcopalis quaevis Sedes, et Abbatia deinceps scholam suam haberet; ibi *Canonicis*, hic *Monachis* docendi munus obeundum erat. Praeter scholam *Palatinalem* opera *Alcuini* etiam alias scholas publicas, officinas omnis eruditionis, item pietatis et doctrinae, magno cum sui seculi hominum, totiusque posteritatis emolumento aperuit: sic Academiam *Parisiensem* an. 791. amplissimis reditibus fundavit, prout an. 805.

Ost

*a*) Struvius. in Corpore Historiae Germ. T. 1. p. 508. seq.

*Osnaburgi*, *Bononiae*, et *Ticini* scholas erexit insignibus privilegiis *a*) ornatas; ubi Professoribus annonam et stipendium e fisco assignavit, iisque procerum et pauperum filios concredidit. Summa Doctrinae eorum temporum, si Theologiam et Jus Canonicum excipias, septem liberalibus artibus continebatur; quas in *Trivium* et *Quadrivium* dividebant, hoc versiculo exprimentes: *Gram loquitur*, *Dia verba* docet,Rheverba *colorat.—Mus canit*, *Ar numerat*, *Geo ponderat*, *Ast colit Astra.* seu in *cursu Triennali* erat *Grammatica*, *Rhetorica*, et *Dialectica.* In *Cursu* vero *Quodriennali: Arithmetica*, *Musica*, *Geometria*, et *Astronomia.* Instituit etiam *Societatem Literariam* nomine *Davidis*, cujus Societatis ipse Imperator Membrum erat. Laudandum porro cunctis Regnantibus exemplum reliquit *Carolus M.* qoud Juventutem ad virtutem et diligentiam ipse incitaverit examina saepius instituendo, de quo *Aventinus* sic scribit: *b*) Reversus Carolus ab expeditione bellica in Galliam, pueros profectus sui specimen, Epistolis, versibus, orationibus, aliisque scriptis exhibere jussit. Ubi cum tenuiores propter spem profecisse; nobiles vero cultum animum neglexisse deprehendisset; *illis* ad dextram separatis dixit: Vos quidem macti virtute estote filii piissimi, qui vestro offi-

---

*a*) Crantzius. L. 1. e. 2. Erasmus inapopthegmatis.
*b*) Aventinus. Annal. Bajor. L. 4.

officio gnaviter defuncti estis, vestra erunt Sacerdotia locupletissima, et Pontificatus maximi: ego vos in aulam adsciscam, ex vobis Senatores cooptabo, vos in album Praetorum et Patrum Curiae adlegam. Dein ad Nobilium liberos, quos a laeva collocaverat, vultu irato nihil dissimulans dixit: vos comatuli, et delicatuli, freti opibus et splendore parentum, nostram Majestatem sprevistis, vitia, otia, luxum et inertiam, bonis literis et virtuti, contemto decreto nostro, praetulistis, *Deum* vero immortalem testor! nihil penitus commodi, honorisque a me ad vos perventurum, quin imo edam in vos exempla, nisi resipueritis, et negligentiam diligentia expiaveritis. — His virtutibus conspicuus *Carolus* ipse scripsit Grammaticam Patrii sermonis, studens lingvam Theutonicam a verbis peregrinarum lingvarum immixtis eximere, puramque reddere. Idem omnes veteris et Novi Testamenti libros, ab erroribus, qui imperitia librariorum irrepserant, ex toto correxit. Anni mensibus nomina Theutonica imposuit. Libros exquisitissimos magno pretio comparavit: verum Francica Historia testatur, statim post ejus obitum venditas fuisse Bibliothecas adeo: ut *Carolus Sapiens* primus esset inter Reges, qui Bibliothecam perennem instituit. Hinc plerique Auctores Latini, quorum adhuc exstabant opera, aut perierunt, aut mutilati hodie reperiuntur. Tentarunt et alii posterioribus seculis barbariem hanc

pro-

profligare, sed infelici admodum successu, nam ignorantiae successerunt Sophismata et nugae, quas passim religiosi in Scholas invexerunt, ut meris tricis et disputationibus distenti, plane prohiberentur Studentium animi a solida veritatis indagatione. Ceterum paulo post *Lotharius II.* Imperator circa an. 1135. Literarum summus fautor, Jurium obliteratas scientias in Scholis explicare ordinavit; pulsis enim ex Italia Normannis, et *Memphi* civitate expugnata, repertum est antiquissimum Pandectarum exemplum, quod a Pontifice, ob navatam in bello operam, *P.sanis* datum est, unde *Pisanae Pandectae*, sed mox Pisis a Florentinis subactis *Florentinae Pandectae* dicuntur. Has igitur *Lotharius II.* consilio *Irnerii*, in foro observari et in Scholis doceri jussit. Ita *Jus Romanum* diu obsoletum in occidente reflorescere coepit, atque in usu fuit una cum *Jure Canonico.* Ut autem Professoribus Legum debitus honor adderetur, Gradum Doctoratus et Magisterii in Academias idem *Lotharius II.* introduxit; unde factum est, ut *Bononiae* ubi Jus Civile tradi et explicari Imperator constituerat, ejusdem mandato et auctoritate, primi interpretes Latini Juris: uti *Bulgarus*, *Hugolinus*, *Martinus*, *Pileus* et alii in Doctores Juris solenniter erant promoti. Porro a Jure-Consultis morem creandorum Doctorum postea Theologi sunt mutuati, et a Bononiensibus ad

Parien-

Parisienses ritus promotionis Doctoralis in Theologia translatus est, apud quos *Petrus Lonbardus* Episcopus Parisiensis primus Theologiae Doctor creatus, Auctor Theologiae Scholasticae erat; qui libros sententiarum composuit; quem dein secuti sunt multi alii Doctores Scholastici, qui ob solas subtiles quaestiones, et disputationes variis titulis distincti sunt, uti *Angelici*, *Seraphici*, *Subtilis*, etc. *Jus Canonicum* sive *Pontificium* constabat ex Decretalibus, id est Pontificum Epistolis, quae Romanorum Pontificum Epistolae continentur V. voluminibus, I. *Gregorianis decretalibus* ita dictis, quod jussa *Gregorii* Pontificis in unum volumen redactae fuerunt. II. *Sexto Decretalium* a Sexto libro quinque decretalium adjuncto. III. *Clementinis* auctore *Clemente V.* sic appellatis. IV. *Extravagantibus*, *Joannis* XXII. quae auctorem agnoscunt *Joannem* XXII. et dicuntur ita ideo: quia vagantur extra volumina juris Pontificii. V. *Extravagantibus Communibus*, quod non sunt propriae unius Pontificis, uti *Extravagantes Joannis* XXII. sed diversos Pontifices auctores habent. Ac proin his voluminibus absolvitur *Jus Canonicum*, quod Juri Justinianeo respondet. Ceterum tota hac Epocha magna erat Eruditorum penuria ob perditam multorum vitam et literarum neglectum, quum plerique omnes in explicandis ritibus et explicandis cerimoniis Ecclesiasticis, ac inutilibus distinctio-

nibus

nibus occuparentur. *a*) In occidente enim parum praeter Patrum Commentarios compilarunt. Interim tamen

*Seculo* IX. celebre nomen obtinuerunt; *b*) *Rhabanus Maurus* Archi Ep. Moguntinus. *Agobardus* Lugdunensis. *Haimo* Halberstadiens. *Claudius* Taurinensis. *Hincmarus* Remensis Ep. *Paschasius Ratbertus*. *Godeschalcus*. *Lupus Servatus*. *Walafridus Strabo*. *Joannes Scotus*. A scriptis Historicis inclaruerunt; *Eginhardus*. *c*) *Theganus*. *Nithardus*. *Rhegino*. *Usnardus*. *Anastasius* Bibliothecarius. *Ado* Vienensis. Item multi vitas Sanctorum scripsere.

*Sec*. X. Praecipui scriptores Latini erant; *Ratherius* Veronensis, cujus opera *Acherius* collegit. *Atto* Vercellensis. *Abbo* Floriacensis Abb. *Gelbertus* postea *Sylvester II*. Pontifex sui aevi eruditissimus. *d*) Historici vero incladuerunt: *Flodoardus*. *Wittichindus*, *Luitprandus*. etc.

*Sec.*

---

*a*) Bonifacius. in Epist. ad Zachariam. Aventin. L. 4. c. 7. n. 28. c. 9. n. 24. c. 15. n. 12. Acher. T. 1. p. 584. Capitularia Variorum in T. 5. Concil. Du Pin. Bibl. Eccl. T. 7. p. 157. seq. *b*) Du Pin. Bibl. Eccl. Sec. IX. c. 13. p. 160. seq. Bruck. Hist. Phil. T. 3. p. 612. T. 7. p. 52. *c*) Sckminkius in Diss. de vita et Scriptis Eginhardi. Hist. Litt. de la France T. 5. p. 45. 204. 436. Du Pin. T. 7. p. 20. 195. 200. Idem Hist. Eccl. Sec. IX. T. 7. c. 17. *d*) Ditmar. p. 399. Albericus et Sigebert. ad an. 1002. Du Pin. Sec. X.

*Sec.* XI. Neque multi, neque eruditione insignes erant scriptores: celebratur tamen; *Fulbertus* Carnotensis, *Petrus Damiani. Ivo* Carnotensis. *Anselmus.* Historici vero celebres erant: *Ditmarus. Ademarus. Odorannus. Hermannus Contractus. Glaber Rudolphus. Aelgandus. Wippo. Hepidannus. Marianus Scotus, Lambertus Schaffnaburgensis. Sigebertus* natione Gallus. *e*)

Sec. XII. Eruditionis fama hoc seoculo insignes fuerunt: *Bernardus Claraevallensis Abb. Cistercitens. Petrus Abelardus. Rupertus Tuitiensis. Hugo* a S. *Victore.* et *Richardus a S. Victore. Petrus Lombardus. Joannes Sarisberiensis. a*) Historici celeberimi erant: *Otto Frisingensis. Ordericus vitalis. Godefridus Viterbiensis. Otto a S. Blasio. Henricus Huntingdonensis. Guilielmum Malmesburiensis. Radulfus de Diceto. Simon Dunelmensis. Sugeri-Abb. Saxo Grammaticus. Wilhelmus Tyrius.*

Sec. XIII. Ingenii et eruditionis fama celebrantur; in occidente : Alexander *Halesius. Wilhelmus Arvernus. Robertus Capito. Albertus Magnus* a quo aetas secunda Scholasticorum ducitur. *Thomas Aquinus. Bonaventura. Joannes Duns scotus*, etc. qui rerum naturalium cognitione palmam tulit. *Rogerius*
*Ba-*

---

*a*) Idem. Sec, XI. c. 11. *b*) Du Pin, Sec. XII. c. 15. Brucker T. 3.

*Baconus.* *a*) *Dantes Aligerius* elegantioris Literaturae instaurator. — Historici vero Celebrantur: *Tageno. Dodechinus. Arnoldus Lubecensis. Gervasius Tilberiensis. Conradus a Lichtenau. Nangius. Martinus Polonus. Richardus de S. Germano. Matthaeus Paris. Vincentius Bellovacensis. Rodericus Toletanus. Monachus Baduanus. Jamsilla.* et alii. *b*)

---

# Caput X.

*Exhibens Historiam Germaniae ab Interregno Magno, seu ab anno* 1273. *quo Imperatores primum e varis Familiis, demum e Domo Austriaca erant electi usque annum* 1804. *quo Napoleon Gallorum Rex, Romani Imperatoris Titulum sumsit, cum cujus vita etiam Imperii titulus desiit.*

---

§. 1. *Statistico Geographica notio Germaniae per ea tempora.* Post Interregnum Magnum, Ger-

---

*a*) Du Pin. T. X. Bruk, T. 3. P. 1. L. 1. Cave. ad an. 1278. *b*) Idem. ibid. et Fabricius. in Bibl. Latina mediae et infimae aetatis.

Germaniae passim adcensebantur omnes regiones, quarum incolae lingva, vel dialecto utebantur Germanica. *Helvetii* etiam hodie Germanis adnumerantur, prout et *Pruteni* ultra Vistulam. Ab occasu enim *Regiones* ad Rhenum, Picardiam et Galliae partes, *Burgundicae* dicebantur: inter Rhenum et Albim *Germanicae*; demum inter Albim et Vistulam ad septemtrionem *Slavonicae* appellatae sunt; ac proin Germanicae ditionis praecipuae et primariae partes arant Bohemia, Electoratus, ac Poloniae regnum, licet alterius quam Germanicae sit lingvae neque in matricula Imperii deprehendatur; quia intra veteris Germaniae limitem nempe vistulam fluvium est situm, Germaniae mappis passim apponitur. Regnum quoque Hungariae licet extra veteris Germaniae limites situm sit, tamen quia multos insignes Imperatores dederat; ejusque pluribus provinciis adnexis dominatur, merito Germaniae adjungemus. Igitur *Catalogus* Regnorum et Provinciarum, quae Germaniam constituunt, sequens est; prout in XXVIII. Tabulis apud *Mercatorem a*) videre est: Germania Universalis, Frisia Occidentalis. Emdensis Comitatus, Westphalia in tres partes divisa. Comitatus Meursensis cum annexis regionibus. Leodiensis Dioecesis. Principatus Waldeckensis. Palatinatus Rheni. Wirtemberg. Alsatia Inferior et superior. Saxonia Inferior et Superior Brunswik. Hassia, Thuringia. Franconia Bavariae Palatina-

tus.

tus. Brandeburg. Moravia. Austria, Saltzburg. Polonia. Hungaria. Ceterum *Vasallorum* molitiones, et Italorum Factiones contra Imperatores sustentatae adeo Imperium debilitarunt, ut plerasque provincias Burgundicas, et Slavonicas amitteret una cum externo robore, quum enim Principes *Jus Territorii* obtinuissent, magis augendis suis opibus intenti, per Imperatores ex minus potentibus familiis electi, amplius non poterant eos pro lubitu regere, hinc neque Imperium tueri: ex qua imbecillitate Imperatorum Regnum Arelatense e Germania defecit, Itali se in libertatem asseruerunt, Regnum utriusque Siciliae ab Hispanis occupatur. Ditiones Pontificiae variis libertatibus sunt auctae. Aliae Italiae provinciae in varias *Respublicas* coaluerunt, uti Florentinam, Venetam, Genuensem; aliae autem in *Ducatus* mutatae: uti Mediolanensem, Mantuanum, Mutinensem, Parmensem, Placentinum. etc. *Helvetii* etiam deficientes Liberam Rempublicam condiderunt; quorum Societatem a bellis inclarescentem alii belligerantes populi certatim expetierunt. Hinc Germanicae Provinciae solo vinculo Feudali nexae, vim magnitudini suae non habentes, nec domesticos motus sedare, nec hostium impetus amovere poterant; quare sensim amittere debuit Germania summum Jus in Belgium, Helvetiam, et Italicas provincias. Qua Imperii debilitate manente, quum sensim Principum potentia cresceret, communis virium et animo-

rum

rum nexus amplius impediebatur, dum Jura statuum Germaniae pacis Westphalicae novis constitutionibus firmabantur. Quibus in adjunctis *Austria* sensim variis ditionibus aucta, evasit potentissima per *Caroli VI.* Sanctionem Pragmaticam. *Brandeburgicus Elector* Regium titulum sumens *Regnum Borussicum* condidit. *Honoveranus Dux* primo Electoris, dein Magnae Britanniae Regium titulum obtinuit. Palatinus Rheni, et Bavariae Dux potentes facti aliis metuendi evaserunt. Recentissimis autem temporibus quidam Germaniae Principes contrariis studiis agitati jam Gallis, jam Domui Austricae adhaerentes, tandem in *Napoleonis* potestatem devenerunt, adeo ut omne decus et nomen Imperii Germania amiserit: ex cujus ruinis passim nova regna, Principatus, et Ducatus consurexerunt; qui demum novo Germanico Foedere inito, communi populorum consensu conjuncti sunt, absque tamen alicujus Imperatoris protectione. Nam ultimus Romanorum Imperator legitimus, hodie etiam Gloriose regnans Hungarorum Rex *Franciscus I.* post varias belli Gallici vicissitudinis, plures florentissimas suas provincias in Germania, Italia et Illyrico hosti permittens, deposito Romani Imperatoris titulo et Protectione, novum *Austriae Imperatoris* titulum sumsit an. 1804. die 10. Augusti, iu Festo S. Laurentii. Cujus Monarchia Austriaca optimis institutis ornata, una cum recuperatis postmodum Provinciis magnitudi-

tudine et opibus floret. Nam sicut olim Germani corpore quidem robustissimi, animo tamen rudes et ad artes minus apti fuerunt; ita ab *Interegni Magni* tempore usque ad praesentem aetatem omnis generis opificia studiose et maxima nominis celebritate continuo exercuerunt; si vel maxime consideraverimus aeris fudendi cudendique peritiam, nec non metallorum tractandorum scientiam, et alias ut taceam artes. Germania enim primum Machinas et tormenta invenit: illa Typographiam pro maximo scientiarum emolumento, Orbi noto dedit: illa horologiorum confectionem primo demonstravit: verbo illa omnium artium asylum evasit adeo: ut nullam elegantiorem Scientiam et artem admiserit, quam non exornaverat, auxerat et perfecerat, plurima vero ipsa invenerat. Larga item manu vicinis aliisque remotioribus gentibus subministrat vina generosissima; aurum, argentum, cuprum, stannum, plumbum, argentum vivum, vitriolum, alumen, colores exquisitos pictorum, lamellas, frumentum, omniaque fabrilia ex cupro et ferro, omnisque generis merces.

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis in Germania, ab Interregno Magno, ad nostram aetatem.* Quod Statum Ecclesiasticum Germaniae attinet, per totum Imperium Germanicum VII. Archi Episcopatus numerantur, uti *Moguntinus*, *Coloniensis*, *Trevirensis*, *Magdeburgensis* Primas Germaniae *Salisburgensis*, *Bre-*

*Bremensis*, et *Rigensis:* quorum provinciae excepta Livonia sic erat: *Moguntinus* Archi Episcopus sub se habuit 12. suffraganeos Episcopos, uti: Churensem, Constantiensem, Argentinum, Spirensem, Wormatiensem, Herbipolitanum, Augustanum, Aystettensem, Hildeshaimensem, Paderbornensem, Holberstattensem, Ferdensem. *Coloniensis* Archi Ep. habuit 5. Suffraganeos, uti Monasteriensem, Trajectensem, Leodiensem, Mindensem, Osnabrugensem. *Trevirensis* habuit 3. uti Metensem, Tullensem in Lotharingia, et Verdunensem, *Magdeburgensis* habuit 4. uti Morsenburgensem, Naumburgensem sive Ciczensem aut Mamilliensem, Brandeburgensem et Havelburgensem. *Salisburgensis* habuit 9. sub se Episcopos uti: Tridentinum, Brixiensem, Passaviensem, Frisingensem, Viennensem hodie est Archi Episcopatus. Szekoviensem, Gurcensem, Lavantinensem, Chiemensem. *Bremensis* habuit 6. uti Lubecensem, Suerinensem, Lebussinensem, Schlesvicensem, Ratzenburgensem, Hamburgensem olim Archi Episcopatus. *Rigensis* habuit sub se 4. uti Revaliensem, Curiensem, Oeseliensem, et Derptensem; Praeterea liberi et exempti, Episcopi erant uti: Misnensis, Babenbergensis et Ratisbonensis; quarum sedium Praelati licet secundum cor Dei essent continuo exemplares fidelium animarum Pastores, funestissimum tamen Ecclesiae statum, in primaeva integritate ac morum disciplina contra invale-

ff scentes

scentes undique haereses conservare haud valuerunt. *Waldensium* enim Doctrina longe lateque hoc aevo disseminata, altas in Germaniae provinciis fixit radices adeo; ut Historicorum fide: *a*) ad octvaginta millia hominum in eam sectam apud Bohemos, Austrisacos et circumvicinas regiones adscriptos annumerabat, quidam ex iis Viennae exustus. In Principatu Bosnensi apud Illyrios quam plurimi errantium succreverunt, multos Catholicorum seducentes. In Germania aliae etiam haereses pululabant. Sed nec Italia aut Sicilia haereticis omnino carebat. Imo et in Provinciis Sabaudiae, Delphinatus, sub *Gregorio* XI. Pontifice constat adeo excrevisse Haereticorum Valdensium mumerum, ut palam contra Inquisitores rebellarent. — Quorum superstitionis et commentorum tenebras amplius adhuc auxit *Joannes Wiclefus* Britanus in Oxiniensi Academia Professor sacrae Paginae, qui voce, et editis scriptis primo *Antichristianismum* demonstravit; dein oppugnavit Missae Sacrificum, Transubstantiationem, Adorationem Hostiae Officia Missatica, oblationes pro mortuis, Purgatorium, et injunctas Paenitentias, satisfactiones, Confessionem auricularem, Extremam unctionem, Coelibatus legem, Praelatorum excommunicationes, Ecclesiasticorum, Monachorum

---

*a*) Brovius. ad an. 1315. n. 11. item. ad an. 1340. n. 19. Raynaldus. ad an. 1303. 1315. 1317. 1319. Baluzius Miscellaneorum. T. 1.

rum luxum, otia, mendicitatem; Mariae, Sanctorum, et Reliquiarum cultum. Qui una cum suis fautoribus, tamquam politicae ranquillitatis turbator ad rogum damnatus est. Cujus tamen discipuli quamplurimi ex Anglia pulsi in Germaniam et Bohemiam venientes, eandem doctrinam propagarunt, quam *Joannes Huss* et *Hieronymus Pragensis* Professores avide arripientes, *primordia Reformationis* posuerunt. Renascentibus enim literis discuti coepit caligo, qua hactenus abusibus variis mentes irretitas plurimi tenuernnt; quamvis autem in ipso partu *Joannis Hussi* doctrina suppressa esset; tamen adhuc multorum animis adhaerebat: invalescentibus enim vitiis, jugum Romanorum Pontificum multis intolerabile videbatur, ideo passim communi desiderio ad sufferendos in Moribus et Disciplina Ecclesiastica abusus, optabant universalem *Reformationem in Capite et in Membris.* Verum non fidei, quae nulla esse potest, sed morum et Disciplinae. Inter tantas igitur odiorum et animorum contentiones, ipsa quoque Germania a *Martino Luthero* et ejus sectatoribus magnopere turbabatur. Fuit *Lutherus* Monachus Augustinianus et Theologiae Doctor in Wittebergensi Academia, vir alias imperterritus, primum contra Diplomata *Leonis* X. Pontificis, vigore quorum *Indulgentiae* in Germania a *Joanne Tetzelio* Dominicano promulgabantur, disputare coepit an. 1517. cumque etiam abusus Praeconum palam inpugna-

ret, sensim in varios jam ab Ecclesia damnatos, imo et novos errores lapsus est; ad quos retractandos dum nullo modo induci potuisset, a Romano Pontifice condemnatus ad Concilium provocavit, et Bullam Pontificis cum libris Juris Canonici in magna hominum frequentia combussit. Hinc *Lutherus* ad Comitia Wormatiensia vocatus an. 1521. cum palinodiam canere recusaret, a *Caesare* Ordinum Imperii consensu proscriptus; postquam tuto loco aliquamdiu latuisset, sub protectione Electoris Saxoniae intrepidus Wittebergam reversus, mox dogmata sua verbo et scriptis sub specioso *Evangelii* nomine per totam passim Germaniam diffudit, multique Principes eadem amplexi sunt; ac proin sectatores domi et alibi nactus est plurimos; ex quibus Rustici Germaniae cum Anabaptistis, quos *Storchius* Lutheri discipulus et *Münzerus* instituerant, primum tumultum concitarunt, qui profuso multo sangvine aegre compressi sunt. Post hos *Philippus* Hassiae Landgrafius ex varia de Catholicis suspicione arma sumens, licet se brevi deceptum esse agnosceret, tamen aliquot Ecclesiasticos Principes ad magnam pecuniae summam sibi pendendam adegit: qua ex re tantos Lutherani conceperunt animos, ut anno post in *Spirensibus* Comitiis Decreto contra se lato 1529. aperte intercederent; ac proin ob hanc protestationem contra promulgatum ab Imperatore edictum *Spirense*, *Protestantes* appellati sunt. Interim

Im-

Imperator ad quem provocaverunt, nonmodo Decretum jam latum jussit observari, sed insuper in proximo conventu *Augustano* 1538. oblatam ab iis *fidei confessionem* palam rejecit, prohibendo; ne deinceps in Bona Ecclesiastica involarent. His tamen non obstantibus Protestantes et bona Ecelesiastica porro occuparunt, et quod amplius est ad acta sua cum novis sacris tuenda, consulto prius *Luthero* Foedus inter se *Smalcaldiae* pepigerunt; cujus praecipua capita fuerunt *Joannis Fridericus* Elector Saxoniae, et *Philippus Magnanimus* Hassiae Landgravius, qui dum Imperatorem falso quodam supposito sub umbra religionis Libertati Germaniae insidiari intellexissent, ingentem conscripserunt exercitum. Quorum tandem armis ipse Imperator arma sua opponendo; brevi Saxoniae Electorem ad *Mülbergam* Misniae oppidum una cum foederatis victum a. 1547. comprehendit, Hassiae vero Landgravium sine pugna in deditionem accepit. Qua occasione mox in comitiis *Augustanis* praescripta est formula, cui *Interim* donec Concilium *Tridentinum* controversias religionis dijudicaret, accomodare deberent. Insuper *Mauritio* duci, in quem *Joannis Friderici* Saxoniae Electoratum transtulerat, summam potestatem concessit, seditiosam Magdeburgensem Civitatem coercendi. Hinc actum videbatur de religione et praetensa libertate in Germania. Verum *Mauritius* dinturnam Soceri sui Hassi captivitatem

tatem graviter ferens, quam ocultissime cum *Henrico II.* Galliae rege foedus ineundo, emergentibus novis adversariis, repente a Magdeburgo digressus; imparatum Imperatorem *Oeniponti* ad angustias redigens fere oppressit. Qui dum improviso *Mauritii* ejusque foederatis bello, ardere Germaniam cerneret; Gallum vero Imperii Germanici urbibus uti Tullo, Metis, et Veroduno captis, jam in Alsatia versari intelligeret: neque tamen his maximis calamitatibus Principes Germanicos expergisci et ruinanti Patriae subvenire videret; omnes controversias cum *Mauritio* prout poterat per fratrem suum *Ferdinandum* jam dudum Romanorum Imperatorem creatum, in *Transatione Passaviensi* an. 1552. pace sancita composuit, *Hassum* liberum dimisit, Protestantibus vero liberum religionis exercitium permittens, de ceteris etiam eorum postulatis in futuro Conventu se satisfacturum policetur. Quae pax confirmata fuit etiam *Augustae Vindelicorum* an. 1555. cui Conventui Caesaris loco, qui paulo ante *Metas* incassum oppugnaverat, praefuit *Ferdinandus*, ubi *pax Religiosa* cum Protestantibus plene confecta, libertasque iis Religionis suae profitendae exercitio, ab Episcoporum Jurisdictione, bonaque omnia Ecclesiarum, quae usque ad Transationem Passaviensem occupaverant concessa sunt. Additum nihillominus pacis tabulis fuit *Reservatum Ecclesiasticum*, quo Episcopi et Praelati Catho-

lici,

lici, qui ad sectam *Lutheri* deinceps transirent, hoc ipso gradu suo et reditibus Eccleseasticis privarentur. Ceterum antequam minae Protestantium in tam apertum bellum erupissent, ipse *Lutherus* sectae conditor obiit 1546. — Hoc fere tempore reformationi intentus erat in Helvetia *Ulricus Zwinglius* Minister Ecclesiae Tiguriensis natione svevus, contrariam a *Lutheri* statuit doctrinam, de Eucharistia et Gratia adjuvante, *Oecolampadio* Concionatore Basileensi, qui fervidis suis concionibus adeo Helvetios permovit, ut bellum civile causa religionis concitaretur, ubi ipse auctor *a*) occisus est. Cujus Conamina amplius promovit *Joannes Calvinus* Gallus Noviodunensis, cujus modificata doctrina brevi per Galliam, Germaniam, Belgium, Helvetiam, Borussiam, Hungariam, Transilvaniam, Angliam et Scotiam propagata est, cujus sectatores in Anglia *Episcopales*, in Scotia vero *Presbiteriani* dicebantur. *b*) Inter haec ex *Müncerii* doctrina magno reip. damno crevit semen *Anabaptisticum* per Germaniam, Belgium et Helvetiam sparsum, *c*) auctore imprimis *Nicolao*, et *Thoma Münzero* qui in Thuringia Rusticos specioso Libertatis Christianae

---

*a*) Zvinglius. operum. T. Sleida. L. 3. 4. 5. 6, 7. 8. Thuan. L. p. 28. seq. *b*) Mezeray T. 2. p. 982. seq Fleury. in Contin. T. 27. 28. Thuan. L. 6. p. 165. *c*) Scardius. T. 2. p. 300. seq. Gerdesii Scrinium antiquar. T. 2. P. 1. p. 338. seq. Sleidem. L. 10. p. 111. seq.

anae nomine contra dominos suscitans an. 1534. tumultum *Monasteriensem* produxit: prout et et tardius *Ubbonitarum*, dein *Mennonitarum* sectam, in plures familias abeuntes instituit. *a*)

*Anabaptistis*, qui baptisatos in infantia rebaptisandos esse docuerunt; ducem se exhibuit *Joannes Boccolt* Sartor Lugdunensis, qui a suis *Monasterii* rex creatus, et se Dei Legatum esse ferens, in omnes eos qui doctrinam ejus adoptare nollent, diu ferro armis saeviit, donec cum suis sectatoribus captus occisus esset. Hinc ne deinceps fanatici tales sectatores, Imperii tranqillitatem turbarent, in pace *Westphalica* statutum est; ut praeter Catholicorum, item Augustanae ac Helveticae Confessioni addictorum Religionem, nulla alia, liberum religionis exercitium in Germania haberet. Nihilominus tamen exstiterunt viri, qui Religionem absque Mysteriis existentem, et sola ratione comprehensibilem condere satagebant; talis erat *Laelius Socinus*, qui supplicio *Servati* quem *Calvinus* vivum comburi jusserat, territus; metu inquisitionis patriam deserens, hinc inde vagus obiit; quin scripta sua et opiniones divulgasset; cujus tamen scripta paulo post in lucem protraxit ex fratre nepos *Faustus Socinus*

a

---

*a*) Moshaim. T. 2. p. 275. Ottus. in Annal. ad an. 1550. usque 1567.. Boxhornius Hist. Uni. App. 71. sëq. Moshain. Sec. 16. Sect. 3. c. 4. pag. 302. seq. Arnold. T. 2. L. 46. a. 33. Lampe Hist. Eccl. L. 2. c. 13. §. 41.

a quibus sociniani appellantur *a*) quorum doctrina a. 1573. in Transilvaniam quoque a *Georgio Blandrata* Pedemontano, *Sigismundi Zapolya* Principis Medico inducta, demum per *Franciscum Davidis* socium amplius, propagata, *unitariorum* sectam produxit, quum in Polonia Anabaptistas ex Germania pulsos aliquandiu docuisset, qui demum ut Poloniae turbatores, circa an. 1660. proscripti, se in Transilvaniam receperunt, hi dein a Claudiopolitanis Unitariis tamquam *fratres fidei* excepti, initio propriis ministris usi, demum a. 1793. in unam Ecclesiam coaluerunt.

Ceterum in Germania ut *Ferdinandi I.* ita *Maximiliani II.* tempore, perpetuae inter Catholicos et *Lutheri* sectatores, quibus aucti sensim numero etiam *Calvini* sectatores, seu Reformati auxiliabantur, contentiones fuerunt; quum hi ab reservato Ecclesiastico se se liberare, illi vero jus reformandi, cujus obtentu integros Episcopatus, et Abbatias occupabant, circumscribere intentarunt. Imo imperante *Rudolpho II.* ab similibus jurgiis ad minas etiam belli deventum est, quod ex contrariis partium foederibus invicem timebatur: hinc Protestantes necessario foedus suum initum a. 1610. nomine *Unionis Evangelicae*, Catholici vero *Ligae Sanctae* seu *Catolicae* appellarunt. Interim Germania ad a. 1592. nimis turbata est morte *Joannis* Ep. Argentoratensis, cui unus ex Catholicis, alter ex Protestantibus suffecti sunt.

In

In Saxonia Lutherani, in Palatinatu Calviniani brevi praevaluerunt. Protestantium turbae in Catholicos, bellum Religionarium tricennale produxerunt, quod tandem a. 1617. pace Westphalica confectum est: quod Seculum, licet Germaniae cruentissimo bello funestum, felix tamen in eo fuit, quod plurimi Principes, et faeminae in sinum Romanae Ecclesiae redi-verint: *a*) uti *Wilhelmus* Palatinus Neoburgicus ducta *Maximiliani* Bavari sorore, religionem avitam assumsit. *Ernestus* Hassiae Landgravius habito Rhinfelsae colloquio Lutherum ejuravit. *Joannes Constans* Elector Saxoniae praecipuus Lutheri aestimator, agoni proximus ad Romanam Ecclesiam rediit. *Augustus* Saxoniae Elector ut Corona Polonica potiretur a. 1697. Romana Sacra recepit. *b*) *Christianus Wilhelmus* Marchio Brandeburgicus, Dux Prussiae, saniora edoctus senex 78. annorum Catholicus obiit: *Elisabetha Christina* Imperatrix Romana a. 1707. Romanam fidem professa est. *Antonius Ulricus* Dux 1710, ad Sacra Romana rediit. *Joannes Frid. Wilh.* Hannoveranus Lutherum ejuravit. *Carolus Alexander* Dux Stutgardiensis 1713. Viennae se Romanae Ecclesiae obstrinxit. *Christianus Ludov.* Dux Megalopolita-

---

*a*) Georg Kolb. de Serie. Rom. Imp. p. 484. item L. de ratione Status animae. a. 1715. edit. Tyrnav. p. 202. — 213. *b*) Jaeger. Decen. 10. L. 7. c. 9.

litanus. *Alexander Henricus* Dux Holsatiae. *Fridericus* Princeps Darmstadiensis. *Philippus* Badensis Marchio: *Joannes* Princeps Nassovius. In Gallia tota Domus *Borbonica* et copiosa nobilitas. *Jacobus II.* Angliae rex cum regiis haeredibus *Jacobo*, *Eduardo*, *et Maria Ludovica* fidem Catholicam cum exilio suo celebriorem redidit. *Christina* Svecorum Regina Catholicae fidei professionem emisit. Inter Helvetios Catholicos et Heterodoxos graves de religione oboriebantur tumultus, qui perdurarunt in toto Imperio Germanico, majori aut minori contentione, imo et intervenientibus caedibus usque ad tempora *Josephi II.* qui saluberrimo consilio omnes cujuscunque sectae addictos suos subditos, reconciliavit celeberrimo suo *Tolerantiae Decreto*, unde factum est: ut posito religionis furore, hodie omnes ad commune Reip. bonum et utilitatem, alioquin ejusdem Patriae filii, omnia sua conamina convertunt, vivuntque sine respectu religionis omnes boni in pace et tranquillitate; demtis quibusdam impiis hominibus, qui recentissimis temporibus imprimis in Gallia, et Germania occultis molitionibus omne Christianum nomen delere voluerunt, impia violentia libertatem preli exoptantes, multitudine fanaticorum libellorum religionem Christianam cum ejus Ministris petulanter traducentes, sicut religionem ita et Thronos Regum evertendos putarunt. Verum suppressa Gallicana factione, ipsa etiam Religio suam auctori-

tatem

tatem, reverentiam et libertatem feliciter recepit; cujus firmitati ut Praecipui Eurupae Monarchae *Franciscus I.* Austriae Imp. *Alexander I.* Russiae Imp. et *Wilhelmus III.* Borussiae rex, aliique Principes ut salubriter prospicerent, an. 1815. *Foedus Christianum* inivenrunt, et jure jurando stabiliverunt: se continuo non modo leges civiles cunctis gentibus proprias, sed etiam Religionis Sancta instituta in omnibus, et per omnia rite observaturos. Quorum felici gubernio desiderata dudum pax et tranquillitas Ecclesiae restituta est.

§. 3. *Status Politicus et Forma Regiminis, inde a Magno Interregno, usque ad nostram aetatem.* Germanicum Imperium post mortem *Friderici II.* factum est *Electitium* per Electores, a quibus post depositionem *Friderici* electus est *Henricus* Landgravius, dein *Wilhelmus* Hollandiae Comes, et *Alphonsus* Castellae rex, a quo interregni tempore passim jus Electorum in legem abivit. Eadem interregni occasione institutum est *Jus Austregarum* id est, arbitraria et compromissaria Judicia; de quibus Juris Publici scriptores fuse agunt. Igitur quod formam regiminis attinet; fere nulla existit, quae cum Germaniae *forma* comparari posset. Caput quidem Imperii est Imperator, sed ejus potentia et auctoritas tot legibus est circumscripta, ut potius inter pares primus, quam Dominus dici debeat: Imperii enim Principes neque subditi sunt; neque prorsus sui juris,

ris, neque Vasalli; adeoque forma Regiminis neque Monarchica, neque Aristocratica, neque Democratica est, prout jam *Pufendorfius* in libello de Statu Imperii Germanici observavit dicens: *Germaniam esse irregulare quoddam corpus, quod lapsu temporum per facilitatem Caesarum, ambitionem Principum et turbulentiam Sacerdotum ex Regno regulari in tam male concinnatam formam est provolutum.* Nihilominus tamen proxime accedit ad systema aliquod Foederatarum Civitatum, in quo unus tamquam Dux foederis, singulari titulo eminet. Potentia Imperatorum limitabatur per Capitulationes, leges ac consvetudines, item Jura ordinum, quorum interpretatione ac usu, provocationem subditorum ad Caesarem impedire poterant, nam penes eos erat Jus Judiciorum, Jus Territorii. Quae jura Principum etiam *Caroli IV.* Bulla aurea Imperatores omnimode conservare et observare jubentur. Ante *Carolum V.* quidem nullum reperitur Capitulationis exemplar, quo ex facto necessario sequitur: antea Jura Principum fuisse incerta, prout enim major vel minor erat Imperatorum auctoritas, ita eorum jura majora aut minora erant, omnes enim potestas eorum consvetudine magis quam scripta lege nitebatur. Imperium enim olim erat haereditarium; dein jus electionis ad proceres venit, ad ultimum autem *Aurea Bulla Caroli IV.* ad solos septem Electores transtulit. Haec aurea Bulla *Caroli IV.* Imperatoris

et

et Regis Bohemiae, alias etiam dicitur *Sanctio Pragmatica Carolina;* Bulla vero aurea solum a *sigillo aureo* quo diploma munitum erat appellatur. Haec Bulla primo *Norimbergae* erat, sancita, dein *Metis*, ubi quaedam ei adjuncta sunt in conventu Caesaris, Electorum et Principum Germaniae an. 1356. Bullae scopus fuit, ut ex praeliminaribus patet: prospicere Electorum unitati, juribus, praerogativis Ecclesiasticorum et secularium; item praecludere omnem occasionem scissionibus et factionibus ex eorum divisione forte oriundis, quibus distractum fuerat Imperium, potissimum invasionibus Romanorum Pontificum in jura Imperii; prout et Schismatibus inter Imperatores enatis, uti electo *Ludovico* Bavaro contra *Fridericum* Austriacum; *Carolo IV.* contra *Ludovicum* Bavarum; *Raperto* Palatino contra *Wenceslaum.* — Maximum tamen edendae Bullae argumentum fuit Studium transferendi Imperii dignitatem ad *Caroli IV.* filium *Wenceslaum* suffragiis etiam Electorum; qua tamen dignitate brevi a. 1400. *Wenceslaus* fuit exutus. *a*) Capita *Bullae* sunt XXV. cum additamento in Conventu Metensi, potissimum pertinentia ad *Electionis* praecedanea, et illius formam; item ad Electorum officium, immunitates, securitatem et privilegia, quae deinceps observabantur tam in communi

quam

*a*) Sententia in Caesarem lata, et de ejus causis in ea enarratis, vide ad Caleem Collectionis Urstissii.

quam in particulari: quae omnia distinctius longe stabilita erant a. 1648. pacificatione Westphalica. *Electores* hi habebant jus Imperatorem creandi et exauctorandi; si quid tamen evenisset quod ad universam Rempublicam spectaset, id Comitiis sive universorum ordinum conventui erat proponendum, ubi de Imperii negotiis publicis consultabatur, et soncludebatur, cujusmodi Comitia ex tribus membris constabant: videlicet *septem Electoribus*, qui sub *Gregorio X.* circa an. 1273. cum probabilitate primum instituti, dein a *Carolo IV.* Imperatore confirmati sunt solemni Bulla aurea; *a*) quibus solis competit Imperatoris electio; erant autem VII. Electores hi: I. Archi Episcopus *Moguntinus* Imperii Romani Archi Cancellarius per Germaniam. II. Archi Ep. Trevirensis, Imperii Rom. Archi Cancellarius per Galliam et Regnum Arelatense. III. Archi Ep. Coloniensis, Archi Cancellarius per Italiam. IV. Rex Bohemiae, Imperii Rom. Archipincerna. V. Comes Palatinus Rheni, Imperii Rom. Archidapifer. VI. Dux Saxoniae, Imperii Romani Archimarschallus. VII. Marchio Brandenburgensis, Imperii Rom. Archicamerarius. Quibus pace Westphalica additus fuit VIII. Bavarus. *Secundum Membrum* Comitiorum erat Principum virorum et Nobilium, quo pertinebant alii

*a*) Ostendit Onuphrius in Comitiis Imperatoriis. et Joannes Aventinus. Hist. Bavariae. L. 5.

alii Archi Episcopi, Seculares Principes et Nobiles Germaniae, Principes Gallici, Ecclesiastici Praepositi, et Abbates, ac Abbatissae, Comites, Barones et Domini. *a*) III. *Membrum* Comitiorum seu Imperii constituunt Civitates Liberae, quarum aliae immediate subsunt Imperio, et dicuntur *Civitates Liberae Imperiales*; aliae vero mediate, quia in easdem jus praetendunt alii Principes. Jam ejusmodi Comitia indicit Imperator, qui et Praeses est, vel eo absente Rex Romanorum; est vero Rex Romanorum Generalis Imperii Vicarius, qui absente vel impedito Imperatore Rempublicam moderatur, et defuncto Imperatori absque ulteriori electione succedit. Quamvis autem Impetator Comitia convocaret, ibi tamen neque leges ferre, neque tributa imponere, neque militem conscribere, aut bellum indicere, aut pacem arbitratu suo inire, potuit; proventus enim Imperatoris exigui erant. Semel electos Imperatores jus confirmandi sibi vindicarunt Romani Pontifices, usque unionem Electoralem seu an. 1338. dein sufficiens erat Electorum legitima electio, in usu tamen fuit Coronatio Italica, et Arelatensis usque ad *Carolum IV.* Romana usque *Carolum V.* Porro praeter dictam trium Membrorum ordinationem, ad vitanda in Imperio Schismata, ad mutuam Principum Germaniae defensionem, ac publicam pacem aeternam servandam, in Vormatiensi Conventu

---

*a*) Atlas minor Gerardi Mercatoris. pag. 351. seqq.

ventu a. 1495. promulgatam, *Maximilianus I* provincias Imperii in VI. Circulos divisit, in quibus instituta sunt particularia Imperii consilia; quorum singuli certum armatorum numerum cum Ductore suo adversus contumaces et iniquos homines intertenere jubebantur: quae res quum ad propositum Imperii efficatior foret, et simul ad tributa, copiasque Imperiales facilius colligendas utilis, demum an. 1512. Norimbergae omnes Imperii regiones in X. Circulos partitus est: nempe in Circulum *Franconiae*, *Bavariae*, *Austriae*, *Sveviae*, *Rheni*, *Quatuor Electorum Rheni*, *Germaniae inferioris sive Westphalicae*, *Saxoniae superioris*, *Saxoniae inferioris*, *et Burgundiae*. Quisque autem Circulus eligere debuit sibi ex suo Corpore Praefectum saecularem, sive ex Principibus, sive Comitibus, sive Baronibus, aut ex praecipua Nobilitate; cui ex eodem Corpore quatuor Consiliarii Viri saeculares honesti et prudentes adjungebantur. Praeter haec Circulorum Consilia, ad causas et lites rariores Imperii ordinum jure decidendas institutum est *Spirae* supremum Judicium, seu *Camera Imperialis* cui praeest Judex Princeps, vel adminimum Comes vel Baro saecularis, isque idoneus, cui Assessores et Cojudices ex parte Imperatoris duo ex Comitibus aut Baronibus; duo ex Juris peritis, duo Domini terrarum, quas haereditarie in Imperio possident, aut ab Imperio habent nobiles; ab Electoribus singulis

unus, ex uno quoque Circulo duo, quorum dimidia pars ex Juris peritis, dimidia vero alia ex Equestri ordine eligebantur. Jam hujus Judicii Camerae Imperialis decreta nequis contemneret, neque pacem impune turbare posset, primo per annuos ordinum Conventus prospici voluit *Maximilianus*, tum quia hi Germanis graves evasissent, tandem per Senatum, qui *Regimentum Imperii* vocabatur. — Demum ex Consilio suo Aulico, quod pro haereditariis suis terris *Maximilianus* constituerat, paulatim enatum est *Caesareum Aulicum Consilium*, paris fere cum *Judicio Camerae* dignitatis tribunal. A *Caroli V.* aetate *Reditus* Imperatoris continuo erant imminuti, consequenter et potentia militaris erat exigua, nam juxta *Matriculam Imperialem* emendatam an. 1521. Militia constabat ex 40. mille militibus, uti 28.000. Equitibus, quos Imperator absque statuum consensu extra Germaniam educere haud potuit; uti nec Foedus cum exteris inire, aut ex Statibus aliquem proscribere; multum insuper potestatis amiserunt Imperatores per Protestantium Jurisdictionem obtentam quo ad Beneficia Ecclesiastica. E contra autem Jura Statuum creverunt; nam ut alia taceam, jus Territorii acquisiverunt in terras bello obtentas, aut oppressione miseriorum Nobilium sibi arreptas; obtinuerunt item jus Foedera ineundi cum exteris potentiis, aut etiam inter se, contra ipsum adeo Imperatorem. — Porro post pacem etiam

Westpha-

Westphalicam continuo Imperii Majestas in Comitiis *Ratisbonae* celebrari solitis more usitato Statuum suffragiis exercebatur, in quibus jam crescente Imperatorum similiter et Statuum privata potentia, passim per suos legatos adesse solebant, si quid tamen eorum votis sancitum fuisset, continuo robur legis obtinuit. Octo Electoribus demum initio seculi 18. accessit etiam nonus nempe *Hannoveranus*, sed quum a. 1777. stirps Bavarica Wilhelmina defecisset; juxta pacta pacis Westphalicae, Bavaricus Electoratus desiit. Haec de Jure Publico Germaniae sufficiant, quoniam ejus studium vitam hominis alias deposceret; complura enim jura in hunc usque diem dubia aut indecisa sunt, manentque ob continuas controversias statuum et multitudinem civitatum; quae aliorum Principum insultibus semper expositae jacent. Imo recentissime nostris temporibus per sic dictam Gallicanam revolutionem, antiqua Imperii Germanici regiminis forma concussa est adeo: ut et Electores sublati sint, et Imperatoris dignitas inde ab an. 1804. simpliciter cessaverit; quo tempore Germaniae Principes in *Foedus Rhenanum* coaluerunt sub *Protectoris* dominatu, quo etiam brevi cessante, libertatem dudum desideratam recipientes, hodie titulo *Foederis Germanici* in perpetuis Comitiis per deputatos suos conjuncti Imperium exercent; singuli autem Germaniae Principes qui hodie XXXV. sunt, in suis Principatibus

 seorsim

seorsim propriam regiminis formam per *Majoratum* assumentes, plena potestate sua negotia interna tractant. Verum quam plurimi Principatus Germaniae, per felicia *Napoleonis* arma existentiam suam finiverunt; signanter Ecclesiastici status omnes demto Moguntino, item Urbes Imperiales e numero Statuum exmissae sunt, praeter Lubecam, Hamburgum, Bremam, Francofurtum, Norimbergam, et Augustam. Bona vero tam Ecclesiastica quam Imperialium Civitatum, Principes saeculares potentiores inter se diviserunt in recompensationem acceptorum damnorum: multi insuper Principum unice pecuniis erant excontentati. Alii Principatus, *Magni Ducis* titulum obltinuerunt, Elector vero Hannoveranus, Regio titulo est honoratus. Horum Principum jura descripta erant in Conventu Viennesi Confoederatorum, a. 1814. et 1815. Ad recentissime initum Foedus Germanicum, etiam Austria, Borussia, Dania ob quasdam Germanicas possessiones accessit.

§. 4. *Status Belli, et memoria Principum Virorum, inde a Rudolpho Habsburgo, usque ad nostram aetatem.* XXXI. Imperator Germanorum. *Rudolphus I.* Habsburgensis. Patre *Alberto* Comite Habsburgensi et Landgravio Asatiae, Matre *Itha* Comitissa in *Bregentz* a. 1218. natus, *a*) primam Uxorem habuit *Annam*

*a*) Castrucius. L. 1. fol. 60. et L. 4. fol. 324. Henric. Steronis. Chron. ab an. 1266. — 1300. Calvisius. T, 1. Lect. antiq. in Gulielmi de Nangis Historia.

*Annam Bernhardi* Comitis Hohebergensis filiam ex qua septem filiios et tot filias suscepit; uti *Rudolphum*, *Hartmannum*, *Fridericum* mature mortuos. *Rudolphum* juniorem *Sveviae Ducem. Albertum*, *cui pater devicto Bohemiae rege Ottocaro*, *Austriae* Ducatum dedit, atque hoc modo *Austriae* Ducatus ad Comites Habsburgicos translatus est, unde Archi Duces Austriae descendunt, ac proin *Rudolphus I.* erat Augustae Domus Austriacae Celsissimus Fundator. Sextum filium habuit *Hermannum* occasione nuptiarum Rheno submersum. Item *Carolum* mature mortuum; filiae erant hae: *Jutta Wenceslao* Bohemo nupta. *Clementina*, *Mechtildis*, *Agnes*, *Hedviges*, *Catharina* et *Euphemia.* — Postquam durante Interregno magno Germania misere conflictaretur, *Gregorius X.* Pont. motus Electoribus mandavit, ut de more Imperatorem crearent, quare Principes Francofurti convenientes 1273. primum *Ottocaro* Bohemiae regi Imperium obtulerunt, sed quum is longe potentiorem se esse Romano Imperatore putaret, imperium repudiavit. Quare agente imprimis *Wernero* Moguntino Electore, unanimi consensu *Rudolphum* Habsburgicum laudatissimum et Magnanimum Principem elegerunt; cujus etiam sapientia et virtute fere restinctis bellis civilibus, sublatisque Principum odiis, pax dudum desiderata misere afflicto Imperio Germanico reddita est, et Status Germaniae ex diuturna perturbatione tranquil-

lior

lior factus; sub quo Imperatorum Majestas in Italia exolevit, neque de more Majorum Imperialem Coronam a Romano Pontifice accepit; saepius quidem in Italiam invitatus proficisci noluit, dicens: quod vulpes in Apologo Legato Leonis respondit: *Quia me vestigia terrent*; *a*) ideo Aquisgrani diademate ornatus, mox Imperium innatis sibi maximis virtutibus, uti sapientia, prudentia, Authoritate, Justitia, Clementia, humanitate, Modestia, Gratitudine optime administravit; multis Italiae Civitatibus libertatem pretio Mercantibus lubens vendidit, unde Origo variarum in Italia Republicarum. Prorincias Imperii a *Premislai* Suppressione *b*) vindicans, eundem ad humilitatem adegit, ac demum rebellem a. 1278. in proelio trucidavit. Provincias Austriacas *Ottocaro* ademtas, filio suo *Alberto* haereditario jure *c*) contulit. Dein Germania pacata, *Pseudo Fridericum* a. 1285. rogo imposuit. *d*) Thuringorum et Misnensium acerbas dissensiones *e*) composuit. Acta publica et privata, quae olim lingua Latina scribi solebant, germanice deinceps publicari jussit. Clemen-

---

*a*) Aventin. Lib. 7. Hist. Svevorum. L. 1. c. 13. *b*) Aeneas Sylv. c. 27. Dubravius L. 17. qui regnum a mari adriatico usque Lithvaniam extendebat. Hist. Australis. ap. Freher. Albert. Argentinus. ad a. 1278. *c*) Aeneas Sylv. Hist. Bohem. c. 27. *d*) Hist. Australis. ap. Freherum. an. 1280. *e*) In Comitiis Erffordiens. res composita. 1289. Georg. Fabricius. Orig. Saxon. L. 6.

mentiam suam Factis ostendit, satellitibus suis praecipiendo; ne quemquam pauperum accessu et colloquio suo arcerent, dicens: *date obsecro hominibus ad me accedendi locum et facultatem, non enim ideo ad Imperium evectus sum, ut hominibus in arca praecludar!* Eximiam quoque suam pietatem famoso illo actu insignivit; quum adhuc nondum Imperator ad Sacram Capellam B. V. Mariae in Helvetia sitam, cum propinguo suo *Kiburgensi* regulo proficisceretur; in via Sacerdotem, infirmo sacrum Viaticum deportantem, iter pedibus ingredientem inveniens, mox *Rudolphus* de Equo descendens, Sacerdotem imposuit; ipse vero pedibus Venerabile Sacramentum summa pietate raro exemplo usque ad aegrotum comitatus est. Ceterum Meritissimus Imperator, postquam vitae finem adventare sensisset, Electores Francofurtum convocans, cum filium suum *Albertum* Regem Romanorum creandum non obtinuisset; eger versus Spiram iter praeparabundus instituit dicens: sibi multos ibi conveniendos esse Reges; indicans se ibi sepeliri velle: prout in vicino Oppido *Germersheim* etiam decessit a. 1291. aetatis 74. imperii 18. cujus Symbolum erat: *Melius est bene imperare, quam imperium ampliare.* Sub eo memorabilia erant, uti exstructio admirandae Turris Argentinensis 1277. Germaniae Spectaculum. In Svevia 1278. puella 8 annorum, puerum peperit. In Anglia vero strangulati sunt 248. Judaei, quod aureos nummos

mos furtim minuissent. 1286. novum genus vermium Borussiam infestavit, qui caudis cancrorum praediti, intra tertium diem occiderunt quoscunque aculeo pupugissent. 1287. quindecim Insulae in Selandia, maris inundatione submersae sunt, ubi 15,000 homines periverunt. In Dioecesi autem Leodiensi in Villa *Erkel* puella quaedam sine cibo et potu ultra 30 annos vixit.

XXXII. *Adolphus Nassovius*, ex antiqua Nassovicorum Comitum famililа ortus, cujus pater *Adolphus* apud *Rudolphum* Imperatorem, Praefectum Praetorii egit. Uxorem habuit *Imaginam* ex qua suscepit *Adolphum*, *Henricum et Antonium*, filiam vero *Mechtildem Rudolpho* Palatino nuptam. *Adolphus* hic agente potissimum Electore Moguntino, in quem ceteri Electores potestatem eligendi Imperatorem transtulerant, prae *Alberto* Austriaco Imperator renunciatus, mox Aquisgrani per Coloniensem Archi Ep. coronatus est: *a*) qui jam qua Comes multa praeclara edidit belli facinora, quae tamen ut Imperator turpiter obscuravit, eo quod stipendium 100. millium a rege Angliae acceptare non erubesceret, ut ei contra *Philippum Pulchrum* Galliae regem forti exercitu succurreret; quod Germaniae ordinibus indecorum videbatur, quoniam potentissimus Imperator Germaniae pro pecunia Regi serviret;

*a*) Peucerus L. 5. fol. 96. Pantaleon. fol. 365.

ret; quam occasionem *Albertus* Austriacus arripiens mox palam spargebat: si licet Imperatori pro pensione operam suam elocare; liceat et sibi pro justo pretio *Philippo* Galliae assistere! quare conturbati Principes, vel maxime quod *Adolphus* in res sacras et personas Ecclesiasticas tyrannidem exerceret, cunctaque sine Electorum scitu solus ordinaret, Adolphum communibus votis deposuerunt, et *Albertum* Imperatorem acclamarunt; cui dum *Adolphus* Imperium cedere nollet, ad arma singulari certamine congressi a. 1298. in *a*) agro Spirensi, ab *Alberto* per oculum transfossus interiit, anno imperii 7. Verum quod mirandum est: omnes qui in ejus necem conspiraverant, brevi mala morte perierunt.

XXXIII. *Albertus I.* Austriacus, patre *Rudolpho I.* matre *Anna* natus, uxorem habuit *Elisabetam Meinhardi* Ducis Carinthiae filiam, ex qua suscepit XXI. liberos, verum ex iis nonnisi undecim ad justam aetatem pervenerunt; omnesque ad summam dignitatem evecti sunt; filii sex uti: *Rndolphus Mitis*, Bohemiae Rex. *Fridericus Pulcher*, Austriae Dux postea Imperator. *Leopoldus* Austriae et Stiriae Dux. *Henricus* Dux, *Albertus sapiens* Gubernator. *Otto* Dux

---

*a*) Castrutius. L. 5. fol. 361. Pantal. fol. 363. P. Aemilius. L. 2. Hist. Australis. Albertus Argentinus. Stero. Georg. Fabricius. Orig. Saxon. L. 6. Nauclerus part. 2. Generat. 41.

Dux Austriae. Filiarum una *Agnes Andreae* Regi Hungariae, *Elisabeth Friderico* Lotharingo, *Anna* Marchioni Brandeburgico, *Catharina* Regi Apuliae *Guttha Ulrico* Comiti Ottingensi elocata. *Albertus* hic propria manu occiso *Adolpho* mox a Principibus Imperator electus, et Aquisgrani coronatus est in tanto hominum concursu, ut Saxoniae Dux et multi alii a multitudine hominum oppressi essent. More Majorum mox nominatissima celebravit Norimbergae comitia, ad quae plerique Germaniae principes concurrerunt, item Reges Cimbrorum, Bohemiae, Apuliae, Episcopi 50. Praesides et Praefecti 300. Equites 5000. Cujus Electionem licet initio *Bonifacius* VIII. Pont. adprobare nollet, tardius tamen cum laude *a*) confirmavit. Hic egregias suas virtutes nefanda avaritia obscuravit. Multa bella domi et foris lucri cupiditate gessit, duodecies enim acie conflixisse dicitur, sed non aequali fortuna. Contra *Rudolphum* Palatinum, qui cum tribus Archi Ep. Moguntino, Coloniensi et Trevirensi conspiraverat, feliciter bellans in ordinem redegit. Bellum gessit cum *Ottone* Bavariae duce, cui *Conradus* Salisburgensis Ep. aditum parare voluit ad regnum Hungariae, quo in Bello non modo armis, sed novo et inaudito exemplo etiam venenis pugnatum erat; tandem post acceptam an.

*a*) Cuspinian. Poucerus L. 5. fol. 106. seq. Mutius. L. 22. Kranzius. Saxon. L. 8. c. 36. Aventin. L. 7.

an. 1307. a Thuringis cladem, *a*) et anno sequenti Helvetiam a rebellantibus subditis amissam, a fratris filio *Joanne* pugione in collum adacto perfide trucidatus est a. 1308. imperii 10. Conjux *Elisabetha* in loco caedis magnificum oxstruxit Monasterium *Königsfeld* dictum. Post cujus mortem Itali, ut derelicti passim sibi Dominos constituerunt. *b*)

XXXI. *Henricus* VII. Lutzelburgicus, patre *Henrico* matre *Beatrice* comitissa de *Hennegan* natus, uxorem habuit *Margaretham* ducis Brabantiae filiam, ex qua unicum suscepit filium *Joannem*. Filias vero tres, *Beatricem Carolo* Regi Hungariae. *Mariam Carolo Pulchro* regi Galliae. *Agnetem Rudolpho* Palatino elocavit. Hic ab Electoribus communi voto Imperator electus, omni virtute conspicuus Aquisgrani coronatus, mox strictissime in *Alberti* interfectores inquirens, reos justo supplicio affecit. Helvetiorum libertatem novo diplomate confirmavit. *c*) Filium *Joannem* per matrimonium *Elisabethae Wenceslai* IV. filiae unicae *d*) Regem Bohemiae constituit. Post haec in Italiam

*a*) Ad Luccam. Joan. Garzo. in reb. Misniae Libonothriae. L. 2. Georg. Fabric. Orig. Saxon. L. 6. Joseph. Simleri. de rep. Helvetior. Peucerus L. 5. Aeneas. Sylv. Hist. Bohem. c. 30. *b*) Platina in Clemente V. Annal. Florentini. Part. 3. Chron. Tit. 21. c. 1. 2. *c*) Albertini Mussati. L. 16. de gest. Henrici VII. Conrad. Veceri. in vita Henrici. VII. *d*) Albert. Argentin. et Dubravius. L. 19.

liam tendens, oppressis plurimis urbibus *Romae* etiam coronari voluit: qui dum ubique Imperii dignitatem asseruisset, tantum in se concitavit odium, *a*) ut Sacra Synaxi devote usurus, hostia veneno infecta occideretur a. 1312. imperii a. 5. aetatis 51. et *Pisis* in Italia sepultus est, cujus mortem Interregnum 14. mensium excipiebat. Quo Imperante funditus exstirpati sunt Templarii. Vixit celeberrimus Doctor subtilis *Joannes Duns* Scotus Franciscanus, et *Petrarcha*, qui literas humanitatis post longa silentia mortuas ab inferis revocavit.

XXXV. *Ludovicus* Bavarus, et *Fridericus* Austriacus, Prior *Ludovici* Bavariae ducis et Electoris ex *Mechtilde* filius, uxorem I. habuit Comitissam praedivitem sed sterilem. II. erat *Beatrix* Poloniae regis filia, quae peperit *Ludovicum* Marchionem Brandeburgensem, et *Stephanum* fibulatum Bavariae ducem. III. fuit *Margareta* *Wilhelmi* Comitis Hollandiae filia, ex qua 4. filios suscepit: *Albertum*, *Ottonem*, *Wilhelmum* et *Ludovicum* Romanum. Filiam vero *Elisebetham* *Ulrico* Comiti Wittemberg nuptam. — *b*) Post turbatas 14. mensium spatio Germaniae res, Electores Francoforti 1314. convenientes, alii *Ludovicum* Bavarum, alii

---

*a*) Dubravius et Flav. Blondus. Dec. 2. L. 9. Aventin. L. 7. Nauclerus. Geneal. 44. fol. 246. Dieffenbachii Dissert. de vero mortis genere Henrici VII.
*b*) H. Mutius. L. 24. fol. 249. Pantaleon. p. 2. fol. 402. seq.

alii *Fridericum* Austriacum Imperatorem renunciarunt; *Ludovicus* tamen superior usitato more *a*) mox *Aquisgrani*, *Fridericus* vero *Bonnae* coronatus est. Hinc Germania in factiones distracta, bello civili octo annis varia fortuna ambo Imperatores se mutuo atterebant, *b*) donec *Ludovicus* a. 1322. comisso ad *Muldorf* praelio, virtute praestantissimi ducis *Sigfridi Swepperman*, *Fridericum* una cum fratre *Henrico* captum aliquamdiu in custodia retentum ad concordiam coegisset in arce *Naburg*, unde dimissus his conditionibus: ut nomen quidem et titulum, sed neque jus, neque potestatem Imperatoris usurparet. *c*) Qua vice restituta fuisset reip. pax, nisi *Leopoldus* et Bohemiae Rex *Joannes* partium studia armis fovere perseverassent. Interim *Ludovicus* mox a Pontifice Imperio renunciare jussus, ferale dissidium inde ortum evitare non potuit, quo alias optimus Princeps satis diu agitatus, tandem a. 1327. in Italiam tendens, Romae consentiente Senatu, sed reclamante Pontifice, per Cardinalem *Stephanum Columnam* coronatus est. *d*) Ubi variis Italorum seditionibus et bellis vexatus, (ad

100.

---

*a*) Paucerus. L. 5. H. Mutius L. 24. *b*) Goldastus. T. 1. et 2. Caspinianus in vita Ludovici. Aventin. Annal. Boj. L. 7. *c*) idem. et Pantaleon. in Prosopographa P. 2. de Schveppermanno. *d*) Alvarus. Pelagius. de planctu Ecclesiae. L. 2. c. 56. seqq. H. Mutius. L. 24.

100. millia enim Gvelforum caedebantur) *a*) in Germaniam reversus; mox agente Pontifice *Joannes* Bohemiae Rex una cum filio. *Carolo* excitus, magnam Italiae partem subactam obtinuit. *b*) Quo facto communi Germanorum Principum decreto, Pontifex ab Imperii procuratione et coronatione excludebatur, unde etiam quaesita reconciliatio ob duras Pontificis praetensiones rejiciebatur. Interim occultis machinationibus plurimi Principes a Pontifice concitati a. 1346. *Carolum* Bohemum reclamantibus nonnullis Imperatorem elegerunt, qui tamen ab Imperii administratione abstinuit, donec *Ludovicus* sequente anno 1347. veneno a vidua *Alberti* Austriaci cum qua familiarius conversari solebat, intoxicatus fuisset; anno Imperii 33. sepultus *Monaci* *c*) sub eo memorabilia sunt: quod a. 1314 Weiblingae mulier partu leonem ediderit. 1315. ob diuturnas pluvias frumenta ad maturitatem pervenire non potuerunt, unde tanta fames evenit: ut parentes a prolibus suis, item cadaveribus et immundis cibis non abhorerent; unde vocabulum *Cucullum* usu venit, quod Chronosticon fatalem eum annum exprimit. 1348. Pestis Asiatica violentissime Europam adeo vastavit, ut nec tertia

---

*a*) Calvisius. ex Annal. Svevor. Sabellinus. Ennead. 9. L. 8. Albertinus Musatus. *b*) Argentin. et Dubravius. L. 21. *c*) Argentinus. Cuspinianus. Aventinus. L. 7.

tia pars generis humani remanserit; Jumenta in agris nemine custodiente vagabantur: quae pestis solos nudipedes Monachos ad 1244434. absumsit.

XXXVI. *Carolus IV.* patre *Joanne* Bohemiae rege, matre *Elisabetha Wenceslai* Bohemiae regis filia natus, et in Gallia educatus, IV. Uxores habuit. I. *Blancam Caroli* Comitis Valesii filiam, ex qua *Margaretum* Ludovico Hungariae Regi, et *Elisabetham Joanni Galeaceo* nuptam suscepit. II. *Annam* alias *Agnetem* sterilem. III. *Annam Bulconis* ducis filiam cum qua dotis loco Silesiae partem accepit. IV. *Elisabetham Bugislai* ducis Stetinensis filiam; ex duabus ultimis plures suscepit proles, uti *Wenceslaum* successorem, *Sigismundum* itidem Imperatorem et *Joannem* cui Gorlicium cum vicinis Urbibus assignavit. Filias *Catharinam*, *Elisabetham*, *Margaretham*, *Annam*, et *Helenam* maximis Principibus elocatas. Ceterum mortuo *Ludovico* Imperatore, Electores Imperii quum frustra *Eduardum* Anglum, et *Fridericum* Misnensem ad Imperium evocassent, an. 1349. *Güntherum* Schvarzburgicum Imperatorem elegerunt, qui dum ab aliis vi et minis, imo et veneno ad deponendum Imperium urgeretur, mox tertio mense mortuus est; quo facto demum *Carolus* communi voto Imperium obtinens, *a*) 1350. quarto dein anno in Italiam

*a*) Cuspinian. Henric. a Rizenberg. in vita Caroli Aeneas Sylv. c. 33. Dubrav. L. 22.

am profectus *Mediolani* ferrea corona, sequenti vero anno *Romae* aureo diademate coronatus est: unde reversus celeberrimum conventum in Urbe *Metensi* 1356. celebravit, in quo re sapienter discussa, ex antiquis et recentibus Germaniae institutis ad Imperii decus et Majestatem condidit Legem *Carolinam* nomine *Aureae Bullae* celebrem, ubi complectuntur leges et ritus servandi in Electione Imperatoris, legesque consulentes potestati et dignitati omnium ordinum ratione circumstantiarum, quod opus ob allatam toti Imperio utilitatem maximas meretur laudes; Imperii enim Majestatem communivit; et in Electione contentionum occasiones amputavit. Quae Bulla dein *Norimbergae* erat promulgata. Porro aliam Constitutionem *Carolinam* a. 1359. de privilegiis Clericorum Pragae promulgans, Regnum suum Bohemicum multis modis ornavit. Ingenio et doctrina, multarumque Lingvarum peritia excelluit, Doctorum virorum consvetudine plurimum delectatus fuit; *a*) et justitiam severe administravit. Verum vitia etiam in ejus regimine notantur: nimirum quod ab *Urbano* Pont. aliisque in Italiam invitatus, ibi thesauris potius colligendis quam bello intentus; nimis Italiae et Pontifici Privilegiis indulserit; multaque ab Imperio venditionibus alienaverit. Quod Delphinatum

qui

---

*a*) Aeneas. Sylv. et Chron. Philippi. L. 5. Dubrav. Hist. Bohem. L. 22.

qui pars imperii erat, Regi Galliae vendiderit. Quod Silesiam, Lusatiam aliasque regiones Bohemiae adjunxerit. Quod Marchiam Brandeburgicam pro filio suo *Sigismundo a*) pro 200. millibus aureis emerit. Quod filium suum *Wenceslaum* regno minus idoneum, successorem Imperio obtruserit, singulis Electoribus 100. millia aureorum promittendo; *b*) ad quam pecuniam conquirendam 16. Imperii Urbes vendiderit, et publica Imperii vectigalia oppignoraverit: quibus modis Imperium debilius redditum fuit. Interim tamen complures rebelles Urbes composuit. *Anglos* praedis onustos, fugavit. *Lucanos* vicit. *Ottonem* Bavarum profligavit. Omnium autem difficillimum bellum gessit *c*) contra *Philippum* Austriae ducem; quod demum, coruptis ejus ducibus feliciter pace composuit, et Proditores duces adulterinis monetis excontentavit dicens: nec alio auro quem adulterino, vestra digna est perfidia. Quibus confusi proditores in latibula discesserunt. Demum *Corolus* aetatate fractus, a. 1278. Pragae mortuus est, Imperii 32. cujus Symbolum: *optimum aliena insania frui.*

XXXVII. *Wenceslaus* patre *Carolo IV.* matre *Anna* 1361. natus, velut alter in oriente

hh *Copro-*

---

*a*) Cuspinian. Andreas Angelus. in Annal. Marchion. L. 2. p. 162. seqq. *b*) Cuspinian. Aeneas. Sylv. de reb. Bohem. c. 33. *c*) Crantzius L. 9. c. 37. II. Mutius. fol. 285.

*Copronymus* baptismum stercore foedavit. I. Uxorem habuit *Johanam Alberti* ducis Bavariae filiam. II. *Sophiam Joannis* ducis Bavariae formosam filiam, quae in Hungaria 1428 decessit. *Wenceslaus* vivo patre adhuc coronatus, *a*) inter totius orbis maximas turbas Imperatoris nomen obtinuit, nihil de imperio administrando sollicitus, velut monstrum hominis gravissimis flagitiis laborans, quum Pragae diuturna libidine, temulentia et crudelitate saeviisset *b*) adeo: ut ei non satis esset supplicio affecisse quos metuebat, sed et sua manu vel ad mensam jugulavit multos quasi per ludum et jocum; ob quae etiam repetita captivitate squalido carceri inclusus erat, *c*) sed semper feliciter artibus elapsus regnum recuperavit. Qui demum suo periculo nihil doctus, imo in insania sua porro pergens, bona plane imperii abalienaret, a. 1400. Electores Francofurti congregati eundem unanimi consensu ab Imperio amoverunt; atque ita *d*) depositus reliquam vitam ut consveverat in Bohemia sua ducens; tandem ex consternatione, quod prandenti nunciatum esset Hussi-

---

*a*) Aeneas Sylv. Hist. Bohem. c. 34. Cuspinianus in vita ejus. Dubravius. Chron. Bohem. L. 23. *b*) iidem. *c*) Christ. Lehmannus. in Chron. Spirensi L. 7. c. 59. seq. Dubravius. L. 23. ope balneatricis et piscatoris evasit. *d*) Urstisius. in script. rer. German. in fine. Lehmannus in Chron. Spirensi. L. 7. c. 72. Polydorus Virgilius de inventis. L. 2. c. 11.

Hussitas Pragae seditionem movisse, apoplexia correptus interiit a. 1418. Imperii 22. Regni Bohemiae 41. Eo Imperante in Italia *Pyxis nautica* a cive quodam Memphitano inventa; item *Pulvis pyrius* ac tormenti bellici genus vulgo *Bombardae* in Germania a *Bertholdo Nigro* Chymista et Monacho inventa, et excogitata sunt 1380. item 1386. maxima vini copia notatur. 1390. novi orbis Borealis pars *Estotilandia* nominata a piscatoribus Frislandiae inventa est.

XXXVIII. *Rupertus Palatinus* patre *Ruperto* Bavariae duce et Palatino, matre *Beatrice Friderici* Siciliae regis filia natus, primam Uxorem habuit *Anonimam*, ex qua suscepit *Rupertum Pipam* strenuum ducem. Ex secunda vero uxore *Elisabetha Friderici* Burgravii Noribergensis filia suscepit 5. filios uti *Fridericum* mature mortuum. *Ludovicum*, *Joannem*, *Stephanum*, et *Ottonem*; filias vero *Margaretam*, *Elisabetham*, et *Agnetem*. — Electores Imperii quum Imperium *Wenceslao* abrogassent, in ejus locum mox Francofurti *Fridericum* Ducem Brunsvicensem Imperatorem renunciarunt. *a*) Cui mox insidiis Moguntini Episcopi per Waldecensem Comitem peremto, *Rupertum* Palatinum surrogarunt. *b*)

hh2 Bopar-

---

*a*) Caspinianus. in Ruperto. Lechmannus in Chron. Spirensi. L. 7. c. 74. *b*) Peucerus. L. 5. H. Mutius. L. 26. fol. 299.

Bopardiae, et sequenti anno Coloniae coronarunt; fuit hic justus, pacis et religionis amator; bella non nisi provocatus gessit contra Aquisgranenses, Marchionem Badensem, *Wilhelmum* Marchionem Misniae, *Wenceslaum* Bohemum, et *Galeaceum* Vice Comitem Mediolanensem, quos omnes brevi ad fidelitatis obsequium coegit; Domique feliciter Rempublicam gessit; sed subito a. 1410. in morbum incidens, Oppenhemii extinctus est, et sepultus *Heidelbergae* anno imperii 10.

XXXIX. *Jodocus* Marchio Moraviae, patre *Joanne Henrico Caroli* IV. fratre natus, fatis functo *Ruperto* non omnium suffragiis Imperator coronatus est, ad res gerendas plane ineptus, unde nec memorabile quid edidit; extat tamen ejus constitutio haec: Quod Status Imperii, Imperatori ipsi resistere possint, si contra ordinationem Imperii fecerit, absque ullo crimine rebellionis et infidelitatis. Unde patet quantum Juribus Imperatoriis remiserit: qui etiam quum sex mensibus tantum Imperio praefuisset, diem sumum obiit, et *Brunae* in Moravia sepultus est. *a*)

XL. *Sigismundus*, frater *Wenceslai* exauctorati, iisdem parentibus natus 1368. cui pater

---

*a*) Jodocus Nonagenarius ut inutilis passim a Scriptoribus exmittitnr. Cuspinianus. in vita ejus. Magnum Chron. Belgicum. ap. Pistorium. T. 3. Thom. Joan. Pessin. de Czecherod. in Marte Moravico. L. 1. c. 4. et L. 4. c. 3.

ter *Carolus* IV. Marchiam Brandeburgensem haereditario Jure tradiderat, princeps multis nominibus inclytus, ob generosae indolis conspicua signa a *Ludovico* Hungariae Rege adoptatus, ingenio excellenti, animoque magno cunctos suae aetatis principes, praestantia, pietate, munificentia aliisque virtutibus superavit. Uxorem primam babuit *Mariam* Ludovici Hungariae Regis filiam, cum qua dotis loco Regnum Hungariae acquisivit. Aliam Uxorem duxit *Barbaram Hermanni* Ciliae Comitis filiam, quae peperit unicam filiam *Elisabetham* haeredem regni, quam despondit *Alberto* Austriaco. *Barbara* autem profligatissimae pudicitiae mulier summum bonum in voluptate ponens, ob eam et conspirationes cum Bohemis factas, a *Sigismundo* in perpetuos carceres condemnata, unde post mortem Mariti eliberata, tandem lue pestilentiali extincta est. *a*) Igitur post mortem *Jodoci* Electores convenientes, una voce *Sigismundum* Hungariae Regem a. 1411. Imperatorem elegerunt, qui ob trium Pontificum concertationes, nonnisi a. 1432. Romae fuit coronatus. *b*) Hujus Imperatoris auspiciis celebratum est a. 1414. Concilium *Constantiense* ad tollendum in Ecclesia Schisma: quo etiam vocatus

---

*a*) Dubrav. L. 28. H. Mutius. L. 27. fol. 318. *b*) Joan. Bap. Egnatius L. 3. Princip. Roman. Pistorius. T. 1. Cuspinianus in vita Sigismundi. Nauclerus. Generat. 48. Aeneas. Sylv. c. 39 — 53. de reb. Boh. Dubrav. L. 25. — 27. Bonfin. Dec. 3.

catus est *Joannes Huss* Bohemus, dato salvo conductu una cum *Hyeronimo Pragensi*, ubi tamen *Hussius* variis calumniis oneratus, violata fide publica, qua ab Imperatore praemunitus accesserat, *a*) tamquam publicae tranquillitatis turbator ex decreto civilis potestatis ad rogum damnatus et combustus est. Quo facto Imperator licet alias ubique magno labore pacem restituere conaretur, funestissimo bello *Hussitico* ansam prebuit. *b*) Post mortem *Wenceslai* fratris Bohemia potitus, Wratislavensium seditionem opprimens, *c*) deinceps horrenda Bohemorum rebellione infelix, ubique exercituum cladem ferre debebat, Hussitae enim terrore totam Germaniam repleverunt, donec a. 1432. illis Eucharistiae communio sub utraque specie concederetur, et ab excommunicatione solverentur. *d*) Bellavit insuper et contra *Bajazetem* Turcarum Imp. ad *Nicopolim* sed infeliciter, *e*) uti et contra seditiosos Croa-

*a*) Acta Concilii vide ap. Anton. Florentin. Part. 3. Tit. 22. c. 6. Aeneas. Sylv. c. 30. Seq. Joan. Amos Comenus. Hist. Persecut. Bohem. c. 8. seq. *b*) Historia belli Aeneas Sylv. c. 38. seq. Dubrav. L. 24. seq. Zachar. Theobald. de bell. Hussitico. *c*) Dubravius. L. 23. Jacob. Schikfus. L. 1. c. 31. seq. Nicolaus Polius. Hemerol. Wratislav. die 18. Julii. et 4. Martii. *d*) Aeneas Sylv. c. 39. Joan. Amos. Comenus. Hist. Persecut. Bohem. c. 16. *e*) Bella Sigismundi cum causis vide ap. Paulum Nagy. Hist. Pragmatica Hungariae. edit. altera. Tom. 2. p. 107. — 118.

Croatas, cujus severitate Hungari plerique irritati, *Sigismundum* incaptivaverunt, sed brevi libertati restitutus, receptam Hungariam praesidiis firmans, captivitatis authorem *Stephanum* Vajvodam securi percussit, cujus exemplo mox omnes conticuere. Post multas ab Hussitis duce *Ziska* acceptas clades, Italiam ingressus, Mediolani et Romae corona cinctus, *a*) Bohemiam pacatam intrans, pace religionis stabilita, virtutibus excellens, sapientia admiranda praeditus princeps, *Znoymae* in Moravia vitam finivit a. 1437. aetatis 70. regni Bohemici 17. Hungarici 51. Germanici 27. Corpus Magno-Varadinum transportatum, et in principe Ecclesia honorifice sepultum est. *b*) Ab hujus *Sigismundi* Imperii morte, fixam Imperii Sedem in Domo Austriaca propitium fatum constituit, et ad nostra tempora sine interruptione perduxit. Sub eo circa a. 1421. Zingari in Hungaria ad *Nagy Idam* magna clade affecti, (in cujus vicinitate signanter *Jassoviae* hodie etiam incolae Zingaricam linguam communiter loquuntur.) primo in Germaniam venerunt: dicentes se septem annis in mundo pro poenitentia oberrare debere,

---

*a*) Cuspinian. in vita Sigismundi. Dubrav L. 25. Aen. Sylv. c. 25. Magnum Chron. Belgicum ap. Pistor. T. 3. *b*) Aen. Sylv. c. 53. 54. Dubrav. L. 27. Bonfin. Dec. 3. Spangenberg. fol. 378. Paul. Nagy Hist. Pragmat. Hungar. edit. 2. T. 2. pag. 90. seqq.

bere, eo quod in fuga ex Aeggipto, *Jesu* et *Mariae* hospitium non indulserint.

## Imperatores e Domo Austriaca.

XLI. *Albertus* II. Austriacus, patre *Alberto* Archiduce Austriae, matre *Johanna Alberti* Bavariae Ducis filia natus, Uxorem habuit *Elisabetham Sigismundi* Imp. filiam, ex qua suscepit filiam *Annam Wilhelmo* Saxoniae duci, et *Elisabetham Casimiro* Poloniae regi nuptam, item *Ladislaum* posthumum, quem mater *Friderico* III. Imp. ut consanguineo nutriendum tradiderat, demum ab Hungaris electum regem. *Albertus* mortuo *Sigismundo* communi Electorum consensu Imperator electus, a. 1438. rara felicitate uno anno trium regnorum nempe Hungariae, Bohemiae et Romanorum coronis *a*) ornatus, mox liberalitate et eximia animi magnitudine clarus, religionis studium caeteris rebus longe anteponens, optimam spem de Imperio cunctis hominum mentibus instillavit; siquidem mox *Casimirum* Polonum Bohemiae regnum affectantem una cum Moravis rebellibus compescuit, quo motu 400. pagi exusti sunt. Austriam adversus Hussitarum excursiones utcumque defendit; Silesiam et Wratislaviam perdomuit; Turcas vero longe a finibus

---

*a*) Aenneas Syl. de reb. Boh. c. 45. 46. Cuspinian. in vita ejus. Dubrav. L. 28.

bus Hungariae in Graeciam repulsos removit. sed altero statim anno cum *Senderoviam* Serviae civitatem a Turcis obsessam recuperare vellet, exercitus dyssenteria laborare coepit, et ipse insolito calore vexatus, ex nimio peponum esu in ventris solutionem incidens, dum Viennam rediret in pago *Neszmély* prope Strigonium decessit a. 1439. Imperii secundo. Sepultus Albae Regiae in Hungaria: cui teste *Mutio a*) omnia erant quae ad bonum Imperatorem pertinent; animus erga remp. bonus: peritia multarum rerum: facultas qua poterat; fortitudo animi et corporis, qua audebat exequi negotia reipublicae necessaria.

XLII. *Fridericus* III. patre *Ernesto* Austriae Archiduce, matre *Cunegunda* Nassoviae ducis filia natus a. 1415. Uxorem habuit *Eleonoram Alphonsi* Portugalliae regis sororem, ex qua suscepit filium *Maximilianum* in Imperium Successorem; item *Christophorum* et *Joannem*. Filiam vero *Helenam* mature mortuam, et *Cunegundam Alberto* Bavaro elocatam. *b*) *Fridericus* hic mortuo *Alberto* II. mox Electorum consensu Francofurti 1440 Imperator electus, Aquisgrani argenteam coronam accepit; in hoc Imperatore multa laude digna erant: *c*) uti

*a*) Dubrav. Lib. 28. fol. 320. Volateranus. Lib. 23. Chron. Crusii Part. 3. L. 7. fol. 370. Aeneas Sylv. c. 56. Dubrav. L. 28. Bonfin. Dec. 3. L. 4. *b*) Pantaleon. fol. 521. H. Mutius L. 29. fol. 330. *c*) Aeneas. Sylv in sua Europa. c. 22.

uti animus sedatus et tranquillus, ingenium perspicax, et memoria tenacior, religionis ardens zelus, ingens cupiditas pacis et otii; singularem virtutem in quovis homine diligens, dignam proemio duxit; plerique nimis avarum accusaverunt, et ad rem nimis attentum. Ceterum a. 1444. bellum cum Helvetiis, *a*) dein anno sequenti cum Hungaris propter *Ladislaum Alberti* Imp. posthumum *b*) non dimissum, non sine clade gessit; post quae varias Germaniae turbas componens, a. 1452. Romam profectus a *Nicolao* Pont. maxima solemnitate inunctus, et Longobardorum Rex atque Augustus Imperator salutatus est; *c*) unde reversus ab Hungaris ob non dimissum *Ladislaum* denuo bello pressus, dein 1462. Viennensium rebellione vexatus, tandem 1477. conciliatis filio *Maximiliano* nuptiis *Mariae* Burgundiae dotis loco amplissimas ditiones Domui Austriacae *d*) subjecit, quas ipse *Maximilianus* fortiter etiam a Gallis vindicabat. Omnium autem maxime *Fridericus* vexatus est a. 1485. a *Matthia Corvino* rege Hungariae, cujus victricibus armis Viennam totamque Austriam amittens, nonnisi post

---

*a*) Joan. Simlerus. de Repub. Helvet. Jocob. Wimphelingius. Epit. Germ. c. 51. 52. *b*) Dubravius. L. 28. Bonfin. Dec. 3. L. 7 *c*) Pantaleon. fol. 521. H. Mutius. L. 29. fol. 330. seq. *d*) Epist. Arnoldi de Lalaing. de conventu Imperatoris. ap. Freher. T. 3. Heuterus. rer. Burgund. L. 5. et in Austriacis.

post *Matthiae* mortem 1490. recuperare potuit. *a*) Postque gravi morbo *Lincii* laborare coepit, ubi etiam rebus ex ultima voluntate constitutis a. 1493. altero crure ob carcinoma prius abscisso mortuus est, *b*) aetatis 78. imperii 54. quo Caesarum nemo post *Augustum* diutius imperavit; sepultus Viennae in Templo S. *Stephani*. Sub eo praeter complures celeberrimos Viros a literis et institutis clarissimos, multae aliae res memorabiles evenerunt: uti circa an. 1440. Typographia inventa est a *Joanne Fausto* Moguntino, vel juxta alios a *Joanne Guttenbergio* Argentinensi. 1444. accidit clades Varnensis inter Hungaros et Turcas omnium celeberrima, sed Christianis luctuosissima, cujus causa icti foederis violatio impulsu *Juliani* Cardinalis facta est, tum foederatorum Principum tarditas; *Joannes* enim *Hunyadi* dux Hungarorum celeberrimus, et totius Chrstianitatis ornamentum, jam perprius celeberrimis relatis victoriis adeo *Amuratem* II. Turcarum Imperatorem terruerat, ut pacem ultro posceret, et decennales inducias oferret: ceterum hac clade Varnensi periverunt multi Episcopi Hungari aliique omnis ordinis viri celeberrimi; *c*) imo ipse Hungarorum Rex *Wladislaus* I. post quam cla-

---

*a*) Aeneas Sylv. c. 16. de Statu Europae. Dubrav. L. 30. Bonfin. Dec. L. 6. *b*) Freher. T. 2. Script. rer. Germ. Wimphelingius. in rer. Germ. Epit. c. 51. seqq. Pantaleon. et alii. *c*) Aen. Sylv. in Descriptione Europae. c. 5. et Epistola. 52. 81. 87.

cladem tota Christiana Respublica Turcis quasi praeda fuit: brevi enim a. 1453. Constantinopolis pristina orientis Imperii Caput et Sedes, post paucorum dierum obsidionem expugnata et capta est a *Mahumete* Imperatore, quo uno toti Christianae Reipublicae nihil accidere poterat calamitosius aut tristius, ex eo enim velut fonte omnia profluxerunt mala, sub quibus etiam nunc acerbissimis caedibus gemit Christianorum Imperium. Porro sub Regimine *Friderici* detecta sunt adjacentes Insulae Americae a *Christophoro Columbo* Genuensi.

XLIII. *Maximilianus I.* patre *Friderico III.* matre *Eleonora* 1459. natus, Uxorem I. habuit *Mariam Caroli* Burgundiae ducis filiam, quae in venatione ex equo ferociente dejecta, fracto femore, quinto nuptiarum anno obiit, ex qua tamen suscepit 3. filios, uti *Philippum*, qui ducta *Johanna* Hispaniae regis, *Ferdinandi* filia, universam acquisivit Hispaniam (ex qua conjuge *Carolum V.* et *Ferdinandum I.* successive Imperatores reliquit. *Franciscum* vero et *Georgium* mature mortuos: et unicam filiam *Margaretam* connubio infelicem II. Conjugem *Maximilianus* habuit *Blancam Mariam*, *Galeacii* Vicecomitis Medeolanensis filiam, sterilem. Hunc *Maximilianum* multis virtutibus jam in sua juventute ornatum pater *Fridericus* cunctis Electorum Suffragiis a. 1486.

in

in Comitiis Aquisgranensibus, *a*) Regem Romanorum fecerat, unde patri suo mortuo succedens, mox in regimine se circumspectissimum exhibuit, quod etiam Symbolo suo ita docuit: *Tene mensuram, et respice finem:* qui revera in incrementum Domus Austriacae natus, Burgundiam et Belgicas ditiones nuptiis *Mariae* unicae haeredis acquisivit; filio vero *Philippo* amplissimam haereditatem Hispaniarum, a posteris magno fructu possidendam paravit. Fuit alias mobilis ingenii et Patri dissimilis, ob nimiam enim prodigalitatem semper aeris inops, ab Italis *Pocodenario* vocatus: unde dum saepe multa moliretur, in effectum pauca deduxit ob defectum pecuniae; laudabilis tamen Princeps a praeclarissimis rebus institutis, uti *Camerae Imperialis b*) erectione in Comitiis Vormatiensibus, totius Germaniae in 10. circulos divisione, item Justitiae optima administratione, qui dum penes supplicii locum transiret, dicere solebat venerabundus: *Salva Sancta Justitia.* Ut autem ipse erat eruditus, sic doctos viros in pretio habuit, Academiam enim Viennensem saepe sua praesentia cohonestavit; imo et opus Poeticum solus edidit de diversis suis periculis, prout etiam primus inter Germaniae principes Heroum

---

*a*) Joan. Egnatius, et Cuspinianus, qui cum eo viderunt. Item Nauclerus. Generat. 49. seqq. Freher. T. 2. rer. Germ. *b*) Cuspinanus. In vita Maximiliani. Joan. Philip. Datt. L. 3. c. 1.—12. L. 4. c. 1. et L. 5. c. 1.

Heroum Genealogias indagavit. Porro sicut ipse fortis, ita experentia bellica insignis, modernum ordinem bellantium, in *Regimina*, haec in cohortes seu *Compagnias* distribuit, utilia insuper opera et machinas belli adinvenit; *mortarii* quibus globi igniti jaciuntur inventi, ut et *Granatae* 1488. in Bello Belgico inventae traduntur. Quibus apparatibus varia etiam potuit. gerere bella; qui etiam postquam Gallorum injurias vindicavisset, mox inita pace contra *Carolum* VIII. regni Neapolitani usurpatorem foedus cum Venetis *a*) iniens, a. 1495. *Carolum* ad *forum novum* feliciter profligavit. A. 1502. Rusticorum seditionem ad Rhenum *b*) prospere dissipans, mox *Rupertum* Palatinum proscriptum, multis ditionibus *c*) exuit. Dein Venetos a quibus laesus erat, icto cum Pontifice et Gallis foedere, magna clade et jactura rerum in continente affecit. *d*) Bellum Hungaricum difficillimis praeliis sustinuit, amissamque Austriam recuperavit; facile etiam totum perdomuisset regnum, nisi procerum suffragiis ea lege conventum fuisset, ut deficiente *e*) mascula stirpe

---

*a*) Philip. Cominaus. de bell. Neapolit. L. 1. Philip. Datt. in volum. rer. Germ. L. 3. c. 2. — 4. *b*) Chron. Alsatiae. L. 2. c. 73. *c*) Bartholini Perusini. Austriados libros. 12. Chytraeus, Saxon. L. 4. *d*) Gvicciardus. L. 9. ct 10. Petrus Bembus. Hist. Venetae. L. 8. — 12. Justin. Goblerus. in Chron. bell. Maximiliani. I. *e*) Peucerus. L. 5. fol. 310. Pantaleon. part. 3. fol. 5.

stirpe *Vladislai*, jus successionis ad *Maximiliani* posteros devolveretur. Feliciter etiam Helvetiis, quod cum Austriis et Svevis foedus inire nollent, bellavit, a. 1499. quo denum composito; mox ad Bavaricum bellum deventum est; quo duces ad pacem orandam coegit. *a*) Tandem *Maximilianus* febre correptus; alvi profluvio a. 1519. exspiravit, aetatis 60. Imperii 26. sepultus Neapoli. Sub eo *Martinus Lutherus* se se indulgentiis opponere coepit. *b*) A *Vesputio Americo* 1497 America inventa est.

XLIV. *Carolus V.* Patre *Philippo* Archiduce Austriae, duce Burgundiae, Rege Castellae et Hispaniarum, Matre *Johanna* filia *Ferdinandi* Hispaniae regis natus *Gandavi* Flandriae Metropoli a. 1500. Uxorem habuit *Isabellam*, alias *Elisabetham Emanuelis* Portugalliae regis filiam, ex qua suscepit 4. liberos, uti *Philippum II.* regnorum suorum haeredem. *Ferdinandum* mature mortuum, *Mariam Maximiliani II.* Imp. Conjugem. *Joannam Joannis* Portugalliae regis Uxorem: qui primus Inquisitionem Hispanicam in regnum una cum Jesuitis recepit. Igitur *Carolus V. Maximiliani* nepos potentissimus Monarcha et Germanorum Imperatorum vix ulli virtute et potentia secundus,

---

*a*) Chytraeus. L. 4. Pantaleon. part. 3. fol. 7. *b*) Prodigia videantur. ap. Christ. Matthiae. de 4. Monarchiis. p. 1030. seqq.

dus, tota enim vita ejus honestissimarum virtututum exemplis plena fuit, uti pietate, temperantia, affabilitate, Humanitate, Clementia et liberalitate, ob quas virtutes, Electores Imperii Francofurti congregati *a*) 1519. *Carolum* in Hispaniis absentem, Communi consensu Imperatorem renunciarunt, qui etiam anno sequente in Germaniam veniens Aquisgrani consvetis ceremoniis inauguratus est, a. 1530 Bononiae Rex Longobardorum, demum a *Clemente VII.* Imperiali corona eodem anno est coronatus; Justitia imprimis Imperium gubernandum statuit, ex cujus optimis legibus sunt de *bigamia*, nemini enim in Romano Imperio admititur duas habere uxores, bigamus enim ultimo afficitur supplicio. De *furibus* autem sic constituit: *Grassatores qui praedae causa id faciunt, proximi latronibus habentur, et si cum ferro aggredi et spoliare instituerunt, capite puniuntur; ut que si saepius atque in itineribus hoc admiserunt, ceteri in metallum damnantur, vel in insulas relegantur.* Ut autem ipse excellens bonarum artium cognitione fuit excultus, ita in viros doctos nimium liberalis fuit. Ceterum tota *Caroli V.* vita nihil aliud quam belligeratio perpetua fuit, multa enim bella gessit, ex

---

*a*) Franc. Cvicciardinus. L. 13. seq. Thuanus. breviter. fuse autem Joh. Sleidanus. Comment. de Statu Relig. et Reip. sub Carolo V. Simon. Schardius opere Hist. T. 2. seqq.

ex quibus notatu dignissima sunt. I. Bella contra *Franciscum I.* Galliae regem gesta, quae prope 38. annis, dubiis sub induciis parumque constantibus durarunt. *Causa* belli erat nimia potentia *Caroli V.* is enim erat Imperator Germaniae, Rex Hispaniae, Neapoli, Siciliae, Sardiniae, et Dynasta septemdecim Belgicarum provinciarum; his tamen non obstantibus *Franciscus I.* Galliae Rex, in obtinenda Imperii dignitate, *Carolo V.* competitor erat, sed spe frustratus, nunquam tamen ei adversari destitit. Et quidem primo inter civiles Hispaniae motus, Navarram a. 1521. suo exercitu occupavit, quam tamen opinione celerius Hispani recuperarunt. Mox *Robertum Bullioneum* rebellem antea *Caroli* clientem milites in Gallia conducere passus est; quo brevi domito, Imperator ut illatam sibi injuriam vindicaret, Gallicos fines invadens, bellum *Mediolanense* contra Gallos a. 1525. inchoavit, foedusque in Italia cum *Leone X.* Pont. cui Franciscus Parmam et Placentiam ademerat, percussit; ubi tam male Galli rem gesserunt, ut omnibus aliis etiam Italiae locis exigerentur; ducatus vero Mediolanensis Caesaris beneficio ad *Franciscum Sfortiam* rediret. Quarum rerum jacturam *Franciscus* aegerrime ferens, confestim Belgio relicto, ubi vario marte certatum erat, copias in Italiam duxit, ubi ad *Ticinum* praelio captus et in Hispaniam ad Caesarem missus, unde nisi post annum duris conditionibus, duobusque filiis

obsidibus, datis dimissus est. Sed brevi datam fidem, cum Pontifice contra Imperatorem se se jungens, violavit; verum Caesariani mox 1526. Mediolanum, sequenti Romam capientes promiscuis caedibus repleverunt, ipsumque Pontificem captivi modo aliquot mensibus asservarunt. *a*) Tandem post Neapolim frustra obsessam a Gallis, quo Caesariani se contulerant, quoniam peste majori ex parte absumti essent; Gallis ex tota Italia pulsis, Rex Pontificis exemplo pacem cum Caesare composuit 1529. et filios redemit: *b*) qua tempestate Veneti ob illata Carolo arma pecunia mulctati. *Sfortia* Ducatum Mediolanensem iterum praecibus consecutus, quem post ejus mortem, Caesar *Philippo II.* filio suo 1546. tradidit. Florentini ejectos ex Urbe *Medicaeos* denuo recipere jussi sunt, qui demum post biennium *Alexandrum Medicaeum* Ducis titulo soli ornarunt. Duo praeterea bella adversus *Carolum* gessit *Franciscus* magis foedere Turcorum imfamia, quam sibi utilia. Utrumque tamen Caesaris in Africam expeditiones antecesserunt, prima expeditione *Tunetum* expugnavit, et regem Tunetanum ab *Areadeno Barbarossa* genere *c*) Turca pulsum restituit, 1535. Altera expeditione *Algirium*

---

*a*) Sleidan. L. 6. Gvicciard. L. 17. 18. Bellajus. L. 3. Paul. Jovius. L. 26. *b*) Sleidanus. L. 6. Gvicciard. L. 16. Chytraeus. L. 9. *c*) Sleidan. L. 9. Chytraeus. L. 14. Heuter. Austr. L. 11. c. 1 Schardius. T. 2.

*Algirium* Archipyratae urbem capere destinavit, sed vix in Africam appulsus, ingentem hominum naviumque numerum tempestatibus amittens re infecta rediit 1541. *a*) II. Bellum memorabile erat *Smalcaldicum* a. 1546. contra Protestantes, quo ipsi Protestantium duces *Joannes Fridericus* Elector Saxoniae, et *Philippus* Hassiae Landgravius, fuso ad *Mühlbergam* foederato ipsorum exercitu, ab Imperatore in proelio capti sunt, *b*) Saxonia vero misere vastata est. Porro nobilitarunt III. *Caroli* imperium ingentes turbae a *Rusticis* in Germania concitatae, quorum dux erat *Thomas Muntzerus* qui Frankenhufae captus capite mulctatus est: hunc qui sequebantur cohortibus suis praeferebant vexilla pictis insignita rotis. Eodem regnante magnas quoque concitarunt turbas 1534. fanatici homines *Anabaptistae*, qui occupata Westphaliae Urbe Monasteriensi, Regnum novum *c*) duce *Joanne Leidensi* sibi constitueret; verum novus hic rex, cum insaniae asseclis, expugnata urbe: justo suplicio affecti sunt. Huic *Carolo* post Coronationem Bononiensem in Comitiis Augustanis a. 1530. oblata fuit *Confessio* Protestantium, *d*) *Augustana*

 di-

*a*) Fragmentum Jorii ex L. 34. ap. Schardium. T. 2. *b*) Fuse describit Frid. Hortlederus, item Sleidanus. L. 17. 18. 19. Lambert. Hortensis. L. 7. de bell. Germ. *c*) Schleidan. L. 10. et 11. Chytraeus. L. 14. Lambert. Hortensis de tumultibus Anabaptistarum. *c*) Seckendorff. Hist. Luther. L. 2. Sect. 22.

dicta. His perfunctus *Carolus*, paulo infelicior evasit ad *Magdeburgum*, et post interceptam *Metim*, quam frustra contra Gallos oppugnabat, a. 1552. quo anno etiam a *Mauritio* Saxone ex Comitatu Tirolensi pulsus erat. Quibus adversitatibus fractus, a. 1555. raro exemplo, imperio sese abdicavit, et in Hispaniam abiens, depositum Imperium in fratrem *Ferdinandum*, filio vero *Philippo* regna conferens, ipse in Monasterium concessit. *a*) ubi altero anno inter sacra studia, quibus nunc unice vacabat, mortalitatis suae finem fecit, a. 1558. aetatis 59. Imperii Romani 39. Symbolum ejus *plus ultra.* Qui revera adeo fortunatus erat, ut *Solimannus* Turcarum Imp. dum Viennam obsideret, audiretque *Caroli* adventum, in haec prorupit verba: *Non Carolo, sed fortunae ejus cedo.* Sub eo memorabile accidit, a. 1520. *Ferdinandus Magellanus* Lusitanus, auspiciis *Caroli* V. ab oriente versus occidentem via compendiosa ad Insulas Maluccas navigaturus, Fretum, quod de suo nomine *Magellanicum* dicitur, aperuit. Item Pax Religiosa Passavii stabilita est.

XLV. *Ferdinandus* I. *Caroli* V. frater, ac proin iisdem parentibus natus, Uxorem habuit *Annam Uladislai* II. Regis Hungariae filiam, ex qua 4. suscepit filios, *Maximilianum* qui

---

*a*) Schleidanus L. 26. Thuanus. L. 16. Natal. Comes. L. 9.

qui paternis vestigiis insistens, rara prudentiae laude Imperium post obitum patris administravit. *Ferdinandum*, *Joannem*, et *Carolum*, item undecim filias. *Ferdinandus* I. jam 1527. Bohemiae rex renunciatus, eodem anno etiam Regni Hungarici Coronam Albae Regiae accepit. Anno vero 1531. Coloniae Rex Romanorum renunciatus, a quo tempore una cum fratre Gubernationem suscipiens, quum plerumque *Carolus* in Hispania moraretur, ejus vices per multos annos prudenter in Comitiis gessit; donec *Carolus* a. 1558. in Comitiis Francofurtanis ad Moenum per legatos Imperio renunciaret, ubi mox *Ferdinandus* Imperator inauguratus, pius, pacificus, et justus Princeps, ut Symbolum ejus docet: *Fiat justitia, et pereat mundus*, qui continuos sex annos, quibus a morte sui fratris *Caroli* V. Imperio praefuit, tranquillam vitam ducens, bella nisi summa necessitate jam perprius adactus, ad defendendum *a*) regnum Hungariae contra immanitatem Turcarum in causa *Joannis Zápolya* Vajvodae suscepit, et continua fere bella varia fortuna gerere debuit, donec a. 1560. cum *Solimanno* induciae concilliatae fuissent. Ceterum Status Germaniae sub ejus miti Imperio, civilibus bellis ob religionis dissidia singulari Caesaris prudentia sedatis, omnino tranquillus fuit; pacem enim

*a*) Paul. Nagy. Hist. Pragmatica Hungariae. edit. Pestana. T. 2. p. 253 — 264.

nim Passaviensem, quietemque Germaniae *a*) confirmavit; quare tota Germania gratiam sempiternam *Ferdinando* debet, quem *Deus* murum patriae per Hungaros contra immanissimum hostium irruptiones esse voluit. Qui Justitia, Prudentia, Clementia, Humanitate Constantia, Liberalitate, ac literarum et Literatorum amore excellens; quum ob senectam corporis viribus langvesceret, apud Electores obtinuit, ut filius *Maximilianus* Rex Romanorum renunciaretur 1562. Quare etiam testamento instituit, quasnam quilibet filius provincias possideret, et quomodo *Maximilianus* in Imperio succedere debeat. Tandem Viennae morbo enervatus pie obiit. a. 1564. aetatis 62. Eo regnante celebratum fuit Concilium *Tridentinum* in causa reformationis cleri, populi, et Disciplinae Ecclesiesticae, ut in Historia Pragmatica Hungariae vidimus.

XLVI. *Maximilianus* II. patre *Ferdinando* I. Imp. matre *Anna Vladislai* Hungariae regis filia natus 1527. Conjugem habuit *Mariam* patrui sui *Caroli* V. filiam, ex qua suscepit 16. liberos, quorum octo intra pueritiae annos mortui sunt, Superstites vero reliquit sex filios, uti *Rudolphum* primogenitum, qui in Imperio successit; *Matthiam*, qui fratri *Rudolpho* successit. *Ernestum*. *Maximilianum*. *Albertum*.

---

*a*) Chytraeus. Saxon. L. 19. Natalis. Comes. L. 12. — 14. Thuanus. L. 20. — 35.

*bertum. Wenceslaum.* Filias vero duas *Annam Mariam*, *Philippo* Hispaniarum Regi, et *Elisabetham Carolo* IX. Gallorum Regi desponsasavit; qui cunctorum votis et Principum suffragiis, post mortem patris ad Imperium evectus, pulcherrimis virtutibus fulgens, omnium corda devinxit justitiae custos, et Princeps religiosissimus, quo imperante purioris Christianismi doctrina amplius erat roborata. Primos annos gravissimis bellis in Hungaria exegit, *a*) duce *Lazaro Swendio* Svevo; contra *Joannem Sigismundum* Transilvaniae principem, qui *Solimanni* Turcici Imperatoris clientela fretus, expugnato *Szathmarino* se Hungariae Regem ferebat. Interim *Swendius* antequam signa Turcorum advenissent, multas arces et insignia loca prospero victoriae cursu expugnans, *Maximiliani* imperio subjecit. Cumque *Solimannus* tunc *Melitam* insulam valida classe per quatuor menses frustra oppugnasset, accepta clade inde sequente anno expeditionem in Hungariam suscepit, quam rapinis vastans, tandem ad *Zigetum* fortissimum propugnaculum evertendum copias 200. millium convertit, quod virtute celeberrimi ducis *Nicolai Zrinyi* aliquam-

---

*a*) Sleidanus. L. 6. seq. Chytraeus. Saxon. L. 21. Thuan. L. 37. seq. Natal. Comes. L. 15. 16. Schardius. T. 3. Epit. ter. in orbe gestar. Nicolaus Istvánfi. L. 22. Bizari. de Bell. Pannon. sub Maximiliano. II. Paul. Nagy. Hist. Pragmat. Hungariae. T. 2. p. 272. seq.

quamdiu fortiter defensum, in potestatem *Solimanni* venit, qui aeque ibi perivit. 1566. cujus successor *Selimus* pacem ea lege fecit, ut quisque occupata retineret. Aliud bellum gessit *Grumbachianum* in Saxonia, quum enim *Maximilianus* comitia Augustae Vindelicorum celebraret, *Wilhelmus Grumbachius* cum sociis, qui Herbipolensem Episcopum interfecerant, pacem publicam turbantes ordinum consensu a Caesare proscripti sunt, quos cum *Joannes Fridericus* Saxoniae dux foveret, ipse etiam proscriptionis telum sensit. Imperator igitur cum exercitu duce *Augusto* Electore urbem *Gotham* cum arce *Grimmestein* in quam rebelles confugerant, oppugnat et capit, arx solo aequata, *Grumbachius* et *Bruck* vivi in quatuor partes dissecti, reliqui vero captivi ad mortem mansere. *a*) Atque hic erat eorum exitus, qui Consilia de mutando Rei publicae Imperii Romani statu tractasse dicebantur. Quibus curis et longa corporis aegritudine debilitatus *Maximilianus* optime meritam animam, in comitiis Ratisbonensibus Deo reddidit an. 1576. aetatis. 49. imperii 13.

XLII. *Rudolphus II.* Imp. matre *Maria Caroli* V. Imp. filia natus 1552. vivo adhuc patre Rex Hungariae et Bohemiae coronatus,

patre

---

*a*) Michaelis Zobelii Hist. ap. Schardium. T. 3. et Captae Urbis Gothanae Hist. ap. Schardium. T. 4. Chitraeus. L. 21. Thuan. L. 36.

patre vero mortuo, mox in iisdem Comitiis Ratisbonensibus Imperator electus omni laude dignissimus Princeps, maximis virtutibus praeditus, scienciarum imprimis absconditarum cultor, Imperium pacatum et tranquillum a patre acceptum, summa fide, sapientia et justitia conservatum, per 36. annos, cum maximo sui desiderio administravit. Latisque in Comitiis salutaribus legibus, statum Germaniae ad concordiam et potentiam perduxit, qui frementibus licet per orbem bellis, tamen pacem colere optabat; hinc *Maximilianum* fratrem Poloniae regnum ambientem *a*) incassum juvit. Bella diuturna contra Turcas dubia fortuna gessit, quibus in Hungariam irrumpentibus licet per Duces fortiter ristiterit 14. annis, urbes tamen et arces an. 1593. Turcae occuparunt, uti Szegedum, Vespremium, Palotam, Jaurinum, Papam, Kanisam; sed etiam Caesariani annis sequentibus feliciores, non paucas arces et urbes recuperarunt, uti Fülekinum, Neogradum, Strigonium, Hatvaninum, Albam Regiam, Pestinum; etc. *b*) a quo tempore, accedente imprimis *Stephani Botskay* rebellione, haud aequali felicitate bellum erat continuatum, donec an. 1606 . per celebrem pacificationem Vien-

*a*) Thuan. L. 88. Paul. Piasecius. in Chron. 1587. Chrytraeus. L. 28. *b*) Istvánfi. L. ult. Thuan. L. 126. — 136. Hieron. Ortellius. L. 3. et 4. Joh. Ludolphus. ni Theatro Sec. 17. L. 1. seq.

Viennensem, induciae vicennales fuissent conciliatae juvante ipso *Bocskaio.* Porro an. 1607. gravissimarum Germanicarum turbarum prima initia in urbe *Donaverda* eruperunt, *a*) quam ob impeditam Catholicorum processionem jam proscriptam, *Maximilianus* Bavarus omni libertate privavit; qua tamen dissensione brevi sopita; cum Bohemis et Austriacis libertas religionis concessa fuisset *b*) mox inter *Rudolphum* et *Matthiam* de Hungaria conventum est, et turbae ob successionem Juliacensem oriebantur. *c*) Postquam autem *Matthiae* etiam regnum Bohemiae fuisset concessum, Germanorum dissensiones sensim amplius augebantur, *d*) unde *Unio* Protestantium, et *Liga* Catholicorum coaluit; cujus tamen belli religionarii flammam *Rudolphus* experiri non potuit, quoniam morbo correptus, placide in Domino obdormiret an. 1612. aetatis 59. inperii 36. coelebs permanendo, Pragae sepultus. Eo regnante in orbe Christiano receptum est novum emendatum *Calendarium Gregorianum*, ex nomine *Gregorii* XIII. Pontificis dictum; quod

*a*) Thuan. L. 138. Wolfg. Jaeger. Hist Eccl. Sec. 17. L. 8. c. 2. Joh. Ludolph. in Theatro. Sec. Sec. 17. L. 7. c. 2. *b*) Idem L. 9. c. 2. Commenius. Hist Persec. Boh. c. 40. 41. *c*) Wilhelmo duce mortuo de success. Juliacensi. ap. Ludolph. L. 9. c. 2. *d*) Idem L. 10. c. 2. Commenius. Hist Persec. Boh. c. 41. Jegerus. L. 10. c. 1.

quod utpote exactissimum, pro veteri *Juliano Calendario* substitutum est.

XLVIII. *Matthias* patre *Maximilino II.* Imp. matre *Maria Caroli V.* Imp. filia Viennae 1557. natus, ex conjuge sua *Anna* Tyroliensi nullas suscepit proles, communi Electorum consensu Imperator electus, mox sedem Imperialem ex Bohemia, Viennam Austriae transtulit; Princeps omni prudentiae et consilii laude nominatissimus; specialis Religionis Catholicae cultor, cujus jussu templa Lutheranorum per Bohemiam et Silesiam passim claudebantur aut evertebantur; unde magni ob religionem motus exorti, originem dederunt subsecuto *bello tricennali* cujus belli flamma erupit primo *Pragae*, ubi exasperati Status Bohemiae gravamina deponentes; tres illustres viros uti *Wilhelmum de Slawata* supremum Burggravium, *Jaroslaum Martiniz* et *Philippum Platterum* qui Imperatoris nomine verba faciebant, *a*) e fenestra ariis Pragensis praecipitarunt; et hi rebelles propria authoritate regimen aggressi, cum Silesiis, Moravis, aliisque Lutheranis Ligam ineuntes, quum resipiscere noluissent; mox Imperator contra eos, 20. millium exercitum ducibus *Henrico Julio* duce Saxoniae, *Tampiero Bucheimio*, *Mallardo* et aliis; ubi inter utramque partem

---

*a*) Freiberg. part. 3. disc. 6. 7. Comenius. Hist. Persec. Boh. c. 43. Ludolph. L. 18. c. 3. Lotichius. L. 1. c. 5.

pertem varii conflictus pro speciosa religionis libertate committebantur, Bohemia vero misere vastabatur; verum in principio tantorum tumultuum *Matthias* Viribus fractus moritur a. 1619. aetatis 63. Imperii 7. qui cum nullam haeredem suscepisset, neque ejus frater *Albertus* haeredem speraret; mature prospiciens, Ordines Hungariae, Bohemiae et Austriae eo disposuit, ut Austriae Archi — ducem patruelem suum *Ferdinandum* in Regem susciperent: quem etiam regni et belli haeredem reliquit.

XLIX. *Ferdinandus II.* in Stiria natus 1578. patrem habuit *Carolum Ferdinandi I.* Imp. filium, matrem *Mariam* Bavariae ducis filiam, Uxor I. fuit *Maria Anna*, *Wilhelmi* Bavari filia, ex qua suscepit 3. filios uti *Joannem Carolum*, *Ferdinandum* post se Imperatorem, et *Leopoldum Wilhelmum*, qui pro Hispaniarum rege Belgio praefuit, filias vero *Christinam*, *Mariam Annam Maximiliano* Bavaro, et *Coeciliam Uladislao* Polono nuptas. II. conjugem duxit *Eleonoram* Mantuae ducis filiam. *Ferdinandus* II. Electorum suffragiis Imperator inauguratus, inter flagrantissimas turbas Imperium aggressus, mox Bohemos turbulentos *a*) qui sibi *Fridericum* Palatinum Regem Bohemiae fecerant, bello ad obsequium revocare statuit,

*a*) Freiberg. Part. 3. disc. 8. 9. Lotichius. de reb. Germ. Part. 1. L. 3. et 4. Ludolphus. L. 19. c. 3. Comenius. Hist. Persec. Boh. L. 42. seq.

statuit, quos etiam a. 1620. ad Regem in albo monte per *Maximilianum* Bavarum, undecim millium clade victos subjugans, ipsum *Fridericum* novo regno exuit; sumtoque de primipilis justo supplicio, *a*) mox contra *Gabrielem Bethlen* Hungarorum rebellium ducem profectus, *b*) eum quoque repressit. Quo felici rerum successu *Ferdinandus* quasi hostem Palatinum persecuturus, totam Germaniam infestis agminibus depopulatus est. Hinc Principes Protestantes *Christianum IV.* Daniae regem sibi ducem crearunt, *c*) quem in Saxonia inferiori feliciter profligans, florentissimis ditionibus exutum ad pacem petendam adegit; Interim dum a. 1626. in Austria tumultuantes Rusticos feliciter repressisset, Religionemque Protestantium procul ab Imperio removere studuisset; *d*) *Mantuam* quidem et *Magdeburgum* ab a. 1630. usque 1635. Imperio adjecit, sed mox a septemtrione novum hostem *Gustavum Adolphum* Svevum a Germanis evocatum accepit: unde exortum bellum varia fortuna gestum est; maxima enim Germaniae parte jam devastata, tota

ta

(*a* Lotichius. L. 7. seq. Ludolphus. L, 21. c. 2. Comenius Hist. Pers. Boh. c. 59.—84. *b*) Turbae Bethlenii. ap. Lotichium. L. 9. c. 4. et L. 10. Ludolphus. L. 21. c. 3. et L. 22. *c*) Lothius. L. 15. c. 4. seq. Ludolph. L. 25.—29. Freiberger Germania perturbata et restituta Part. 3. disc. 10. *d*) Lotichius. L. 31. c. 6. et L. 37. Ludolphus. L. 30.

ta fere peritura erat, *a*) nisi *Gustavus* cum Caesareis agminibus ad *Lutzen* fortiter congressus, aliquot globulis trajectus occubuisset. A cujus morte bellum contra Svevos, Gallos et Protestantes Germanos fervide continuabatur; quorum exercitum ad *Nordlingam* 1634. ingenti clade afficiens, *b*) mox Saxones aliosque adeo terruit, ut pacem Pragae cum Caesareanis subito inirent. Cum aliis autem porro magna animorum contentione bellum tricennale continuabatur, *c*) quo durante *Ferdinandus* debilitate corporis enervatus obiit a. 1637. aetatis 59. Imperii 17.

L. *Ferdinandus III.* patre *Ferdinando II.* matre *Maria Anna Wilhelmi* Bavari filia natus 1608. tres Uxores habuit, I. *Mariam* Philippi III. Hispaniae regis filiam, ex qua quatuor filios suscepit, uti *Ferdinandum*, *Philippum*, *Maximilianum*, et *Leopoldum* suum successorem. Filias duas, uti *Mariam Annam* et *Mariam* brevi mortuam. II. Uxorem duxit *Mariam Leopoldinam*, *Leopoldi* Archi ducis filiam, quae *Carolum Josephum* cum peperisset mortua est. III. duxit *Eleonoram Conzagam*, *Caroli* Mantuae ducis filiam, quae genuit *Mariam Theresiam*, *Eleonoram* et *Mariam Annam*,

---

*a*) Lotichius. L. 53. c. 6. Ludolph. L. 32. c. 2. Pufend. L. 4. *b*) Lotichius. Part. 2. L. 18. c. 1. seq. Brachelius. L. 5. Ludolphus. L. 34. c. 2. et Theatrum Europae. Part. 3. *c*) Lotichius. Part. 3. L. 1. c. 1. seq. Ludolph. L. 35.

*nam*, item *Ferdinandum Aloysium* mature mortuum. *Ferdinandus* hic III. simul Hungariae et Bohemiae Rex patri in imperio succedens, felici fortitudine variisque virtutibus inclytus, bellum tricennale cum Svevis et Gallis, aliisquae domus Austricae hostibus strenue continuans; postquam *Brenhardus* Saxoniae *a*) dux auxiliantibus Gallis 1638. sequentibus vero annis Svevorum duces uti *Banerius*, *Torstensohnius*, *Konigsmarckius*, et *Wrangelius* maxima damna Germaniae intulisent, imo in Helvetiam ipsam ferro et igne irrupissent, *b*) arcemque Pragensem occupassent, tandem cruento et diuturno bello tricennali finem imposuit, ut misera Germania dudum Sangvine natans pristino vigori restituatur; ideo pax cum Svecis sancita est *Osnabrugae*, cum Gallis vero *Monasterii* in Westphalia, ad quod negotium tractandum ex tota Europa missi sunt Legati, a quibus universalis pax a. 1648. sancita, et a. 1650. Norimbergae publicata, Germaniae pridem desideratam quietem restituit, Principum vero Germaniae auctoritatem, prout et Protestantium Religionem *c*) plene stabilivit. A quo tempore

---

*a*) Lotichius. Part. 3. L. 6.—8. Brachelius. L. 5. 6. Ludolphus. L. 38. Pufendorfius in Comment. rer. Svecicar. L. 10. seq. *b*) Belli finis ibi plane fuit, ubi initium accepit ad Pragam. vide Brachelium. L. 7. Ludolph. L. 48. c. 3. Pafendorf. L. 20. Freiberger. German. perturbata et restit. Part. 4. Sect. 2. disc. 17.—19. *c*) iidem. ibid.

pore *Ferdinandus* rebus componendis intentus, insperate filium suum *Ferdinandum IV.* jam electum suum Successorem morte amittens, postquam Coronam Hungariae et Bohemiae, filio suo *Leopoldo* consignavisset, ipse quoque omnibus charus et desiderandus Viennae obiit a. 1657. aetatis 49. Imperii 21.

LI. *Leopoldus I.* patre *Ferdinando III.* matre *Maria Anna Philippi III.* Hispaniae regis filia natus, tres habuit Uxores, I. *Margaretham Theresiam Philippi IV.* Hispaniae regis, et suae germanae sororis *Mariae Annae* filiam, ex qua suscepit quatuor proles, uti *Ferdinandum* brevi mortuum. *Mariam Antoniam Maximiliano Emanueli* Bavaro nuptum. *Joannem* mox mortuum, et *Mariam Josepham* aeque eodem anno defunctam. II. duxit *Claudiam Ferdinandi* Archiducis filiam, ex qua duas suscepit filias *Annam Mariam Josepham* et *Mariam Josepham Clementinam.* Cum autem neminem habuisset vivum haeredem masculum, ideo III. duxit conjugem *Eleonoram* Electoris Palatini *Philippi* filiam, ex qua gemellum suscepit desideratum *Josephum* et *Carolum* seu *Castorem* et *Pollucem*, praeter quos adhuc septem protulit natos. *Leopoldus* I. omni virtutum genere ornatissimus, ob eximia illa merita, quibus provincias sub jugo Turcico gementes vindicaverat, optimisque statutis Imperium illustra-

illustraverat, *Magni* nomen ab orbe meruit. *a*) Qui mox secundo coronationis anno, pacem *Olivensem* iniens cum Protestantibus, statim ad Hungariam a Turcorum irruptionibus vindicandam se convertit, ubi post amissum Varadinum et Ujvarinum, seu Neosolium, Turcis aliquoties victis, *b*) imprimis post felicissimum proelium ad S. Gothardum initum, induciae vicennales constitutae sunt: 1664. a quo tempore dum res Imperii felicius currere coepissent, Imperator a quibusdam rebellium Hungarorum ductoribus veneno petebatur, quorum tamen insidias feliciter effugiens, conjurationis capita uti *Petrum Zrinyi*, *Franc. Coristophorum Frangepan*, *Franc. Nádasdy*, et *Erasmum a Tattenbach*, *c*) supplicio affecit, quo ex tempore Hungaria continuis turbis lacerata, bello intestino et externo, sub cineribus gliscenti originem dedit. Germania vero tanta pestilentiali lue vexabatur, ut intra 10. menses 80. millia hominum amitteret. Quibus miseriis vix exantlatis, mox gravissima bella gerere debuit cum Gallorum rege *Ludovico*

k k *XIV.*

---

*a*) Philimeri Iren. Diarium Europae. et Theatri Europae. Part. 9. seqq. Bohuslai Balbini. Miscell. Bohem. Dec. 1. L. 7. sect. ult. fusius autem in Galeacii Gvaldi, et Joan. Comazzi. Historia Leopoldi. M. *b*) Theatrum Europae. part. 9. Diarium Europae. part. 10. *c*) Diar. Europae. part. 23. 24. Christian. Kormart. Casus illustrium virorum.

*XIV.* qui imperii incrementis, felicissimoque *Leopoldi* regimine omni vi obices ponere, dissidia et subditorum defectiones procurare, nequissimisque artibus Imperium intervertere studuit; hinc a. 1673. gravissimas Gallorum irruptiones fortiter in Imperio reprimens, cruentissimum bellum fervide continuavit, ex quo etiam bellum *Sveco-Brandemburgicum* coortum est; *a*) Svecos tamen brevi omnibus in Germania provinciis exuens, tandem a. 1679. inita pace *Noviomagensi*, tranquillitas Germaniae utcunque restituebatur. *b*) Verum Galliae Rex *Ludovicus* 14. vafris etiam modis pacta conventa eludere nec porro destitit: sed tam in Hungaria rebelles, duce *Emerico Tököly*, quam etiam Portam Ottomannicam ad *Tökölium* defendendum nefario concitavit 1683. qui etiam torrentis instar Hungariam cum 200. millium exercitu inundans, licet a Caesareanis Turcae aliquoties repressi fuissent, hi tamen ob Transilvaniae intestinas revolutiones ferociores redditi, Varadinum occupantes, inde nemine obsistente intra unius mensis spatium, Ujvarinum nobilissimum propugnaculum, 80000. Turcarum expugnarunt; inde Austriam invadentes,

*a*) Pufendorfius, in Comment. de reb. gest. Frid. Wilhelmi M. Theatrum Europae. part. 11. Diarium Europae. part. 31. seq. *b*) Acta pacis Noviomagensis. 1680. IV. volum. edita. Gvil. Temple. in memoriis, qui pacis legatus tractationibus interfuit.

dentes, mox *Viennam* horribili *a*) obsidione presserunt; quae Divina fere ope defensa, tandem comisso proelio decretorio, ingenti clade Turcarum liberata est. Sic victricibus *Leopoldi* armis fugati Turcae, non multo post ad *Barkanum* aliquot millia amiserunt: ita sequente anno ad *Vacium*, dein 1687. ad *Mohatsium* concussi sunt, a quo tempore usque 1690. Strigonium, Visegradum, Ujvarinum, Buda, Szegedum, Quinque Ecclesiae, Essekinum, Agria, Lippa, Alba Regia, Canisa, aliaque loca recuperata sunt; imo a Tyrannide Turcarum non modo Hungaria, sed et Transilvania, Slavonia, Croatia aliaeque vicinae regiones felicibus *Leopoldi* armis Divino auxilio fretis vindicabantur: qua tempestate barbara haec natio a finibus Europae facili negotio depelli potuisset, nisi Ludovicus XIV. Gallus, his Christianis progressibus invisus, Caesaris Victorias in medio cursu interrupisset; qui nulla belli denunciatione facta, subito *Argentoratum* Urbem dolo cepit, 1688. et multa alia circa Rhenum nobilissima loca barbarica crudelitate diruit. Cujus temeritati mox Caesar occursurus sufficienti fortitudine in Germaniam reversus, inter flagrantes belli flammas, filium suum primogenitum *Josephum* Regem Romanorum per Electores coronari voluit. 1691. interim bellum

kk2 utrinque

*a*) Theatrum Europae. part. 12. Ephemerides. Leopoldinae. item. Scriptores vitae Leopoldi M.

utrinque fervide continuabatur etiam sequentibus annis; donec maximis cladibus fatigati Galli, in tantas angustias redacti fuissent; ut pace *Risvicensi* tandem a. 1697. inter Christianos quies restitueretur, et pax non tantum in Imperio Romano Germanico, sed et in omnibus regnis huic bello implicitis stabiliretur. *a*) Porro similiter in Conventu *Carlovicensi b*) bellum Turcicum a. 1699. gloriosa pace finitum est his conditionibus: ut universa Hungaria, Transilvania, item in Slavonia et Croatia expugnata oppida, Caesari et Regi ut justo Domino restituantur. His actis brevi novam bellandi materiam praebuit mors *Caroli II.* Hispaniarum regis, cujus haereditas Gallica fraude intercepta; justissimo haeredi *Leopoldo*, atrocis belli necessitatem imposuit, totamque Europam armavit. *Ludovicus XIV.* enim nepotem suum *Philippum* Ducem Andegavensem falso inscribi curavit testamento haeredem Hispaniarum; ubi tamen Jus succedendi in Hispaniam ad Domum Austriacam pertinebat. Quare *Leopoldus* ad Hispaniae regnum sibi vindicandum, cum suis foederatis contra Gallos profectus, eos in Italia duce *Eugenio Sabaudiae* magna clade fractos

Italia

*a*) Risvicensis pacis tractatus. in Joh. Frid. Pfeffingeri Vitriario illustrato videatur. qs. extr. Cortrei observata Hist. Polit. ad Act. 4. pacis Risvicensis. Anton. Fabri. Europ. Staats-Cantzeley. part. 3. *b*) ibid. part. 4. vita Lepoldi M. Ottomanische Pforte. part. 2.

Italia fugavit, Mediolanensem Ducatum Imperii feudum fecit. Regnum Neapolitanum excusso Gallico jugo, legitimum Dominum agnovit, et *Carolus* a *Leopoldo* Hispaniarum Rex est declaratus 1703. die 12. Septembris: qui etiam sequente anno classe Anglorum eorsum deductus coronatus est. Similiter magnam perfidiae mercedem Rebelles seu malecontenti Hungari duce Rákóczy reportarunt, adeo ut eo ipso *Leopoldo* vivente, semet propriis armis subjugaverint; cujus consectarium erat sic dicta laniena Eperjesiensis et Cassoviensis. Inter tantos igitur triumphos tandem victricem suam animam Creatori reddidit *Leopoldus* a. 1705. postquam 47. annos imperasset.

LII. *Josephus I.* patre *Leopoldo M.* Matre *Eleonora* Electoris Palatini *Philippi* filia 1687. natus, Uxorem habuit *Wilhelminam Amaliam Joannis Friderici* Brunzvico Lüneburgensis Ducis filiam, ex qua suscepit filium *Leopoldum Josephum* eodem nativitatis anno mortuum; et duas filias uti *Mariam Josepham*, et *Mariam Amaliam*. *Josephus I.* vivo ut vidimus Patre Electorum suffragiis Romanorum Rex coronatus, sed haereditatem nonnisi 1705. post obitum patris, eamque multiplici bello involutam suscepit; nam primus statim ejus annus turbidus fuit ad Rhenum ob fratrem suum *Carolum*, difficillis in Italia et Gallia ob successionem Hispaniam, ubi mutata belli fortunna mox foederati *Carolum* Austriacum deserentes, consensu Clemen-

Clementis XI. Pont. *Philippum* Andegavensem Regem Hispaniarum salutant. In reditu tamen *Caroli* Ducatus Mantuanus ut Feudum Imperii per Caesareos fuit occupatus, et vi pacis Domui Austriacae assertus, ac Ducatui Mediolanensi incorporatus. Electores vero Coloniensem et Bavarum Gallorum partes arripientes, et ob hostiles in Imperatorem animos, e numero Electorum delevit. Gliscentes in Bavaria tumultus *a*) mature supprimens, Urbi *Danawerdae* pristinam libertatem restituit. Dissensiones inter se et Pontificem obortas, amicabili pacto per legatum suum Comitem de *Prie* composuit. Quibus rebus in Imperio sic stabilitis, mox foedus et amicitiam cum Anglis, Batavis et duce Sabaudiae aliisque foederatis renovavit, ac junctis viribus, bellum cum *Ludovico* XIV. Gallorum rege continuavit, cui tamen morte praeventus finem imponere non potuit; maximum interim et nominatissimum fortalitium *Landau* difficili licet dupplici obsidione, ab hostili furore servavit; unde liberalitatem ostendens, in militum occumbentium viduas magnam vim pecuniae erogavit. Tristis erat et Hungariae status ob nefandam rebellionem a *Rákóczio* suscitatam, *b*) quae tamen omnia, prout et imperii

*a*) Sebastian. Henric. Penzinger. Lib, de 4. Monarchiis. p. 277. seqq. *b*) Franc. Wagner. Hist. Josephi I. Kollinovits. de rebus Josephi. Pray. Hist. Reg. Hung. P. 3. p. 480. seq. Paul Nagy. Hist. Pragmat. Hung. T. 2. p. 354. seqq.

perii brevitatem, felicitate et victoriarum claritudine abunde compensavit. Quibus curis distractus *Josephus I.* dum Imperialibus Comitiis Ratisbonensibus adfuisset, insolito langvore correptus, post septem dies feralibus variolis a. 1711. aetatis 33. Imperii 6. mortuus est. Corpus Majorum tumulis Viennae illatum est.

LIII. *Carolus VI.* frater *Josephi I.* Imp. ac proin iisdem parentibus natus Uxorem habuit *Elisabetham Christianam Ludovici Rudolphi* Ducis Brunsvico-Quelpherbitani filiam, ex qua suscepit *Leopoldum* brevi mortuum, item filiam *Mariam Theresiam*, *Francisco* Lotharingiae et Hetruriae Magno Duci postea Imperatori nuptam. *M. Annam Carolo Lotharingo* Belgii Gubernatori desponsatam sed brevi mortuam, et *Mariam Amaliam* aeque mature defunctam *Carolus VI.* ut vidimus fuit Hispaniarum Rex declaratus a. 1103 fratre vero *Josepho* exstincto Imperator Germaniae electus, amplioribus viribus jus suum in Hispaniam prosequi potuit. Verum haec conferenda in unum Principem potentia, si nimirum *Carolus* cum haereditariis suis terris Hispaniam quoque obtineret, cunctis Principibus, politicum Europae aequilibrium et libertas regnantium Principum in manifestum periculum conjicienda videbatur: quare foederati Principes 1713. *Ultrajecti* ad Rhenum congregati, his praecipue capitibus desideratam pacem componere instituerunt; ut Hispaniae Monarchiam *Philippus*

*V.*

*V.* retineat, neque aliquando Hispania eundem regem cum Gallia habere possit. Gibraltariam cum minore Balcarum insula, et in America novam Scotiam *Angli* obtineant. Ut *Lusitanis* amplius Lis non moveatur de regione ad Amezonum fluvium sita, et Colonia S. Sacramenti. *Sabaudus* Siciliam cum Regio nomine accipiat. Ut Regium nomen Electori Brandeburgico, cujus pater *Fridericus I.* se Regem Borussiae 1701. appellavit, nulli Europae principes denegent. Ut *Carolus* Imperator Belgium Hispanicum, item Belgarum praesidia in multis urbibus, licet cum onere intertentionis Militum recipiat, uti et Brisacum, Friburgum, Mantuam et Mediolanum, Sardiniam et Neapolim obtineat. Verum Caesar a tali pace, qua jus ejus in Hispaniam abrogabatur, initio vehementer abhorrebat; ideo bellum meditans, quum tandem defectione sociorum intellexisset, Gallorum viribus in Germania amplius resistere non posse, agente imprimis *Innocentio* XI. Pontifice ipse quoque Caesar *Rastadii* 1714. pacis conditiones ratas habuit, quas eodem anno etiam Imperii Germanici principes *Badenae* Helvetiorum adprobarunt. — Finito hoc bello, mox cum Turcis novum erupit bellum, ideo quod Turcae ex occulto Hispanorum Consilio, Venetorum ditiones in Peloponneso et Creta hostiliter invaserint. Quare Caesar ut Reip. Venetae ex foedere subveniret, bellum contra Turcas sub auspiciis istius fulminis bellici et

fortissimi

fortissimi herois *Eugenii Francisci* Sabaudiae Principis suscepit; qui victis ad *Petrovaradinum* hostibus Temesum et Belgradum Turcis ereptum est; quum autem a felici armorum successu Caesar per Hispanos avocaretur, cum Turcis pacem petentibus 1718. *Passarovicii* in Servia pacem inivit ea lege: ut Banatus Tömösiensis, Belgradum cum parte Serviae, Cis Aluta Valachia, Bosniae et Croatiae pars penes Caesarem maneat. *a*) Qua pace etiam Veneti pauca quaedam Dalmatiae et Albaniae loca consecuti sunt: quibus obtentis ut facilior esset quaestus ad mare Adriaticum, portum Tergestinum et Fluminensem reparari ac per Croatiae montes viam strui jussit. Mercatus causa *Societatem orientalem* Viennae erexit 1719. quibus promovendis addidit *Ollam* fortunae seu *Lotteriam*, unde lucrum intra spatium 50. annorum proveniens, ad 80. milliones calculatur. Paulo post etiam *Societatem Occidentalem Ostendae* erexit 1722. in cujus emolumentum faedus inivit cum Hispanis et Russis, verum aliis Principibus contradicentibus, unde ne bellum casu erumperet, potius *Ostendanam* Societatem abolevit 1728. cujus ruinam mox fidei publicae et aerarii jactura sequebatur, quam militum

---

*a*) Vendramino Bianch. relatione de pace Passarovicz. Guido Ferrarius. de bello Pannon. L. 3. p. 75. seq. Imp. Ottoman. T. 2. p. 419. seq. Szegedi. Rubr. P, 3. p. 262. seq.

tum imminutione restaurare posse existimantes majora mala causarunt. Inter haec Hispani in Italiam irruentes Siciliam et Sardiniam occuparunt; contra quorum potentiam *Londinense* foedus initum est inter Caesarem, Anglos, Gallos, Belgas, et Sabaudiae Ducem, a quibus Hispani domi et foris, mari et terra solennitér profligati, una cum rege *Philippo* conditiones sibi propositas observare compellebantur. 1720. uti Caesar Siciliam, Sabaudus Sardiniam recipiat; ut *Philippus V.* Hispaniae Rex legitimus, Caesar vero Italiae Dominus agnoscatur. Ut *Caroli Philippi* filio jus succedendi concedatur in Hetruriam et Parmam, ubi ejus praesentes duces sine haerede decesserint. Post haec *Carolus* Imperator varias salutares leges in emolumentum cunctorum subditorum ferens, quoniam filiis careret, decrevit: ut in terris quas haereditario jure possidet, etiam filiabus gentis suae jus succedendi esset, quod Decretum *Sanctionem Pragmaticam* appellavit, quam Sanctionem inter omnes Juris Publici constitutiones celeberrimam, publici Juris fecit Viennae 1734. ad evitandas de successione controversias, quoniam ipse ultimus de stirpe Austriaca sine mascula prole esset: Vigore cujus in terras haereditarias jus succedendi habent I. Posteri *Caroli VI.* Imp. per filiam *Mariam Theresiam* in qua felicissima plurium liberorum parente Stirps Austriaco Lotharingica denuo in spem Regnorum et Provinciarum reflorescit. II. Posteri

steri *Josephi I.* Imp. per *Josepham* in Domo Saxonica. III. Posteri *Leopoldi M.* per *M. Annam* in Domo Lusitanica. Interim dum felicitati Imperii maximis curis prospiceret, novum bellum Gallicum erupit 1733. ideo: quod *Augusto II.* Poloniae rege defuncto, Galli ad Thronum Poloniae evehere intenderent *Stanislaum Lescinszky*, contra quorum molitiones *Carolus* cum Russo, Regem Poloniae agnoverunt Saxoniae Electorem *Augustum III.* Hujus igitur contentionis praetextu Galli bellum Caesari denunciantes, auxiliantibus Hispanis et Sardo Italiae provincias uti Mediolanum, Neapolim et Siciliam devastando occuparunt; cumque Imperator hoc in subito eventu justum exercitum conflare non valuisset, ejusque exiguus militum manipulus ad Parmam non modicam cladem jam accepisset, bellum varia fortuna continuabatur, donec a. 1738. pace *Viennensi* sopitum fuisset; ea lege; ut *Augustus III.* legitimus Poloniae Rex a cunctis agnoscatur; *Stanislaus* vero Lotharingiam ad dies vitae teneat, postea vero ad Gallos jure redeat. Ut Galli Sanctionem Pragmaticam *Caroli* ratam habeant. Ut Parmam, Placentiam et Mediolanum Hispani restituant *Carolo*, ut Sardiniae Rex Tortonensem et Novariensem provincias obtineat. Ut Hetruriam occupet Lotharingiae Dux in recompensationem amissi Patrimonii. Inter haec bellum gerendum erat etiam cum Turcis ex confoederatione Russorum, Turci enim Imperatricem Russo-

Russorum armis 1736. lacerantes, *Carolum* quoque ex foedere in se concitarunt. Verum auxiliares *Caroli* Copiae nunquam infelicius bellarunt quoniam magno illo *Eugenio* orbatae essent: nam ad Orsovam, Ujpalankam, Sendriam, Krozkam magna clade a Turcis profligatae erant, hinc Turcae ad *Taurunum* expugnandum digressi, ibi pax duris conditionibus ineunda fuit 1739. qua omnia per pacem *Passaroviczienseni* obtenta, *a*) praeter Banatum Tömösiensem Turcis tradita sunt. Post haec dum res militares et civiles instauraret, repente morbo correptus, diem obiit 20. Octobris 1740. imperii 29. aetatis 55. in quo stirps virilis *Austriaco Habsburgica* occidit: cujus vitam pietas, Moderatio, Constantia, Literarum et Artium amor continuo illustrarunt.

LIV. *Carolus VII.* Elector Bavariae, uxorem habuit Mariam *Josepham*, *Josephi* I. Imp. filiam: ex qua *Maximilianum* filium et *M. Josepham.* reliquit; qui post mortem *Caroli VI.* ac secutum quatuordecim mensium Interregnum, ab Electoribus Imperator proclamatus est, cujus competitor erat *Franciscus Lotharingus* gener *Caroli* VI. durante jam bello successionis Austriacae; nam *Maria Theresia* defuncti Imperatoris filia et uxor *Francisci* *Lo-*

---

*a*) Haeberlin. Hist. Polit. Sect. 18. Russet. Recueil. T. 12. seq. Hist. arcan. ij. 2. — 323. Pray. Hist. Reg. Hung. T. 3. p. 531. seqq.

*Lotharingi*, vi ante probatae sanctionis Pragmaticae amplissimam patris sui haereditatem aditura impedire non potuit, quin Bohemia et reliquae haereditatis Austriacae regiones belli calamitatibus exponerentur: imprimis autem *Carolus VII.* Bavariae Elector, e filia *Ferdinandi I.* ortus, praeterea *Josephi I.* Imp. filiam uxorem habens, jus successionis Austriacae ad se pertinere contendebat. Tale jus praetendebat *Augustus III.* Saxoniae Elector et Poloniae rex post uxorem suam *Josephi I.* Imp. minorem filiam. Hispaniae rex *Philippus V.* ex Constitutione *Caroli V.* Italicas provincias ad se pertinere asserebat. Galli licet Sanctionem Pragmaticam jam probaverant, nunc tamen sensum alio convertentes, *Carolo* Bavaro patrocinabantur. *Fridericus II.* Borussus, quatuor ducatus Silesiae jure ad se pertinere postulans bello petiit, et postea omnem Silesiam armis occupatam sibi subjecit. Austriam et Bohemiam invadebant mox Gallorum copiae, quibus prope Pragam accessit Bavarorum et Saxonum exercitus, qua Metropoli haud difficulter expugnata, *Carolus Albertus* Elector Bavariae etiam Bohemiae Rex declarabatur. Quo in periculo *Maria Theresia* oportune inita pace *Vratislaviensi* cum *Friderico II.* cui Silesiam inferiorem concesserat; aliis autem omnibus, Hungarorum unice fide, constantia, et virtute, gloriosissimis victoriis obstitit: imo postquam *Carolum Albertum* Bavarum et Impera-

peratorem proelio fractum Praga ejecisset, 1743. eam ingressa Bohemiae Rex fuit coronata: ac proin post varia fata ad legitimam Dominam redivit Bohemia. Itaque *Carolus VII.* Imperator cum Austriis bellum infeliciter gessit, biennio enim vix exacto, nihil omnium regnorum, quae jure cognationis praetendebat, aut plane jam armis occupabat, ipsi permansit; imo ex ipsa Bavaria misere vexata, bis exsulare ab Austriacis compellebatur; sed demum recuperato Monachio, trienii spatio adversam expertus fortunam, animi moerore confectus *Carolus VII.* obiit an. 1745.

LV. *Franciscus I.* Lotharingus patre *Leopoldo Benefico* Duce Lotharingiae et Bari, matre *Elisabetha Carolina* Ducissa Auralinensi natus, uxorem habuit *Mariam Theresiam Caroli VI.* Imp. filiam, quae erat Rex Hungariae et Bohemiae, ex qua suscepit 15. proles, quinque filios uti *Josephum* II. Imperatorem. *Carolum* mature mortuum. *Leopoldum*, post mortem *Josephi II.* Imperatorem et Hungariae Regem. *Ferdinandum*, et *Maximilianum.* Ordinis Theutonici M. Magistrum. Filias vero X. ex quibus ultima *Maria Antonia* Galliarum Regi *Ludovico XVI.* matrimonio fuit copulata. *a*) *Franciscum I.* Uxor ejus *Maria Theresia* concordibus universorum statuum et Ordinum suffragiis in consortem curarum et sollicitudinum

*a*) Paul. Nagy Hist. Pragmat. Hung. T. 2. p. 313.

num vocavit, absque tamen ulla in futurum sumenda consequentia; imo post mortem *Caroli VII.* Imperatoris, Principes Imperii eo perduxit *Maria Theresia*, ut Sanctionem Pragmaticam confirmarent, et conjugem suum *Franciscum* Lotharingum, frustra rentientibus Gallis, Electore Brandeburgico, et Palatino Rheni, Imporatorem Augustum eligerent et coronarent an. 1745. cujus ductu fortiter continuatum est adversus Borussos pro vindicanda Silesia bellum: verum quum in Lusatia et Saxonia infeliciter esset pugnatum, pax eodem anno *Dresdae* coaluit ea lege: ut *Friderico* II. Comitatum Glacensem cum Silesia, excepto ducatu Teschinensi, Oppiavia urbe, et partibus Hennensdorfensibus huc usque Moraviae adjunctis cederet. Pacato ita Borusso dignitatem Imperatoriam ad domum *Austriaco Lotharingicam* feliciter reducens, mox copias in Italiam contra dudum contendentes Hispanos et Gallos expedivit, ubi etiam hostes feliciter ad Placenciam profligantes, pluribus locis expugnatis, ipsam etiam *Genuam* obtinuerunt; ubi cives strictius habiti, concitata seditione Caesareos ejecerunt, ad quorum temeritatem vindicandam, quum sequentibus annis majores fierent belli apparatus; interim tranquillitas pridem exoptata an. 1748. pace *Aquisgranensi* stabilita subsecuta est; ea lege: ut quivis Principum suas ditiones retineat. Ut *Philippi V.* Hispaniarum regis filius *Philippus* obtineat Parmam,

Pla-

Placentiam, et Guastallam, reservato jure successionis, si sine haerede obiret, aut Sicilliam successive consequeretur. Ut Sardiniae rex praeter Sabaudiam etiam e ducatu Mediolanensi comitatum Angherae obtineat. Borussus obtentos jam in Silesia ducatus retineat. Ut omnes Europae Principes Sanctionem Pragmaticam in perpetuum legitimam agnonscant. Interim dum desiderata pace Principes frui potuissent, longe gravissimum exarsit bellum Borussicum 1756. pro recuperanda enim Silesia Borussus violatis foederibus, *Dresdae* sociis declarat se bellum in Bohemiam moturum, quare diviso trifariam exercitu, vastitates circum ferens, ad *Lavorisium* inita pugna victoriam dubiam reportavit; hinc Borossi ad Pragam et Olomucium multiplici clade ducibus *Daunio*, *Laudonio* et *Jahnio* fracti, castra ad *Hochkircham* posuerunt, quae *Daunius* ingenti clade fudit et in Saxoniam repellit. Similiter a Russis foederatis ad *Oderam* caesi, et brevi virtute *Daunii* ad *Dresdam* circumventi, 12. milia in captivitatem abducta sunt. Quibus celeberrimis victoriis Borussi repressi; tandem bellum septennale magna strage sustentatum, inita pace Huberstburgi an. 1763. ubi initium sumsit compositum est. A bellis *Franciscus I.* respirans, filium suum *Josephum* an. 1764. Electorum suffragiis Romanorum regem eligendum curavit, ipse vero Caesar maximis virtu-

tibu

tibus clarus an. 1765. Oeniponti mortuus, et Viennae sepultus est.

LXI. *Josephus II.* Patre *Francisco I.* Imp. matre *Maria Theresia* Magna, et immortali Hungarorum Domina natus 1741. primam Conjugem habuit *Elisabetham Philippi* Parmae ducis filiam, ex qua suscepit *Theresiam Elisabeth.* brevi mortuam. II. uxorem duxit *M. Josepham*, *Caroli* VII. Imperatoris filiam, brevi sine prole exstinctam. *Josephus II.* patri in Imperio succedens, mox summa auctoritate praeesse coepit, innatum sibi justitiae amorem cunctis palam facere volens, cursum Judiciorum in Camera Imperiali promtiorem instituit. Poloniae divisioni occasionem praebuit receptione XII. opdidorum Scepusiensium; quo exemplo Russi et Borussi juribus suis ex metu evigilantes, 1772. planum divisionis Imperatori *Josepho* proposuerunt, quod etiam spe utilitatis acceptatum, *Gallicia* et *Lodomeria* jure belli ad coronam Hungariae pridem devolutae, nunc Austriae adjunctae sunt; quibus brevi 1777. accessit *Bucovina*, quam specie amicitiae Turcarum Imperator ultro cessit. Item an. 1778. *Maximiliano* Bavaro deficiente, jus succedendi in parte Bavariae Domum Austriacam respexit, quoniam hanc provinciam olim *Sigismundus* Imperator et Rex Hungariae ejus Majoribus contulisset; alia pars autem Bavariae juxta pacem *Westphalicam* Palatino Rheni tradita est: de qua divisione, pace *Teschinensi* conventum

 est.

est. Post mortem vero Augustae matris *Mariae Theresiae* jure haereditario ditiones obtinens, mox totam fere Monarchiae formam aliam pro summa sua sapientia inducere cogitabat: hinc alia inducta est Dicasteriorum constitutio, alia educandae juventutis tam secularis quam Ecclesiasticae ratio, alia Judiciorum forma et provinciarum coordinatio. Decretum Tolerantiae publicatum, libertas censurae et Typographiae inducta. Potestas Nunciorum Apostolicorum limitata. Quae rerum mutatio brevi varios hominum sensus post se traxit; universim enim metus erat, ne *Josephus* maximis etiam rebus gerendis animos capiat, cujus causa ipsum etiam Romanum Pontificem *Pium VI. Viennae* Austriae Hospitem habuit. An. 1782. Ceterum *Josephus* felicitati populorum consulendi studio, maximas mutationes inducens, ipse tamen pro suprema sua institutione domi et foris sine pompa, sine Ministrorum comitatu, mensa etiam et vestitu communi usus est. Quanta autem clementia erat praeditus, facta testantur: nam quivis ad eum liberum accessum habuit, non ut subditus ad Dominum, sed tamquam filius ad patrem, quo facto multum ex suo in pauperes erogans, simul statum Imperii internum optime rescivit. Hinc justitiae et aequitatis rigidus custos, omnem praepotentiam et abusus, item debilioris partis oppressionem ac muneris acceptationem graviter punivit. Ad haec semel cum Turcis in foedere

Rus-

Russorum propter Crimeam bellavit 1788. cui bello aliquamdiu praesens, de iis plenam reportavit victoriam, ubi *Laudonii* virtus imprimis enituit. Cum aliis autem Principibus concordem firmamque coluit amiciciam, quos saepe adventantes, maximis excepit honorum officiis. Inter quas praeclarissimas molitiones, multiplice aegrotatione afflictus, dum de querelis Hungarorum fuisset edoctus, raro exemplo omnia sua statuta 1789. solenni rescripto; praeter Tolerantiam, Parochiarum et Urbarii regulationem, revocavit; coronamque Hungariae Budae conservandam remisit, multiplicatos nimis Religiosos ordines, imprimis possessionatos, uti Paulinorum, Benedictinorum, Praemonstratensium, Cistercitarum, Camaldulensium Trinitariorum abolevit, oliorum vero Monasteria in minorem numerum redegit, convertens proventus in utiliores reip. fines, Fundum Religionis conflando. *a*) Inter quas optimas curas, rara demissione ab omnibus veniam precatus, Magnam suam animam Creatori reddidit. an 1790. die 20. Februarii. Imperii 13. aetatis 39.

LVII. *Leopoldus II. Josephi II.* Imp. frater, patre *Francisco* I. Lotharingo Imperatore matre *Maria Theresia* an. 1747. natus, conjugem habuit *Mariam Ludovicam Caroli III.*

 Hispa-

*a*) Paul. Nagy. fuse in Hist. Pragmat. Hungariae. T. 2. p. 360. — 369.

Hispaniarum Regis filiam, ex qua suscepit filiam *M. Theresiam Antonio* Saxoniae Principi nuptam: dein filium hodie Gloriosissime regnantem *Franciscum* I Austriae Imperatorem et Hungariae ac Bohemiae regem. — *Ferdinandum* Hetruriae ducem. — *Mariam Annam.* — *Carolum* Gubernatorem Behemiae. — *Leopoldum* Palatinum Hungariae, jam mortuum. — *Albertum.* — *Maximilianum.* — *Josephum* hodie deamatissimum Palatinum Hungariae. — *Clementinam.* — *Antonium* Ord. Teuton. M. Magistrum. — *Amaliam.* — *Joannem* Baptist. — *Rainerum* hodie Vice Regem Lombardiae. — et *Rudolphum.* — *Leopoldus II.* vivo adhuc *Josepho* Imperatore, Magnum Hetruriae Ducatum magna nominis sui gloria 25. annis jam gubernavit, post mortem vero *Josephi II.* Electorum voto Imperator salutatus, bellum Turcicum a fratre susceptum, licet felici armorum successu continuare potuisset, foedus tamen ob imminentes turbas Gallicas et Belgicas, pro maximo Imperii emolumento inivit, *Sistoviae* 1791. Quod ipsum etiam sequente anno Russi in Moldaviae oppido *Jassi* fecerunt. Postquam autem Borussos et Belgas aliosque seditiosos sua prudentia placavisset, de revindicandis Germaniae juribus, et defendenda salute Regis Galliae, et Reginae *Antoniae* sororis suae agere coepit: ideo habito *Pillnitzii* colloquio cum *Wilhelmo II.* Borussiae rege, et *Friderico Augusto* Saxoniae Electore societatem armorum con-

contra Gallos iniens, mox Belgium Austriacum quaquaversum firmis militum praesidiis munivit, quos optimos conatus desideratissimi regis, post brevem aegritudinem repentina mors intercepit, die 1. Martii 1792. regiminis 2. aetatis 45. *a*)

LVIII. *Franciscus II.* Imperator Germaniae Patre *Leopoldo II.* Imp. matre *Maria Ludovica* 1768. die Februarii natus Florentiae. Primam conjugem habuit *Elisabetham Friderici Eugenii* Ducis Würtenbergici filiam, ex qua suscepit *Ludovicam* post mortem matris mortuam. Secunda Conjux erat *Maria Theresia*, *Ferdinandi IV.* Siciliae regis filia, et a. 1807. mortua, ex qua natus est 19. April. 1793. *Ferdinandus*, Imperii Austriaci Caesareus, Hungariae, Bohemiae et aliorum regnorum Regius Coronae Princeps et Successor Troni. II. *Maria Ludovica* nata 1791. ducissa de Parma, Piacensa, et Guastalla matrimonio copulata 1810. cum ejus temporis Imperatore *Napoleone* et Galliarum rege. III. *Carolina* 1795. mortua. IV. *Carolina Ludvica* 1799. nata, et an. 1817. nuptui data *Petro* Regnorum Portugalliae, Braziliae et Algarbiae Coronae Principi, habitat in America Braziliae metropoli *Rio de Janeiro.* VI. *Maria Clementina* desponsata 1816: *Leopoldo Ferdinandi IV.* Siciliarum regis

---

*a*) Idem. ibid. laudes et facta Leopoldi II. rafert. p. 370. — 377.

gis filio secundo nato. VII. *Josephus* mortuus 1807. VIII. *Carolina* nata 1801. Matrimonio juncta *Friderico Augusto* Saxoniae Principi. 1819. IX. Franciscus natus 1802. X. *Maria Anna* nata 1804. XI. *Joannes Nepom.* mortuus. XII. *Amalia* mortua. — Terciam Conjugem duxit *Mariam Ludovicam* 1808. filiam *Ferdinandi* Archiducis, mortua 7. April. 1816. — Quarta Conjux est *Carolina* Augusta, *Maximiliani Josephi* Bavariae regis filia, quam desponsavit per Procurationem Monachii 29. Octobris 1816. cui Optimae et Magnae Dominae, omnes boni incolumitatem de corde precamur. *Franciscus II.* post mortem patris mox Francofurti communi Electorum voto Imperator creatus, omnium fidelium subditorum mentibus felicissimum ejus Imperium futurum instillabat pius hic et pacificus Princeps, in quo paternas virtutes, invictam fortitudinem, candorem animi, peculiaremque erga tot Nationes Imperium constituentes, Imperialis ac Regalis benignitatis propensionem, cum summo gaudii et admirationis sensu intuemur! quam vere Paternam sollicitudinem primis statim auspicatissimi Regiminis initiis, ad salutem felicitatemque haereditariarum Provinciarum firmandam et augendam intendere adeo cupiebat, ut licet gravissimi et sangvinolenti belli Gallici curae multum eum alio converterint; tamen inter medios hujus belli strepitus, Provincias et regna sua a majori vexatione admirabili providentia et pru-

dentia

dentia non modo servavit; sed insuper iis celebritatem, commerciis florem, Politiae et Dicasteriis ordinem; subditis contra hostiles impetus tranquillitatem, toti denique Imperio publicam felicitatem reddidit. Exortam initio statim regiminis nefariam conjurationem *Martinovitsianam* dictam, prudentissimo consilio dissipavit. Ceterum funestissimum bellum, quod Galli ex conventu Nationali 1792. Patri denunciaverant eo specioso titulo, quod in Belgio multas copias haberet, varia fortuna omnem belli molem gerere debuit. Ad quod felicius gerendum mox Imperator cum Rege Borussiae foedus *Pillnitzense* renovavit: cui foederi praeter nonnullos Germaniae Principes, etiam Angli, Russi, Hispani, Hollandi, Portugalli, Neapolitani, Sardini, et Florentini semet adjunxerunt, maximisque animis in Belgio ad Rhenum cruentissimum hocce bellum inceptum est. Verum favente initio statim Gallis fortuna, quoniam Borussi ex nota sibi causa semet retrahendo inducias fecissent; mox Austriaci Spiram, Vormatiam, Francofurtum cum Belgii parte Gallis cedere debebant. Interea autem in Gallia inauditus ille tumultus in perniciem Regiae familiae *Burbonicae* concitatus adeo maturuit, ut Rex *Ludovicus XVI.* in Carceres conjiceretur; unde tamen arte quorumdam suorum fidelium eliberatus, dum vitam salvare vellet, *Varennis* a Postae Magistro agnitus, ac Luteciam reductus, non modo carceribus in *Tem-*

*pel*

*pel* fuit mancipatus, sed insuper in judicium tractus, frustra defendentibus Advocatis, Laesae Majestatis Nationalis reus declaratus, a. 1793. 21. Januarii, feralem mortis Sententiam (Guillotin) subivit, pari immanitate et Regina *Maria Antonia* Austriaca *Mariae Theresiae* filia sublata est; quo ex infelici eventu, bellum Gallicum majori furore erat continuandum, qua vice etiam per Caesareos plures victoriae erant reportatae, ipsumque Belgium recuperatum. Verum anno sequente 1794. commisso ad *Fleures* decretorio proelio, praeter magnam hominum jacturam, etiam totum Belgium iterum in Gallorum potestatem venit. Quare restauratis copiis, praeter celeberrimos belli duces: *Koburg*, *Clairfait*, et *Bender*, etiam Imperator fratrem suum *Carolum* Archiducem 1795. praefecit, qui etiam plurimas de Gallis victorias ad *Veczlaviam*, *Amberg*, *Ukerad*, *Heidenheim*, *Teining*, *Neumark*, *Herbipolim*, *Kehlam*, *Elz-kenzin*, reportavit: sed nec minoribus cladibus acceptis ad *Arcole Caldieri*, et *Rivoli*, hostis usque *Leobium* veniens, ipsi jam *Viennae* appropingvabat; qua Gallorum fortuna eveniente, mox Borussi pace cum Gallis inita, neutralitatem servabant; quibus visis omnes fere Italiae et Germaniae Principes, imo etiam Hispani et Hollandi a. 1796. inita cum Gallis pace, aut saltem induciis conciliatis, a Foedere Austriae recesserunt. Qua tempestate Galli jam Romandiolam, Cesenam, Ariminum, et Laure-

Lauretum occupantes, ipsum quoque Belgium sibi obnoxium effecerunt. Quibus in periculis Imperator omnem belli molem sustinens, brevi hostes in ipsas etiam Austriacas ditiones irruptiones facere, cladesque eorum ferre cogebatur. Tales tantosque prosperos Gallorum successus Hungari observantes, mox pro firmando Imperii et Regni solio, defendendaque avita constitutione maximos et formidabiles fecerunt apparatus; sed interim ex utraque parte adoptatis induciis, tandem pax etiam 1797. in *Campo Formio* inita est ea lege: ut Imperator Belgium Austriacum, Ducatum Mediolanensem et Mantuanum amittat: obtineat vero Istriam, Dalmatiam, et Venetias cum insulis Maris Adriatici; ad finalem autem omnium controversiarum determinationem constituta fuit Urbs *Rastadium* quo Imperii Germanici et Reipublicae Gallicae oratores dirimendae controversiae causa conveniant: sed dum hi deliberarent, interim Galli statim sequenti anno rupta pace, novis ducibus *Bernadotte* et *Massena*, non tantum Austriacam Domum cum Germaniae Principibus, sed etiam Russos, Turcas, Neapolitanos, Portugallos, ipsamque Africam Borealem ad bellum provocarunt. Unde renovato bello, mox ad *Veronam*, *Legnago*, *Magnano*, *Valencam*, et *Trebiam* fluvium 1799. memorabiles pugnas committentes, *Melas* quoque ad *Savilianum* triumphans, ipsam *Genuam* subegerunt. Quo tempore *Bonaparte* (qui

tardius

tardius *Napoleon* dictus est) ex Aegypto reversus, sublato Directorio, ille primus Consul a Gallis creatus, omnem belli potentiam, et fortunam ad se trahens, transpositis mox in Italiam copiis, a. 1800. die 14. Junii, commisso ad *Marengo* cruento proelio victor, Italiam superiorem Austriacis ademit. Sed etiam *Carolus* Archi Dux ad *Ostrack*, *Liptingen*, *Vinterthurn*, *Tigurum*, et *Manheim* magnis triumphis illustravit bellum, qui tamen ob valetudinem 1800. exercitum relinquere debuit: quo facto hostis praevalens atrocia deinceps certamina duce *Moreau;* potissimum ad *Hohenlinden* committendo, Austriam invadens usque *Lincium* pervenit, brevi Viennam obsessurus: sed ad avertenda majora mala pax 9. Februarii 1801. *Lünevillae* confecta est, qam complures pacificationes cum Neapolitanis, Lusitanis Anglis, Batavis, Russis et Turcis sequebantur; vi hujus pacis Caesar amisit Belgium Austriacum, Comitatum Falkenstein, item ditiones ultra Rhenum, et in Italia Athesim sitas. Hetruria haeredi Parmae data, aliis autem Germaniae Principibus, qui bona trans Rhenum amiserant, appromissa fuit compensatio; unde secutae sunt maximae in Imperio mutationes: alii enim Principatus sponte cessarunt, alii autem pecunia erant excontentati. Caeterum pace *Lünaevillensi* tota deinceps Europa conquietura videbatur, verum brevi omnis tranquillitas per Anglos in Societate Russorum interrupta est. 1803. Qua vice

Impera-

Imperator *Franciscus* neutralitatem eligendo, se Mediatorem certis conditionibus offerens, nihil pro communi bono obtinere potuit: imo quum manifestam Imperii Germanici ruinam cerneret, sequente anno 1804. Galli rejectis omnibus promissis Tertio jam bellum renovassent, ipse vero *Napoleon* novo exemplo *Imperatoris Romani titulum* assumsisset; *Franciscus* Caesar deposito Imperatoris Germaniae titulo, ipse quoque novo exemplo die 10. Augusti. 1804. Haereditarii Austriae Imperatoris titulum et dignitatem primus sumsit: unde *Franciscus I.* Austriae Imperator dicitur. Atque hinc semina belli jacta sunt, et renovato cum Anglis, Russis et Svecis foedere, bellum contra Gallos susceptum est, quibus Bavari, Würtembergenses et Badenses adhaeserunt; quo tempore vires Gallorum reprimi potuissent, si Russi longinquitate itineris impediti non fuissent. Ad hoc igitur bellum feliciter gerendum Imperator *Franciscus* copiis suiis in Germania *Mackium*, in Italia vero *Carolum* Archiducem praefecit. *Mackii* ductu totus exercitus ad *Ulmam* conclusus, deditionem facere cogebatur, cum aliis autem *Napoleon* commissis ad *Braunaviam*, *Salisburgum*, *Kuffsteiniam*, *Graecium*, *Brunam* cruentis proeliis, nemine fere resistente *Viennam* cepit; inde brevi 2. Decemb. ad *Austerlicz* in Moravia fatigatos Russos cum paucis Austriacis funestissima caede profligavit: felices Gallorum successus pace *Po-*

*soniensi*

*soniensi* sedati sunt 26. Decembris, ea lege: ut Tyrolis Bavariae; Status Venetus Italiae; ditiones Svecicae Bavaris, Würtembergensibus et Badensibus obveniant. Salisburgum et Berhtoldsgadum Austriae, Herbipolitanus vero Principatus *Ferdinando* Archiduci veniant: qua occasione etiam Bavarus et Würtembergicus Principes *Regium* titulum sumserunt. Distracto ita Imperio Germanico ab antiqua forma Imperii Principes secedentes, *Foedus Rhenanum* inivevunt, cujus Foederis *Protector* erat *Napoleon* Foederati hi, quiescente Austria, omnes cum *Napoleone* bellarunt contra Borussos, Russos et Svecos, quo terminato Borussus etiam ad Foedus accessit. His habitis brevi erupit.

IV. *Bellum Gallicum* eo quod *Napoleon* exauctorata familia Borbonica, in Hispania fratrem suum *Josephum Bonaparte* Regem constituerit; quibus molitionibus commotus Franciscus Imperator 1809. initium belli utcunque felices successus nobis in Bavaria, Polonia, et Italia pollicebantur. Sed 22. April. ad *Eckmühl*, et 23. April. ad *Ratisbonam* initum decretorium proelium tantos ausus Gallis tribuit, ut *Viennam* usque penetrarent; quibus et si 22. et 23. Maji. ad *Aspern* cruento proelio reddita fuisset clades, Austriacos tamen in ipsa plane Hungaria ad *Posonium* et *Jaurinum* funestissima pugna commissa, succensisque dictis Urbibus, sed vel maxime ad *Vagram* et *Znoymam* adeo fatigarunt; ut eodem anno 14. Octobris

*Viennae*

*Viennae* pacem cum Gallis inirent; vi cujus iterum non modica Provinciarum pars Austriae amissa est; praeterea ex hoste *Napoleone* non modo amicus, sed plane ducta in Uxorem Imperatoris filia *Ludovica*, etiam Gener evasit 1810. cui etiam *Franciscus* Imperator exfoedere 30. millia millitum contra Russos bellanti 1812. dare debuit; qui dum in infelici sua expeditione pacem amplecti noluisset; *Franciscus* Imp. generum suum deserens, Russis et Borussis adhaerendo, cruentissimum bellum denuo recruduit duce Principe *Schvartzemberg* 1813. qui Foederati pluribus proeliis commissis, tandem ad *Lipsiam* 16. et sequentibus diebus Octobris, magna virtute Gallos superantes, victricibus armis *Parisios* usque pervenerunt; ubi *Napoleon* exauctoratus et ad *Elbam* insulam relegatus est: unde demum elapsus, dum Tronum conscendere vellet, proelium ad *Watterlo* ineundum erat; ubi a confoederatis denuo superatus, ac ad pacem pridem desideratam revehendam et stabiliendam, *Napoleon* in Insulam *S. Helenae* conclusus, ibi etiam vitae finem posuit. Ita etiam *Joachimum Murath* Regem Neapolitanum 1815. Italiam nimis turbantem, felici expeditione debellantes, Regnum Neapolitanum legitimo Regi *Ferdinando IV.* revindicarunt. Igitur ita feliciter confecto bello Gallico pace Parisiensi et Viennensi, Invictissimus Austriae Imperator *Franciscus I.* ditiones suas haereditarias exintegro revindicavit;

Militi-

Militibus gloriose pro patria occumbentibus magnificas per Monarchiam exequias celebrari jussit. 1815. 26. Septemb. *Foedus Christianum* cum *Alexandro* Russorum Imperatore, et *Friderico Wilhelmo* Borussiae Rege inivit; quod multorum Principum accessione firmatum eo potissimum tendit, ut plana et negotia Principum quoad Religionem omnemque Reipublicae partem a cunctis inviolabiliter observentur. Porro in Conventu *Viennensi* 1814. et 1815. Germaniae Principum ditiones et jura definita sunt, ubi cessante Foedere Rhenano, novum *Foedus Germanicum* denuo coaluit: vigore cujus novae mutationes factae stabilitae sunt. Quibus Foederatis Principibus ob paternam tot gentium sollicitudinem, Deus ter optimus Maximus vitam proroget quam diutissime, qui adhuc vitam Imperatorum Coronis dignissimam ducunt.

§. 5. *Status Literarum et Artium a Rudolpho I. Habsburgico, ad nostram usque aetatem.* Imperium Romano Germanicum sub quinta Imperatorum familia nempe *Austriaca* cujus conditor erat *Rudolphus I.* Habsburgicus, ad maximum culturae et perfectionis Gradum devenit variarum Artium inventis, et Literarum augmento, quibus commenta superstitionis tandem detersa sunt. Imperatores enim jam ipsi eruditiores, uti literas et Literatos prae aliis coluerunt, ita eorum consiliis, primas suas curas ad Nationum sibi subjectarum ampliorem

pliorem culturam convertentes, imprimis de Scientiarum mediis solliciti, largissimis fundationibus Scholas Publicas aperuerunt; cujusmodi Scholae seu Academiae scientiarum et artium a variis Principibus erectae, Seculo 14. et 15. complures in Germania numerabantur, in quibus nobilissima, Disciplinarum Studia a selectissimis Doctoribus tradebantur. Hujusmodi academias cordatissimi scriptores memorant: *a*) *Basiliensem*, *Coloniensem*, *Dillingensem*, *Moguntinensem*, *Marpurgensem*, *Lipsiensem*, *Ingolstadiensem*, *Heidelbergensem*, *Gripsvaldensem*, *Friburgensem* Brisgojae. *Francofurtensem* ad Oderam. *Erphordensem*, *Pragensem*, *Rostochiensem*, *Conigsbergensem*, *Trevirensem*, *Tubingensem*, *Viennensem*, *Brestaviensem*, *Würtembergensem* et *Herbipolensem*; quibus successive aliae etiam florentes accesserunt: ex quibus viri innumeri omnigena eruditione conspicui exierunt; quod ipsum testantur permulti omium artium genere instructissimi; testantur lingvarum Graecae, Latinae, et Hebraciae peritissimi; a quo tempore in Germenia diserti oratores, acuti disputatores, absoluti Arithmetici et exactissimi Astronomi inveniuntur; Geometras vero nulla Europae, aut fere orbis pars dat magis consummatos; Taceo Medicinae accuratam cognitionem, aeris fundendi cudendique

*a*) Aeneas Sylvius in Hist. Bohemor. Cromerus. Michovius. in reb. Polonicis. Krantzius. in Metropoli. et alia Chronica passim.

que peritiam, metallorum tractandorum scientiam; et id genus alia. Germania enim primo invenit tartareas illas *Bombardas* a fragore sic dictas, et *Tormenta* Bellica, ope pulveris pyrii in exitium generis humani nata; cujus inventio passim tribuitur. *a*) Monacho cuidam Germano *Bertholdo Schwartz*, circa 1355. qui teste *Spondano b*) qui si rebus Sacris tam operam dedisset, non hanc pestem in orbem invexisset; quod genus artis pridem in usu fuisse apud Sinenses Eruditi *c*) observarunt; imo ab his etiam Typographicae artis, et acus Magneticae, et bombycum seu Serici conficiendi usum, et id genus alia, ad alias Gentes pervenisse non abs fundamento memorant. Ceterum quidquid sit de vetustissimo Sinensium usu, memorandum imprimis venit *Artis Typographicae* utilissimum inter Europaeos inventum, quo Germania seculo 15. gloriatur; cujus inventionis laus sive adscribatur *Laurentio Joannis* Edituo Harlemensi, sive *Joanni Guttenbergio* Argentinensi, inde Moguntiam delato, et 1440. mortuo; sive *Joanni Fausto* civi Moguntino, sive aliis: fertur enim Norimbergae in Publica Bibliotheca reperiri librum *Spirae* impressum a. 1446. de *Praedestinatione*, annis nempe pluribus ante primam Moguntinam editionem, a.

1459.

---

*a*) Ap. Sebastianum Münsterum et alios. *b*) ad an. 1344. *c*) Tigrautius. Semedus Kircherius. Martinius et alii referunt.

1459. *Officialis Durandi.* Celebris hoc aevo fuit dupplex Bibliotheca Heidelbergensis, *Academica* nempe et *Electoralis.* Ita Germania prima horologiorum confectionem demonstravit et alia, unde Germania merito omnium artium asylum facta est; nullam enim elegantiorem scientiam avt artem admisit, quam non exornavit, auxit aut perpolivit, plurima vero ipsa invenit. Nec tacenda sunt Aethiopicae et Indicae navigationis primordia ad an. 1487. Unde *Christophorus Columbus* Patria Genuensis, primus orbem terrarum versus occidentem ultra oceanum non esse incolis vacuum deprehendit 1492. cui dein statua a Genuensibus erecta est: cujus tamen inventi gloriam *Americus Vesputius* 1497. obtinuit. Denique ab hoc tempore cultiorem faciem induit Germania, quum doctrina et bonarum artium Studium fugatis ignorantiae tenebris quasi postliminio restitueretur, quod imprimis captae a Turcis Constantinopoli, et inventae artis Typographicae tribuitur, ex Graecia enim doctissimi viri in occidentem venientes, occidentem variis scientiis repleverunt: reperta autem ars Typoprahica, antiqua Eruditorum scripta mira celeritate evulgavit; hinc summi viri amore literarum capti, imprimis Pontifices et Imperatores, Literatos egregie adjuvarunt: unde innumeri Scriptores, artes et disciplinas pristino nitori restituerunt, lingvarum exoticarum notitiam et usum revocarunt; Antiquitatis studia instaurarunt;

runt; Ecclesiarum et Principum Tabularia excusserunt; veterum Patrum monumenta, uti et disciplinam Ecclesiae ac ritus in lucem protraxerunt; Acta et decreta Conciliorum, Edicta Imperatorum et diplomata ediderunt; Dogmata Ecclesiae contra Haereticos propugnarunt; Scripturam Sacram, Historiam Ecclesiaticam, et verae Theologiae Studia solertius excoluerunt; quorum Scriptorum alii vocabantur *Exegetici* seu interpretes, alii *Dogmatici* fundamenta fidei exponentes; alii *Polemici* controversias Gentilium et Heterodoxorum disceptantes; alii *Theologi* commentariis seu illustrationibus clari; ali *Historici* res gestas posteris consignantes; alii *Chronographi* recto temporum ordini intenti; alii *Ascetici* de rebus Spiritualibus et moralibus scribentes: alii *Jureconsulti* et *Canonistae* Jurium et Legum vindices; alii *Biographi* acta singularium hominum colligentes. Tales erant

Sec. XIV. *Engelbertus* Admontensis Abb. Benedictinus Philosophica scripsit. *Henricus Stero.* Bavarus. *Franc. Petrarcha* mitiorum Musarum in Italia restaurator. *Joannes Duns* Scotus, quem Scotistae ducem sequuntur. *Bartolus* et *Baldus* insignes Juristae. S. Virgo *Catharina* Senensis. *Guilielmus Occam* Doctor invincibilis. *Durandus* Doctor resolutissimus.

Sec. XV. *Theodoricus Engelhusius*, *Nicolaus Cusanus*. *Nicolaus Tudeschus* Abb. Juris Canonici interpres nominatissimus. *S. Bernardinus Senensis. S. Vincentius Ferrerius.*

Sec. XVI. *Franc. Ximenes* Cardinal. Biblia Poliglotta edidit *Erasmus Rotterodamus* in Lutherum Calamum strinxit. *S. Ignatius* Celeberrimae Societatis Jesu fundator. *Franc. Ribera. Joannes Gropperus* Westphalus fidei Catholicae propugnator acerrimus.

Sec. XVII. *Lipsius Barclajus*, *Hugo Grotius. Drexelius. Bollandus. Reding.* Theologica edidit.

Sec. XVIII. *Bosuet.* Polemica et Dogmatica Scripsit. *Augustinus Calmet.* Expositionem Scripturae S. *Montfaucon. Turnellius* et *Bertius* Dogmatici. *Anselmus Desing.* ab omnigena Eruditione commendatus. etc. etc.

*Historici* autem qui Germanorum Acta, et Imperatorum vitas specifice conscripserunt, inde a *Rudolpho I.* sunt nominatissimi sequentes: uti *Caspar Dornavius*, Panegyricum Historicum edidit Görlicii. 1677. de *Rudolpho* Habsburgico. De eodem scripserunt; *Joan. Henric. Boeclerus.* 1682. *Petrus Lambecius.* Syntagma, et codicem Epistolarum Imp. *Rudolphi I. Alberti* Austriaci vitam Panegyrico celebravit *Caspar Dornavius. Henrici VII.* Historiam 16. Libris descripsit *Albertinus Mussatus.* Venetiis 1636. prodivit. *Conradus Vecerius* Hagenoae 1531. in 8. De vero mortis genere *Henrici VII.* dissertationem scripsit *Martinus Difenbach.* Francofurti 1685. 4. Ad *Ludovici IV.* seu Bavari Historiam facit Apologia *Joan. Georg. Hervardi ab Hohenburg* Monachi 1618. 4.

 cui

cui multa adjuncta sunt diplomata Historiam Germanicam illustrantia: item *Alberti Mussati.* Rarissima est *Nicolai Burgundi* Historia Bavarica ab a. 1313. — 1347. Ingolstadii 1636. in 4. Dissertatio *Franc. Joan. Buddei.* Jenae. 1689. 4. *Güntheri* Schvartzburgici gesta illustravit *Ahasuerus Fritschius* Rudolphstadti 1677. 4. *Carolus VI.* ipse Historiam suam scribere coepit, cujus tamen tantum fragmenta, inter rerum Germanicarum Scriptores antiquos edidit *Marquardus Freherus.* Helmstadti 1585. 4. *Conradus Samuel Schurtzfleischius* dissertationem scripsit, quod *Carolus IV.* non dissipaverit Imperii patrimonium quo ad regnum Arelatense. De *Friderici* Brunsvicensium et Lineburgensium ducis in Romanum Imp. electione exstat Dissertatio *Henrici Meibomii.* Helmstadtii 1681. 4. et in Tomo III. rer. German. — *Friderici III.* alias V. Diarium vitae *Petrus Lambecius* 1666. 4. Praestantissima vero est *Aeneae Sylvii* Historia rerum *Friderici III.* exstat et in collectione *Schilteri.* In III. Tom rer. Germ. *Freherii* exstat *Antonii Panormitae* oratio Romae habita in Coronatione *Friderici III.* a. 1452. item *Jannotti Maneti*, de *Friderici* profectione in Italiam 1468. suscepta. *Joannis de Zredna* Epistolae historicae inter *Fridericum V.* et Regnum Hungariae ab a. 1445. — 1451. collectae, illustratae a *Paulo Ivanich. Nicolai Langmanni de Falckenstein* Historia desponsationis *Friderici V. Bernhardi Bergeri* oratio

in

in funere *Friderici V.* De Historia *Maximiliani I.* plures Codices exstant in Bibliotheca Caesarea quos *Lambecius* recenset: item *Freherus* collectionum Tomo I. et II. praeter quos exstant *Justini Gobleri* Chronica actorum bellicorum *Maximiliani I.* contra Venetos et Gallos. Francofurti 1566. *Caroli V.* Historiarum Scriptores recensuit, *S. Sagittarius* in Introductione sua ad Historiam Ecclesiasticam cap. 24. §. 53. ex quibus praecipui sunt: *Joan. Guilielmus Ruchius* Caroli V. Genealogiam adumbravit, Antverpiae 1536. 8. *Hieronymus Gebuilerus* Scripsit Epitomen de exortu Caroli V. et omnium Archi ducum Austriae ac Comitum Habsburgicorum, Lovanii 1650. 8. *Cyprianus Benetus* de Caroli Hispaniarum regis praeeminentia Romae 1518. *Christianus Eberhardus* Helmstadtii 1660. 4. item *Hartmannus Maurus. Nicolaus Mameranus. Henricus Cornelius Agrippa. Valentinus Rothmarus. Prudentius de Sandoval. Alphonsus Vlloa. Joan. Voerthusius. Joan. Mich. Beutherus. David Chythraeus. Joan. Georg. Godelmannus. Joannes Massenius. Joannes Sleidanus. Laurentius Surius. Caesar Grolierius. Caspar Barthius. Nicolaus Willagagnonius. Joan. Christof Calvetus Stella. Ludovicus ab Avila. Joachimus Camerarius. Nicolaus Mameranus. Frid. Hortlederus. Georgius Eder ap. Freher. T.* 3. De morte *Caroli V.* Evangelica dissertatio exstat *Joannis Friderici Mayeri* Lipsiae 1682. 4. *Ferdinandi I.* Historiam

storiam scripserunt: *Joannes Jesseni* Progeniem Augustam divorum Imperatorum *Ferdinandi I.* et *Maximiliani II. Wolfgangus Latzius*, exstat in *Schardii* Tomo II. *Basilius Joan. Heroldus* Hanoviae 1613. de *Maximiliani II.* vita exstant Scriptores in *Schardii* Tomo III. *Jacob Menlius* Augustae 1597. 4. *Joan. Voerthusius. Joannes Justinianus.* Basileae 1554. *Alphonsus Ulloe*, Basel. 1568. 4. *Christoph. Varsevicius* Orationem scripsit in mortem Maximiliani. — Ad *Rudolphi II.* Historiam fecit opus *Abrahami Hosmanni.* Leipzig. 1612. 4. *Christophori Varsevicii* Oratio de Christianorum contra Turcas victoria. Ad Historiam *Matthiae* Imperatoris facit Jesseni Coronatio Matthiae regis Hungariae Hamburgi 1609. 4. Ad *Ferdinandi II.* Historiam *Matthiae Nennicheni* Oratio Graecii 1619. item *Joan. Frid. Matenesii* Libri tres de parentela electione *Ferdinandi II.* Coloniae vitam *Ferdinandi* scripsit *Franciscus de Smidt*, Antverpiae 1638. 4. Ad *Leopoldi I.* Historiam facit *Joan. Reinhardi Marxii* Francofurti 1658. 4. *Sigismundus Schmidt* Francofurti 1697. in quo singula plenius exponuntur. De reliquis autem Imperatoribus fuse apud Cl. Palma, Pray. Katona, Gatterer. *Historiam autem Universalem* scripserunt, Sec. XIV. *Ptolomaeus Lucensis* ab a. 1060. — 1307. Lugdunni 1619. *Siffridus* Presbyter scripsit Chronicon, quod in compendium redegit *Georgius Fabricius* Lipsiae. 1669. *Henricus Stero* Annales

Scripsit,

Scripsit, quos primus edidit *Freherus.* Ex Seculo XV. *Gobelinus Persona* scripsit *Cosmodromium* per sex mundi aetates dispositum, usque an. 1418. magna fide scriptum prodiit Francofuti 1599. fol. invenitur etiam ap. *Meibomium.* T. I. rer. Germ. — *Theodori Engelhusii* Chronicon Helmstadti 1671. 4. ubi multa Singularia continentur. — *Vernerus Rolevinck de Laer.* Fasciculum temporum scripsit ab initio mundi usque ad suam aetatem 1489. quem continuavit usque 1514. *Joannes Linturius. Pistorius* in Tomo II. habet. *Antonini Florentini* summa Historialis. III. Part. Norimbergae 1484. fol. *Donatus Bossius* Chronicon. Mediolani. 1489. *Hartmanni Schedelii* Chronicon Mundi Norimbergae 1493. *Joannis Laziardi* Historiae Universalis Epitomen, cujus continuator est *Hubertus Vellejus* usque a. 1519. *Seculo XVI.* inclaruerunt: *Joannes Nauclerus* Chronicon scripsit per generationes, cum appendice prodiit Tubingae 1516. cui addidit *Laurentius Surius* Paralipomena. *Antonius Sabellicus* edidit Historiam mundi, hic primus inter Historicos nugari desiit, Basileae 1560. *Jacob. Philip. Bergomas* supplementum supplementi Venetiis 1513. *Hugvaldus Mutius* edidit rerum Germanicarum libros 31. Basileae. 1539. *Amandus Zierixeus* Scrutinium vel Venationem veritatis Historicae scripsit. Antverpiae 1634. *Joannes Lucidus* Chronicon edidit. *Hieronymus Bardus* Venetiis 1581. *Adrianus*

*Barlan-*

*Barlandus*, Antverpiae 1548. *Paulus Constantinus Phrigio* Chronicon reliquit, Basileae 1634. Seculo XVII. claruit Joan. Philip. Vorburg. 12. Volumina exstant Francofurti 1645. *M. Zuerius Boxhornius* Historiam Universalem reliquit Lugduni Batavorum 1652. 4. *Jacobus Govtovlas* Historiam cum Imperatorum et Regum Galliae iconibus edidit Parisiis 1653. *Joan. Ludovic. Gothofredus* Germaniae Historiam Universalem scripsit. Francofurti 1682. *Antonius Robinzonus* Annalium mundi Universalium, in 14. Libris. Londini 1678. *Vilhelmus Hovwel* Anglicae scripsit Londini. 1680. *Gabriel Deburta* Tolosae 1677. *Joannes Boeclerus* etc. Plures autem qui Historiam suae aetatis scripserunt: uti *Joannes Jovius. Natalis Comes. Laurentius Surius. Michael Isselt. Petrus Lindenbergius. Jacob. Augustus Thuanus. Joannes Petrus Titius. Adolphus Brachelius. Christophorus Adolphus Thuldenus. Julius Caesar Bulengerus. Paulus Piasecius.* Chronica Gestorum in Europa. Cracoviae 1684. ad Historiam illustrandam facit *Theatrum Europaeum* per varios collectum in XIII. Tomis, incepit. 1617. *Diarium Europaeum* ab a. 1657. Semestri quolibet pupublicabantur. Commendari merentur Scripta varia jam etiam edita *Samuelis Puffendorfii. Bernhardus Christianus Jaegerus.* Lipsiae 1701. 8. — Inter Compendia Historiae Universalis, primum est. *Joan. Carii.* Wittebergae 1499. 8. *Joannes Sleidanus* de quatuor summis Imperiis, cujus

cujus opus continuavit *Aegidius Strauchius*, et *Conrad Samuel Schurtsfleischius* Lugduni Batavorum 1669. 12. *Michaelis Neandri* Compendium Chronicorum, Lipsiae. 1686. 8. *Christophori Petzeili* Mellificum Historicum, Francofurti 1649. Matthaei Dresserii Isagogen Historica, Lipsiae 1606. *Horatii Turselini* Epitome Historiae Universalis usque 1598. *Eliae Reusneri* Isagoges Historiae Libri II. Ecclesiasticam et Politicam continet, Jenae. 1600. Christophori *Heidmanni* Epitome, Helmstadti 1660. 4. *Joannis Cluveri* Epitome continuatum usque 1667. *Henrici Altingii* Compendium Historiae externae. *Nicolai Vernulaei* Epitome ad an. 1650. *Bernhardi Haymbachii* Lovanii 1654. 4. *Christiani Matthiae* Theatrum Historico Theoretico practicum, Francofurti 1689. 4. ex quo pro contione multa adduci possunt. *Joannis Micraelii* Syntagma Historiarum politicum. *Joan. Henric. Ursinus* Isagoges Historico Chronologica. Libri 4. Francofurti 1662. 8. *Joan. Conradi Dieterici* Breviarium Historicum, Giessae 1663. 8. *Georgii Hornii* labores aestimatissimi. *Henrici Kippingi* recensus Historiae Universalis Francofurti 1665. 8. *Tobiae Wagneri* Historicae institutiones Ulmae 1652. 8. *Friderici Hildebrandi* Synopsis Hist. Universalis, pro Scholis scripta. *Philippi Ludov. Avthaei.* Synopsis de IV. Monarchiis, Francofurti 1683. 8. *Gabrielis Bucelini* Nucleus Historiae, Augustae 1659. 12. *Joannis Laeti* Compendi-

um. *Wilhelmi Strattemanni* Theatrum Historicum. *Joannis Jonstonii* Polyhistor. 1667. 8. *Philippi Brietii* Annales Mundi, Parisiis 1662. 12. septem Tomi. *Joan. Henric. Boeclerii* Hist. Universalis, Argentorati 1680. *Ulricus Haberus* Franeckerae 1692. *Jacobus Perizonus. Dionysius Petavius* Rationarium Temporum, Parisiis 1663. 12. *Christophori Besoldi* Synopsis rerum ab orbe condito, Ingolstadti. 1643. 12. Christophorus Adamus Rupertus. *Christophori Cellarii* Historia antiqua media et nova, Halae 1696. *Joannes Clericus* scripsit Compendium Historiae Univ. Amstelodami 1698. *Joannes Hübnerus* etc.

Seculo XVIII. Compendium Historiae Universalis Scripserunt *Gutrie et Gray* Londorp. Harduinus. Tillemontius. Bossuet. Prideau. Lamberti. Rollin. Achenvall. Millot. Slegel. et Celeberrimi Germani Gatterer. Schlözer. Remer. Schrök. Hausen. Gruber Grebner. Büsch. etc.

Finis Tomi Secundi.

